

ab
29

2179

P 21



FRANCISCI
RIBERÆ
VILLACASTINENSIS,
SOCIETATIS IESV

Doctoris Theologi, in Academia Salmanticensi
sacrarum literarum olim Professoris,

IN SANCTVM IESV·CHRISTI EVANGELIVM
secundùm IOANNEM

C O M M E N T A R I I.

Nunc primum in lucem prodeunt.

Cum triplici Indice, locorum sacre Scripturæ, eorum quæ ad usum
concionum, & rerum ac verborum memorabilium.



L V G D V N I,


Sumptibus Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

P M f Manuel Angl

Ієр. Епістола



REVERENDISSIMO PATRI
MVTIO VITELLESCO,
SOCIETATIS IESV
PRÆPOSITO GENERALI,

Iacobus Cardon & Petrus Cauellat S. D.

OMMENTARIVM hunc
FRANCISCI RIBERÆ
scriptoris apprimè nobilis
olim depositum ac reli-
ctum, aliquando nacti, pu-
tauimus nos sanè felices,
ac fortunatos, quòd the-
saurum tamdiu conditum, abstrusumque pe-
nitus inuenissemus. Neque enim ita rerum
ignari sumus, vt non intelligamus huius pre-
tium rei: cùm alioqui probè sciamus, eius-
dem hominis monumenta multis antè vul-
gata iam annis teri manibus omnium, & cir-
cumferri. Videmus nostrarum esse partium
hoc opus oppidò præclarum & utile, non

* 2 modò

modò cuiquam non inuidere, verùm etiam
facere omnium commune quod priuati iuris
esse non debet. Sed quoniam tamen in publi-
cum véniens, patronum haud dubiè postulat
aliquem, ad vnum te, REVERENDISSIME
PATER, hoc officium esse deferendum exi-
stimauimus. Tibi enim dicandus est thesa-
rus inuentus in tuo ; & posthumi tutela ope-
ris haud alij tutius committitur , ac melius,
quàm ei, qui totius, vnde prodiit , Sodalita-
tis est pater. V A L E.



*Mutius Vitellescus, Societatis IESV
Præpositus Generalis.*



V M Commentarios in Ioannem P.
Francisci Riberæ, nostræ Societatis, ali-
quot eiusdem Societatis Theologi, qui-
bus id commissum fuit, recognouerint,
& in lucem edi posse probauerint; facultatem con-
cedimus, ut typis mandentur, si ita iis, ad quos per-
tinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu
nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedi-
mus Romæ 12. Maij 1622.

M V T I V S V I T E L L E S C V S.

*Facultas R. P. Provincialis Societatis IESV in
Provincia Lugdunensi.*

JOANNES FORERIVS Provincialis Socie-
tatis IESV in Provincia Lugdunensi, iuxta pri-
uilegium eidem Societati à Regibus Christianif-
fimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV.
20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante,
14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus
prohibetur, ne libros ab eiusdem Societatis hominibus com-
positos, absque superiorum permissione imprimant: permittit
IACOBO CARDON & PETRO CAVELLAT,
Lugdunensibus Bibliopolis, ut librum hunc inscriptum:
*Francisci Riberæ Soc. IESV Theologi, in sanctum IESV
CHRISTI Euangelium secundum Ioannem Commentarij, ad
sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possint.*
Datum Lugduni die 14. Iulij 1622.

I. FORERIVS.

Approbatio Theologorum.

Nos infrascripti sacræ Theologiæ Doctores
fidem facimus, perleatum à nobis librum
qui inscribitur: *Francisci Riberæ Soc. IESV*
Theologi, in sanctum IESV CHRISTI Euangeliū secundūm Ioannem Commentarij, in quo nihil fidei Catholice, Apostolicæ & Romanæ contrarium animaduersum, quin opus ipsum docta rei illius commentatione illustre & vtile. Datum Lugduni 3. Ianuarij 1623.

Fr. ROBERTVS BERTHELOT Episc. Damasci.

Fr. CLAVDIVS COCHET Dominicanæ familiae
Lugdun. alumnus & Prior.

DEVILLE.

*R. D. D. Thomæ de Meschatin la Faye huius libri
imprimendi facultas.*

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE,
comes, Canonicus, & Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi: Opus inscriptum,
Francisci Riberæ Soc. IESV Theologi, in sanctum IESV CHRISTI Euangeliū secundūm Ioannem Commentarij,
ut in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni
22. Martij 1623.

MESCHATIN LA FAYE.

Summa

*Summa Priuilegij à Christianissimo Galliarum
Rege concessi.*

LUDOVICI XIII. Galliae & Navarre Regis Diplomate sancitum est, ne quis in regno suo, aliisque locis ditioni sua subiectis, intra decem annos, à prima editionis die computandos excudat, vendat, excudendum, vendendumque quoquis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, Francisci Riberæ Soc. IESV Theologi, in sanctum IESV CHRISTI Euangelium secundum Ioannem Commentarij, præter IACOBVM CARDON & PETRVM CAPELLAT, Bibliopolas Lugdunenses, aut illos, quibus ipsimet concesserint. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbi cumque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dictorum IACOBI CARDON & PETRI CAPELLAT. Idque omne sub confisctione librorum, aliisque poenis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Parisiis die 30. Ianuarij 1623.

De mandato Regis,

Signatum

LE BOSSY.



INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ.

EX VETERI TESTAMENTO.

EX GENESI.

- C A P. Q VOD cùm au-
14. disset Abrā
captum fra-
trem suum. 99
19. Iacob indicauit Racheli,
quod frater esset patris
sui. ibid.
Num quia frater meus es,
gratis seruies mihi. ibid.
22. Vade in terrā visionis. 123
24. Pone manum tuam super
fœmur meum. 223
48. In gladio & arcu meo. 120

EX EXODO.

8. Feceruntque malefici simi-
liter incantationibus suis.
521
33. Non videbit me homo, &
viuet. 54. 56

EX I. REGVM.

16. Num coram Domino est
Christus eius. 78
18. Et egrediebatur, & intra-
bat in cōspectū populi. 239

20. Quia filius mortis est. 391
26. Quoniam filij mortis estis
vos. ibid.

EX II. REGVM.

4. Cui oportebat me merce-
dem dare pro nuncio. 5

EX III. REGVM.

4. Et disputauit super lignis à
cedro, quæ est in Libano,
vsque ad hyssopum, quæ
egreditur de pariete. 475

EX IOB.

33. Semel loquitur Deus, &
secundò idipsum non re-
petit. 18

EX LIB. PSALMORVM.

- P S A L. 5. Virum sanguinum
& dolosum abominabitur
Dominus. 42

8. Ex ore infantium & lacten-
tium perfecisti laudē pro-
pter inimicos tuos. 274

16. Ego clamaui, quoniam ex-
audisti me Deus. 220

21. Circumdederunt me vi-
tuli

I N D . L O C . S . O C R I P T .

- tuli multi , tauri pingues
obsederunt me. 413
- Foderunt manus meas , &
pedes meos ; dinumerauer-
runt omnia ossa mea. 459
24. Dulcis & rectus Domini-
nus, propter hoc legem da-
bit delinquentibus in via.
360
32. Verbo Dei cæli firmati
sunt. 18
35. Quoniam apud te est fons
vitæ. 33
44. Erueratuit cor meum ver-
bum bonum. 16. 18
- Pro patribus tuis nati sunt
tibi filij. 51
50. Libera me de sanguini-
bus. 42
59. In Idumæam extendam
calceamentum meum. 69
61. Semel locutus est Deus.
18
81. Ego dixi, Dij estis. 25
88. Quoniam quis in nubibus
æquabitur Domino, similis
erit Deo in filiis Dei. 53
95. Annuntiate de die in
diem salutare eius. 5
101. Initio tu Domine terram
fundasti, & opera manuum
tuarum sunt cæli. 27
103. Omnia in sapientia feci-
sti. 28
106. Misit verbum suum , &
sanauit eos. 18
109. Tecum principium in
die virtutis tue. 13
- Ribera in Euang. Ioan.
- Ante Luciferum genui te.
49
117. Benedictus qui venit in
nomine Domini. 143
118. In æternū Domine Ver-
bum tuum permanet in
cælo. 18
120. Dominus custodiet in-
teritum tuum , & exitum
tuum. 239
- E X E C C L E S I A S T E .
12. Quoniam ibit homo in
domum æternitatis suæ. 38
- Deum time, & mandatum
eius obserua, hoc est omnis
homo. 342
- E X E C C L E S I A S T I C O .
24. Ego ex ore Altissimi pro-
diui. 16
- Qui bibunt me , adhuc si-
tient. 122
- E X I S A I A .
8. Signa legem in discipulis
meis. 165
11. Non secundum visionem
oculorum. 193
- Et erit sepulchrum eius
gloriosum. 478
31. Ægyptus , homo , & non
Deus , & equi caro , & non
spiritus. 178
33. Vbi verba legis ponde-
rans. 190
45. Israël saluatus est in Do-
mino salute æterna. 18
50. Dominus dedit mihi lin-
guam
- **

IND. L O C. S. S C R I P T.

- guam eruditam. 165
 52. Quām pulchri super mon-
 tes pedes annunciantis , &
 prædicantis pacem,annun-
 ciantis bōnum. 5
 54. Ponam vniuersos filios
 tuos doctos à Domino. 164
 61. Ad annunciandū (LXX.
 euangelizandum) mansue-
 tis misit me. 5

EX IEREMIA.

2. Ego te plantaui vineam
 electam , omne semen ve-
 rum ; quomodo ergo con-
 uersa est mihi in prauum
 vinea aliena. 337
 20. Maledictus vir , qui an-
 nunciauit (LXX. euange-

- lizauit) Patri meo. 5
 30. Propterea omnes, qui co-
 meduat te, deuorabuntur.
 192

EX BARVCH.

4. Post hæc in terris visus est,
 & cum hominibus con-
 uersatus est. 44

EX OSEA.

1. Obliuione obliuiscar eo-
 rum. 14
 Saluabo eos in Domino
 Deo suo. 18

EX NAHVM.

1. Ecce super montes pedes
 euangelizantis. 5

EX NOVO TESTAMENTO.

EX MATTHÆO.

- C A P. I Pse vos baptizabit in
 3. Spiritu sancto , &
 igne. 69
 7. Tunc confitebor illis, quia
 non noui vos. 243
 19. Messis quidem multa,ope-
 rarij autem pauci. 129
 10. Qui inuenerit animam
 suam,perdet illam. 280
 13. Quare in parabolis lo-
 queris eis : quia, &c. 337
 Qui enim habet, dabitur
 ei, & abundabit:qui autem
 non habet, & quod habet,
 auferetur ab eo. 345
 20. Paterfamilias exitit cōdu-
 cere operarios primo ma-
 ne. 263
 22. Magister quod est manda-
 tum magnum in lege. 349
 24. Et prædicabitur Euange-
 lium regni in vniuerso or-
 be. 6
 Facitis eum filium gehen-
 nz. 391
 25. Percipite regnum quod
 vobis paratum est ab ori-
 gine mundi. 325
 26. Omnes qui acceperint
 gladium,

IND. LOC. S. SCRIPT.

gladiū, gladio peribút. 412

27. Vinclū adduxerunt eum,
& tradiderunt Pilato Pon-
tio præsidi. 422

EX L V C A.

1. Benedic̄ta tu in mulieribus.

44

4. Euangelizare pauperibus
misit me. 5

10. Intravit Iesus in quoddam
castellum. 200

23. Et posuerunt eum in mo-
numento, &c. & dies erat
Parasceues, & sabbatum il-
lucescens. 475

EX I O A N N E.

1. Erat lux vera. 14

4. Qui metit, mercedem ac-
cipit, & congregat fructum
in vitam æternam. 137

12. Ego lux in mundum ve-
ni. 38

14. Qui videt me, videret &
Patrem meum. 19

16. Et nō dico vobis, quia ego
rogabo Patrem de vobis,
ipse enim Pater vos amat.
143

Cūm venerit ille, arguet
mundum de peccato. 222
Hæc in proverbiis locutus
sum vobis. 237

EX ACTIS APOST.

2. Et apparuerunt dispergitæ
linguæ.

19. In quo ergo baptizati
estis. 359

EX EPIST. PAVLI

ad Romanos.

2. Iis enim qui sunt ex con-
tentione, & non acquie-
scunt veritati. 427

3. Per legem enim cognitio
peccati: at Christus fecit
gratiam. 52

4. Qui vocat ea quæ nō sunt,
taequam ea quæ sunt. 354

10. Quā speciosi pedes euangeli-
zantium pacem, euangeli-
zantium bona. 5

15. Dico enim Christum Iesum
ministrum fuisse, &c.
ad confirmandas promis-
siones Patrum. 47

AD CORINTHIOS I.

1. Qui factus est nobis sapiē-
tia à Deo, & iustitia, & san-
tificatio, & redemptio.

327

8. Scientia inflat, charitas ex-
dificat. 178

15. Quotidie morior propter
gloriam vestram fratres.

AD CORINTH. II.

7. Ecce enim hoc ipsum, &c.
367

AD EPHES.

2. Vnusquisque vxorem suam
sicut seipsum diligit. 46

3. Quæ sit latitudo, longitu-
do & profundum. 466

AD PHILIPPENSES.

2. In similitudinē hominum
*** 2 factus,

IND. LOC. S. SCRIPT.

factus, & habitu iuuentus
vt homo. 46

AD THESSALON. II.

2. Et quod claritatem verita-
tis non receperunt, &c. 143

AD TIMOTHEVM II.

2. Seruum autē Domini non
oportet litigare, sed man-
suetum esse ad omnes, do-
cibilem, patientem, &c.
165

AD TITVM.

1. Quam promisit qui non

AD CORINTHIOS I.

1. Non reges est nos ipsi sed
deus tuus, & infernus, & tu
glorificatio, & redemptio.

2. Secundum iudicium, gloriam ex-

2. Glorificatio mortis glorifica-

3. Gloriatur activitas gloriae.

AD CORINTHI. II.

2. Ecce enim propinquum, &c.

3. Ecce enim propinquum, &c.

AD EPHES.

2. Ante diuinorum axonem lumen
hunc regibus dicitur. 46

3. Ora ut testudo, iugis in-

4. Ora ut bivalvum. 46

5. Ad Philippienses.

6. In uniusmagine hominum

7. * * * Reges

mentitur Deus.

47

AD HEBRAEOS.

11. Est autem fides speranda-
rum substantia rerum, ar-
gumentum non apparen-
tium. 222

EX EPIST. IACOBI.

4. Ecce nunc qui dicitis, ho-
die, aut crastino, ibimus in
illam ciuitatem, &c. pro eo
ut dicatis, &c. 51

EX EPIST. IOANN.

2. Superbia vitæ. 140

LOC



LOCORVM MORALIVM

INDEX

AD VSVM CONCIONVM.

A.

- A** Blutio pedum. 315
Adoptio filiorum Dei. 41
Adoratio & cultus in spiritu & veritate. 12.4
Aduentus Messiae presignificatus & intellectus. 48
Æqualitas Patris & filij. 26
Æternitas Verbi, vide Verbum.
Agnus Dei. 72.77
Legalis. 73
Amicus, amicitia. 351. & seq.
Anima. 38.279
Apparitiones Domini. 332. 511
Architriclinus nuptiarum Canæ Galilææ. 95

- Ascensio iustorum. 110
Domini. 495
Azymorum solemnitas. 105

B.

- Baptismus Ioannis. 63
Christi. 71
de Baptismo vide 108.168

C.

- Charitas. 350
Christus baptizans. 73
Sponsus Ecclesie. 112
Sepultus. 475
Christi gloria. 45. & seq.
Baptismus. 71
Clarificatio. 142.383.383
Accusatio. 430
Flagellatio. 434
Vulnera. 438
Vestis. 440.462
Crucifixio. 445
Sepul. 3

IND. LOCORVM MORAL.

<i>Sepulcrum.</i>	455.490	<i>Dilectio filij erga Patrem.</i>	131
<i>Sepultura.</i>	475	<i>Proximi.</i>	349. & seq.
<i>Resurrectio.</i>	487	<i>Dona Spiritus.</i>	114
<i>Apparitiones.</i>	498. & seq.		E.
	503.511		
<i>Insufflatio.</i>	499	<i>Ecclesiæ sponsus.</i>	112
<i>Clavi.</i>	468	<i>Columnæ.</i>	521
<i>Cœna Domini.</i>	309	<i>Electi.</i>	327. 511
<i>Columba descendens de cœlo.</i>		<i>Encœnia.</i>	205
	74	<i>Essentia diuina.</i>	55
<i>Columna ad quam Christus fuit alligatus.</i>	438	<i>Eucharistia.</i>	166. & seqq.
<i>Columnæ Ecclesiæ.</i>	521	<i>Eucharistæ institutio.</i>	309
<i>Communio sub utraque spe- cie.</i>	169		F.
<i>Confessores & Martyres.</i>	521	<i>Festum Paschæ.</i>	126
<i>Consubstantialitas Patris & filij.</i>	13.25.136.137.250	<i>Pentecostes.</i>	ibid.
<i>Corona spinea.</i>	439	<i>Tabernaculorum.</i>	ibid.
<i>Crucis longitudo.</i>	453	<i>Fides viua</i>	III
<i>Inscriptio.</i>	459	<i>de Fide vide.</i>	138. & seq.
<i>Locus.</i>	465	<i>Filius hominis.</i>	86
<i>Figura.</i>	ibid.	<i>Filij consubstantialitas cū Pa- tre.</i>	13.25.26.250
<i>Crucis portatio ad locum sup- plicij olim usitata.</i>	453	<i>Dilectio erga Patrem.</i>	136
		<i>Filij Dei.</i>	40
		<i>Filiorum Dei adoptio.</i>	41
		<i>Fur.</i>	236
			G.
<i>Dæmon & dæmonium.</i>		<i>Generatio humana.</i>	42
	245	<i>Spiritualis.</i>	108
<i>Decollatio Ioannis.</i>	150	<i>Gloria Domini.</i>	45. & seq.
<i>Dei voluntas.</i>	137		Histo

IND. LOCORVM MORAL.

H.

<i>Historia mulieris adulteræ</i>	
10.8.	206
<i>Hosliarū oblatio, v. Oblatio.</i>	
<i>Humanitas Verbi, v. Verbū.</i>	
<i>Hydriæ lapideæ.</i>	94

I.

<i>Institutio Eucharistie.</i>	309
<i>Ioannis Baptismus.</i>	63
<i>Decollatio.</i>	150
<i>Judeæ perditio.</i>	391
<i>Iudicium extremū.</i>	138. & seq.
<i>Iustorum ascensio, v. Ascensio.</i>	

L.

<i>Latro.</i>	236
<i>Latrones cum Christo crucifixi.</i>	458

M.

<i>Maiestas Verbi.</i>	26
<i>Manifestatio per filium.</i>	389
<i>Manna.</i>	166. & seq.
<i>Martyres & Confessores.</i>	521
<i>Mercenarius.</i>	241
<i>Messiae aduentus, v. Aduētus Messiae.</i>	
<i>Miraculū nuptiarū.</i>	89. & seq.

Reguli.

129

Panum.

149

Cæci.

227

Resurrectionis Lazari.

265

Piscationis.

509

Mons Oliueti.

208

Mulier adultera.

10.8.

206

N.

Natatoria.

133. 230

Natuitas fidelium spiritua- lis.

41

Negationes Petri.

114. & seq.

Nomen Dei.

41

Nuptiæ in Cana Galilææ.

89

O.

Oblatio hosliarum.

123

Odiū & persecutio.

358

Oliueti mons.

208

P.

Parabolæ.

337

Paracletus.

330

Paralyticus sanatus in pisci- na.

134

Parasceue.

302

Pascha.

99. 126. 302

Pastor.

236

Pater & filius.

26

Pax Domini.

332


Pecca

IND. LOCORVM MORAL.

<i>Peccatum originale.</i>	41.	<i>& seq.</i>	<i>Dona.</i>	114
<i>Pedum ablutio , v. Ablutio.</i>			<i>Processio.</i>	361
<i>Pentecostes.</i>	126		<i>Sponsus Ecclesiae, v. Ecclesia.</i>	
<i>Perditio Iudee.</i>	391		<i>T.</i>	
<i>Persecutio.</i>	358		<i>Tabernaculorum festiuitas.</i>	
<i>Petri negationes.</i>	414.	<i>& seq.</i>	126	
<i>Phase.</i>	306		<i>Templum Dei.</i>	102
<i>Piscina Ierosolymitana.</i>	133.		<i>Tunica inconsutilis.</i>	
	230		<i>seq.</i>	
<i>Potestas.</i>	40		<i>V.</i>	
<i>Prædestinati.</i>	163		<i>Verbi æternitas.</i>	12.24
	R.		<i>Maiestas.</i>	26
<i>Reditus Domini.</i>	326		<i>Humanitas.</i>	43. & seq.
<i>Regeneratio fidelium.</i>	41		<i>Veritas.</i>	III.140
<i>Regnum Dei.</i>	426		<i>Vnio Dei & hominum.</i>	172. &
<i>Resurrectio.</i>	140.163.373		<i>seq.</i>	
	S.		<i>Christi & hominū per Eu-</i>	
<i>Saluator mundi.</i>	127		<i>charistiam.</i>	<i>ibid.</i>
<i>Samaritanus.</i>	222		<i>Filij & Patris.</i>	173.393
<i>Scenopegia.</i>	99.188		<i>Ecclesiæ.</i>	180
<i>Solemnitas azymorum.</i>	105		<i>Vnitas substantiæ Patris &</i>	
<i>Spasmus B. Virginis.</i>	470		<i>Filij.</i>	249
<i>Spiritus sancti aduentus.</i>	330		<i>Voluntas Dei.</i>	137

F I N I S.

COM



COMMENTARIA
IN SANCTVM
IESV CHRISTI
EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

PROLEGOMENA.



NTEQVAM ad Euangelistæ verba veniamus, quædam sunt adnotanda. Primum est, de huius Libri Authore, & authoritate; qua de re nulla vñquam inter Catholicos extitit dubitatio: nam & semper Ioanni Apostolo tribuerunt, & Euangelium ipsum Sacrosanctum habuerunt; quemadmodùm videmus in fine Apostolicorum Canonum, & in omnibus libris Patrum, & in omnibus Conciliis, in quibus libri Canonici connumerantur. Sed fuere tamen olim hæretici, qui negarunt hoc Euangelium recipiendum esse; dicebant enim non esse Ioannis; atque hi cùm certum nomen non habarent (vnde apud Philastrium lib. de hæresibus, c. 60. inter innominatas hæreses hæc ponitur) Alogi postea dicti sunt, quasi Irrationales & sine verbo: propterea quòd Verbum, quod Græcè dicitur ἀλογος, logos, à Ioanne prædicatum in Euangelio non reciperent: aut apertiùs, eò quòd Euangelium Ioannis, in quo Verbi diuinitas describitur, reiicerent.

*S. Ioannes
Apostolus
semper ha-
bitus huius
Libri Au-
thor.*

*Hæretici
qui nega-
runt reci-
piendum.*

*Qui sunt
vñtati Alo-
gi, &c. Chr.*

A Ita

2 PROLEGOMENA.

Ita docet Epiphanius lib. 3. contra hæres. Hæres. 51. traditque, nomen Alogorum à se impositum fuisse. Idem docet Augustinus lib. de hæres. c. 30. Sed ibi *Alogianos* vocat; causam tamen nominis reddit eamdem. Eorundem meminit Castro contra hæreses; verbo *Deus*; hæresi. 7. & verbo *Scriptura sacra*, Hæresi. 8. Alij licet non negent hoc Euangelium esse Ioannis, & esse Canonicum; negant tamen apud nos esse integrum; immò multis in locis vitiatum esse contendunt.

*Iudem &
Alegiani
vocati.*

Hæc hæresis fuit Fausti Manichæi, vt eius verbis refert Augustinus lib. 16. contra Faustum. cap. 2. & eamdem hæresim

*Negat qui-
dam esse in-
tegrum; ut
Faustus.*

hoc sèculo tinentur Anabaptistæ. Contra hos omnes disputat Xistus Senensis lib. 7. Biblioth. hæres. 5. Et nos nonnihil fortassè dicemus, cùm ad loca ab eis impugnata ventum erit. Interim sufficit nobis decretum Concilij Tridentini sess. 4. sub Anathemate iubentis suscipi omnes libros Canonicos cum suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consuerunt, & in veteri Vulgata Latina Editione habentur.

*Anabapti-
stæ.*

*Concilij
Tridentini
decreto.*

Secundum est, de tempore, & loco, quibus Liber iste scriptus est. De his enim nonnulla est inter Catholicos controuersia. Etenim Simeon Metaphrastes, in vita Ioannis, author est, ipsum fuisse in Insula Pathmo, in quam relegatus est à Domitiano Cæsare usque ad Traiani tempora; ibique priusquam rediret Ephesum, scripsisse non solum Apocalypsim; sed etiam Euangelium. Idem sentit Theophylactus, in Prologo Ioan. videlicet scriptum esse hoc Euangelium in Insula Pathmo: & Nicephorus idem videtur dicere lib. 2. Hist. Eccl. c. 42. & lib. 3. c. 9. Et Dorotheus Martyr, Episcopus Tyri, in Synopsi apertè hoc dicit: & ante eos Procorus Discipulus Apostoli in Histor. Ioan. c. 45. & 46. Isti duo sunt in secundo tomo Bibliothecæ Veterum Patrum. Sed certius tamen est, scriptum esse Ephesi, vt docet Irenæus lib. 3. contra hæres. c. 1. & Eusebius lib. 3. Histor. Eccl. cap. 24. Hieronymus lib. de viris Illustribus: Augustinus, & Beda in prefatione Ioannis: Isidorus in lib. de Patribus noui Testam. D. Gregorius Episcopus Turonensis, in lib. de gloria Martyrum, c. 30. Suidas, verbo *Ioannes*; & alijs. Rediit enim ab insula Pathmo imperante Nerua, qui successit Domitiano, vt auctor est idem Procorus loco citato; & ex sententia Ecclesiasticorum

*Scriptus hic
Liber in In-
sula Pa-
thmo existi-
matur; à
Metaphra-
ste.*

*Theophy-
lacto.
Nicepho-
ro.
Dorotheo.
Procoro.*

*Sed scriptus
est Ephesi.
Irenæus.
Eusebius.
Hieron.
August.
Beda.
Isidorus.
D. Gregor.
Turon.
Suidas.*

Scripto

Scriptorum affirmat Eusebius lib. 3. Histor. c. 20. & in Chronicis: & Hieronymus loco citato. Et vixit Ephesi usque ad tempora Traiani, ut ait Irenæus, lib. 3. contra Hæreses, c. 3. & Eusebius in Chronicis; & Hieronymus loco citato. Cœpit autem imperare Traianus, anno Domini centesimo; & imperauit 19. annis, ut auctor est idem Eusebius in Chronicis. Ex omnibus his authoribus constat, Ioannem nouissimum omnium Euangelistarum scripsisse Euangeliū suū capta iam Ierosolyma. Sed Nicephorus lib. 2. Histor. Ecclesiast. c. 45. affirmat, scripsisse post triginta sex annos ab Ascensione Domini. Theophylactus autem in Prologo Matth. post triginta duos; Augustinus, & Beda in præfatione Ioannis, post annum sexagesimum quintum ab Ascensione. Euonymius in Prologo Ioannis tantum dicit scriptum esse multis annis post captam Ierosolymam. Sed licet de anno non constet; certum tamen est, Apostolum scripsisse Euangeliū valde serò; id est, extremo ætatis suæ tempore, ut ait Eusebius, lib. 3. Histor. cap. 24. cum quo conuenit optimè, quod dixerunt Augustinus, & Beda. Quandoquidem iuxta Hieronymum mortuus est Ioannes sexagesimo octavo anno à Passione Domini. Et quod scribit Epiphanius, loco citato, scripsisse post nonagesimum annum suæ ætatis.

S. Ioannos
nouissimus
Euangelistarum scrip-
tis suū
Euange-
liū, capta
iam Iero-
lyma.
Et quo an-
no,

Quo anno
mortuus est
D. Ioannes.

Tertium est; de causa scribendi: ea dicitur fuisse duplex. Prima, quod cum trium Euangelistarum libros vidisset, probauit fidem, & veritatem dictorum; sed vidit deesse aliqua, & ea maximè, quæ primo Prædicationis suæ tempore gesserat Dominus: Nam tres Euangelistæ priores ea narrant, quæ Dominus gescit, postquam Ioannes Baptista coniectus est in carcerem; id est, extremo anno prædicationis Domini. Vnde Matthæus c. 4. postquam narravit Domini ieiunium, & temptationem, statim subdit: Cum autem audisset Iesus, quod Ioannes traditus esset: & Marcus, cap. 1. similiter fecit: Postquam autem traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæam: & Lucas, c. 3. priusquam incipiat aliquid referre de actibus Christi, narrat Ioannis vincula, & decollationem; & ideo rogatus Ioannes Apostolus, ut adderet quæ duobus annis prioribus fecerat Dominus, scripsit Euangeliū. Quod autem hoc addere voluerit, facile ipse indicat: cap. enim secundo ait: *Hoc fecit*

Quæ de
causa scri-
pserit Euä-
gelium.
Ut suppleret
ea, quæ alij
omiserant.

signorum initium Iesu: & c. 3. nondum enim Ioannes missus erat in carcerem. Hanc causam affert Eusebius lib. 3. hist. cap. 24. & Nicephorus, lib. 2. cap. 45.

vt Hæreticos confundederet.

Secunda causa fuit, vt Cerinthum, & Nicolaitas, & alios hæreticos confunderet; vt scribit Irenæus, lib. 3. cap. 11. & maximè Ebionem, qui tunc affirmare cœperat, Christum ante Mariam non fuisse: Ideoque rogatus ab Asia Episcopis, scripsit; Sed indicto priùs generali ieiunio, vt scribit Metaphrastes. Et ipse tres dies ieiunauit, vt scribit Procorus loco citato. Has duas rationes afferunt Hieronymus, & Augustinus, & Beda, & Theophylactus, & Euthymius, locis cœtatis, & alij.

Nulla dissonantia inter Euangelistas.

Ex prima intelligimus, vt annotarunt Eusebius, & Hieronymus, & Nicephorus, nullam esse dissonantiam inter Ioannem, & cœteros Euangelistas; quoniam non viiius temporis; sed diuersorum res gestas scribunt. Ex secunda intelligimus, cur à Diuina generatione cœperit Ioannes, & plures Christi Sermones referat, quām alij, eōsque maximè, qui diuinitatem filij declarant; nec solum duorum annorum dicta, & facta: sed etiam tertij, de quo alij Euangelistæ scripsere, quoniam ab illis prætermissa sunt quædam, quæ Ioannes multum conducere iudicauit ad id quod agebatur.

Euangelium unde dictum.

Et quid significet.

Semper de bono nuncio dicitur.

Quartum est, de Titulo huius libri, qui est, Euangeliū secundūm Ioannem. ἐυαγγέλιον. Euangeliū, vt vox ipsa indicat, bonum, lœtumque nuntium significat, ab εὖ, quod est bene, & ἀγγέλων, quod est, nuntio. Hoc nomine Græci authores passim vtuntur, & etiam Cicero lib. 2. Epistolarum ad Atticum, Epist. 3. significat etiam plurali numero, præmium quod datur lœtum nuncium afferenti apud Homerum lib. 15. Odissæ. Cicero eodem lib. 2. Epistolarum ad Atticum, Epist. 12. inquit, O suaves Epistolas tuas uno tempore mihi datas duas, quibus euangelia, quæ reddam, nescio; deberi quidem planè fateor. Sed & 2. Reg. 4. vbi nos habemus: Cui oportebat me mercedem dare pro nuntio: Septuaginta Interpretes verterunt. Cui oportebat me euangelia dare. Est autem sciendum, verbum, בְּאָשָׁר apud Hebraeos, quo sæpe utitur Scriptura, significare idem quod, nuncio; sed semper de bono nuncio dicitur.

Et

Et propterea Septuaginta Interpretes solent semper interpretari illud verbo euangelizare: noster Interpres aliquando vertit euangelizare; aliquando nuntiare; seu annuntiare: Sed ita tamen, ut ex adiunctis semper intelligatur ad bonum nuntium referri; ut Naum 1. *Ecce super montes pedes euangelizantis;* id est, bonum, & lætum nuntium afferentis; videlicet mortuum esse Senacherib Regem; & ideo otio, & pace frui posse Iudeos: quod statim exponit, dicens: *Celebra Iuda festiuitates tuas.* Hierem. 20. *Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo,* dicens; *natus est tibi puer masculus, & quasi gaudio lætificauit eum.* Septuaginta verterunt: *Maledictus vir, qui euangelizauit patri meo.* Ex quibus locis, & ex similibus intelligimus, verbum euangelizandi in Scriptura non semper pertinere ad doctrinam Euangelij, & Noui Testamenti. Et Isai. 52. vbi nos habemus: *Quām pulchri super montes pedes annuntiantis, & prædicatoris pacem, annuntiantis bonum:* vtrobique pro annuntiantis, est in Hebreo verbum ἡγάγεις basar, pro quo Paul. ad Rom. 10. scripsit: *Quām speciosi pedes euangelizantiū pacem, euangelizatiū bona: & cap. 61. vbi nos habemus, Ad annuntiandum mansuetis misit me: Septuaginta, & postea Dominus ipse Luc. 4. dixit, euāgelizare pauperibus misit me. Cypr. autē lib. 2. contra Iudeos, cap. 9. Bene nuntiare pauperibus misit me. Similiter, Psal. 95. vbi habemus: Annuntiate de die in diem salutare eius; olim, ut nunc videmus in officio Ecclesiastico, legebatur: bene nuntiate de die in diem salutare eius. Ab hoc verbo deriuatur nomen, ἡγάγεις besora, quod significat Euangelium, siue bonum nuntium: vt 2. Reg. 18. *Si solus est, bonus est nuntius in ore eius.* Et similiter significat præmium, quod datur afferenti bonum nuntium: vt 2. Reg. 4. *Cui oportebat me mercedem dare pro nuntio;* in Hebreo est; *Cui oportebat me dare ἡγάγεις besora.* Ex prima significacione desumptum est nomen Euangelij ad significandam doctrinam Christi, & mysteria Noui Testamenti, siue illa, voce tradantur, siue scriptis. Et ratio est; quoniam per hanc doctrinam annuntiatur, & promittitur remissio peccatorum, & participatio diuinæ naturæ per gratiam, & demum hæreditas regni cælorum; ut rectè explicat Origenes in Praefat. Ioannis, & Eusebius lib. 1. de præpar. Euangel. cap. 1. Ita sumitur passim in Scriptura, ut ad Rom. 1. *Segregatus in Euangelium**

Ad significandam Christi doctrinam, & mysteria vox desumpta. Et cur.

Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos de filio suo. Et ibidem; Non enim erubesco Euangēlium. Virtus enim Dei est in salutem omni credenti. Marc. vlt. Prædicate Euangēlium omni creature. Sed & Euangēlium regni dicitur, quia promittitur in eo regnum cœlorum. Matth. 24. Et prædicabitur Euangēlium regni in uniuerso orbe. Et meritò: initium enim huius Euangeli fuit: Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cœlorum. Matt. 4. & cap. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœangelista lorum. Inde Euangeliſta dicitur, Prædicator quiuis Noui Testamenti, etiam si nihil scripſerit, Isai. 41. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt, & Ierusalem: Euangeliſtam dabo: quod, ut ibi ait Hieronymus, dicit de Apostolis, qui in toto orbe prædicauerunt Euangēlium. Et ad Ephes. 4. Et ipſe dedit, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas. Euangeliſtas, inquit Ambroſius, quales fuerunt septem diaconi, qui electi sunt ab Apostolis, Act. 6. Et patet apertissimè ex Act. 21. Intrantes in domum Philippi Euangeliæ, qui erat de septem; scilicet diaconis electis ab Apostolis. Et ita intelligitur illud 2. ad Timoth. 4. Opus fac Euangeliſta, ministerium tuum imple.

Apostolus emiū est Euangeliſta, non eccl̄trā. Itaque omnis Apostolus est Euangeliſta; non autem omnis Euangeliſta est Apostolus.

Ex dictis sequuntur duo: Primum est, fruſtrā quosdam ſufpicatos eſſe, ut refert Hieronymus in vita Lucæ, Paulum, cùm dicit ſecundum Euangēlium meum, ut ad Rom. 1. & 2. ad Timoth. 2. loqui de Euangēlio scripto à Luca, quod ab ipſo Paulo audiuit, cùm sit planus ſenſus ſecundum Euangēlium meum; id eſt, ſecundum doctrinam Christi, & Noui Testamenti, quam prædico. Secundum eſt, nomen Euangeli, nec nouè eſſe ad doctrinam Noui Testamenti accommodatum ab Apostolis, ut Erasmus existimauit in principio adnotatio-num huius capituli, & alij recentiores. Hoc enim falſum eſſe ſatis probatum eſt, ex locis Isaiæ adductis, quibus ſunt multa ſimilia. Inde libri ipſi, in quibus hæ promiſſiones regni ex- leſtis, & mysteria Christi ſcripta ſunt, vocantur Euangelia. Damascenus in libro de Barlaam, & Iosaphat non longè à principio, inquit: Sic enim Sanctus ille liber vocatur, quoniam im- mortalitatem, & vitam aeternam, & peccatorum remiſſionem, & regnum cœlorum, mortalibus nobis, & corruptilibus, & terrenis euange-

Euangelia qui libri vocentur.

euange

euangelizat. Receptum est enim apud omnes scriptores , vt libri nomina ipsa habeant rerum illarum, de quibus scribuntur; quemadmodum primus liber Moysis dictus est à Septuaginta, *Genesis*; quoniam continet *Genesim*; id est, productio-
nem rerum. Secundus dicitur *Exodus*; id est, exitus, quoniam scriptus est de exitu filiorum Israël ex Aegypto: & ita de cæ-
teris. Ita etiam liber dicitur *Euangelium*, quoniam continet bonum nuntium Christi. Ab hac significatione *Euangelista* dicitur scriptor Euangelij: atque hoc modo accepit Paulus *Euangelium*, 2. Corinth. 8. cùm de Luca dicit, *Misimus etiam cum illo fratrem, cuius laus est in Euangilio per omnes Ecclesias:* quemadmodum in eiusdem Lucæ vita scripsit Hieronymus.

Sed queritur hoc loco , an Vetus Testamentum possit ap-
pellari Euangelium ; quandoquidem continet omnia Christi mysteria ? Respondet Origenes in Præfatione Ioannis , non esse Euangelium : ratio est , quoniam Scriptura Veteris Te-
stamenti non ostendit Christum, eiusque mysteria quasi præ-
sentia; sed prænunciat quasi futura : Nouum verò Testamen-
tum ostendit Christum præsentem , dicens : *Ecce Agnus Dei,*
ecce qui tollit peccata mundi: & iste est bonus nuntius Euange-
lij , quod ostendit impletum , quod antea prædicebatur im-
piendum. Sed tamen , vt rectè notat idem Origenes , Vetus
Testamentum coniunctum est cum Nouo : Itaque eius finis
fuit initium Noui, quod à Ioanne Baptista prædicari cœpit : &
ideò Vetus Testamentum licet non sit Euangelium , est ta-
men initium Euangelij: vnde Marcus , cap. 1. *Initium Euan-
gely Iesu Christi filij Dei;* sicut scriptum est in Esaia Propheta : *Ecce
ego mitto Angelum meum , &c.*

Secundò queritur, an cæteri libri Noui Testamenti præter libros Euangeliorum , possint dici Euangelium ? Respondet Origenes, posse , etiamsi magis propriè hoc nomen sit libro-
rum Euangelistarum. Probat : Paulus enim dicit , *Primum Euangelium meum;* nec est ullus eius liber hoc nomine ; sed quidquid prædicauit , vel dixit, vocauit Euangelium ; quæ ve-
rò prædicauit , & dixit , hæc etiam scripsit : ergo eius scripta Euangelium sunt. Si verò eius Epistolæ sunt Euangelium , er-
go & aliorum Apostolorum Epistolæ erunt Euangelium : sed non ita propriè dici , facile probare possumus : nam quemad-
modum

*Libri sacri
vnde nomi-
na sibi de-
sumant.*

*Euangelista
vnde dica-
tur, & quis.*

*Vetus Te-
stamentum
an dici que-
at Euange-
lium.*

*liberum
vnde
etiam
etiam
etiam*

*Est initium
Euangelij.*

*Qui libri
dici possint
Euangelii.*

*Prophetia
ad quid,
& an lex
dici possint.*

*Evangeliij
author
Christus.*

*Evangeliū
hoc scripsit
Procorus
dictante D.
Ioanne.*

An. Caius.

modum in Veteri Testamento sunt Prophetiae, in quibus legis praecepta exponuntur; & sunt exhortationes & comminationes ad eiusdem legis obseruationem; nec tamen libri Prophetarum vocatur Lex, nisi valde latè sumpto vocabulo; sed propriè hoc nomen datur quinque libris Moysi, iuxta illud Lucæ ultimio, *Necess. est impleri, que scripta sunt in lege Moysis, & in Prophetis, & in Psalmis de me.* Ita Epistolæ Apostolorum, & Acta, & Apocalypsis licet contineant expositionem mysteriorum Euangelij, & exhortationes, & comminationes ad illud obseruandum; non propriè dicuntur Euangeliū: sed hoc nomen relinquunt libris quatuor Euangeliorum. Accedit secunda ratio, quæ subindicatur ab Origene; in cæteris libris Noui Testamenti non describuntur ex professo res gestæ, & sermones Christi, qui Euangeliū author est, & bonum nuntium hominibus attulit; & ideo isti propriè nomen Euangeliū habent. Quod autem additur in titulo *secundum Ioannem*; ideo fit, ut distinguatur à libris aliorum Euangelistarum, qui de re eadem aliter scripsere, quasi dicat; Doctrina, & res gestæ Christi, prout ab Ioanne scriptæ sunt. Hoc Euangeliū dictante Ioanne, scripsit Procorus unus ex septem Diaconis, vt testatur Simeon Metaphrastes in vita Ioannis. Refert enim Apostolum in montem ascendisse, ibique manibus eleuatis, & corpore erecto in extasim raptum fuisse; tunc horrenda tonitrua, & fulgura audita fuisse, demum tonitrua in vocem expressa sonuisse, *In principio erat Verbum, &c.* Quæ Procorus, qui exanimatus metu ceciderat, represso paululum metu trementi manu ex voce Ioannis, quæ ipsum erat tonitru locutum, excepit, & ad finem usque scripsit: hoc ipsum latius narrat ipse Procorus in Historia Ioannis, c. 46. quamuis Dorotheus Martyr in synopsi dicat, notarium Apostoli fuisse Caium discipulum Apostolorum, de quo Paulus Rom. vlt. *Salutat vos Caius hospes meus; & uniuersa Ecclesia.*

SANCTVM



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T I.

I. **N** principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. 2. Hoc erat in principio apud Deum. 3. Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est. 4. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum: 5. Et lux in tenebris lucet, & tenebre eam non comprehendunt. 6. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. 7. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes credent per illum. 8. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. 9. Erat lux vera, que illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 10. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. 11. In propria venit, & sui eum non receperunt. 12. Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: 13. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. 14. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à patre, plenum gratiae & veritatis. 15. Ioannes testimonium perhibet de ipso: & clamat, dicens: Hic erat, quem dixi: Qui post me venturus est, ante me factus est: quia prior me erat. 16. Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia. 17. Quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum Ribera in Euang.Ioan. B facta

facta est. 18. Deum nemo vidit unquam: unigenitus filius, qui est
 in sinu patris ipse enarravit. 19. Et hoc est testimonium Ioannis,
 quando miserunt Iudei ab Ierosolymis sacerdotes & Leuitas ad eum,
 ut interrogarent eum: Tu qui es? 20. Et confessus est, & non ne-
 gauit: & confessus est: Quia non sum ego Christus. 21. Et interro-
 gauerunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. Pro-
 pheta es tu? Et respondit: Non. 22. Dixerunt ergo ei: Quis es, ut
 responsum demus his, qui miserunt nos? quid dicas de teipso? 23. Ait:
 Ego vox clamantis in deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit
 Isaías propheta. 24. Et qui misi fuerant, erant ex Pharisaeis. 25.
 Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu
 non es Christus, neque Elias, neque Prophet? 26. Respondit eis
 Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem uestrum stetit
 quem vos nescitis. 27. Ipse est, qui post me venturus est, qui ante
 me factus est: cuius ego non sum dignus ut soluam eius corrigiam
 calceamenti. 28. Hec in Bethannia facta sunt trans Iordanem, ubi
 erat Ioannes baptizans. 29. Altera die vidi Ioannes Iesum venien-
 tem ad se, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.
 30. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui ante me factus est:
 quia prior me erat. 31. Et ego nesciebam eum, sed ut manifestetur
 in Israël, propterea veni ego in aqua baptizans. 32. Et testimonium
 perhibuit Ioannes, dicens: Quia vidi Spiritum descendenter quasi
 columbam de cælo, & mansit super eum. 33. Et ego nesciebam
 eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super
 quem videris Spiritum descendenter, & manenter super eum, his
 est, qui baptizat in Spiritu sancto. 34. Et ego vidi: & testimonium
 perhibui, quia hic est Filius Dei. 35. Altera die iterum stabat Ioan-
 nes, & ex discipulis eius duo. 36. Et respiciens Iesum ambulantem,
 dixit: Ecce agnus Dei. 37. Et audierunt eum duo discipuli loquen-
 tem, & secuti sunt Iesum. 38. Conuersus autem Iesum, & videns
 eos sequentes se, dicit eis: Quid queritis? Qui dixerunt ei: Rabbi,
 (quod dicitur interpretatum, Magister) ubi habitat? 39. Dicit eis:
 Venite & videte. Venerunt, & viderunt ubi maneret, & apud eum
 manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. 40. Erat autem
 Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus, qui audierant à Ioan-
 ne, & secuti fuerant eum. 41. Inuenit hic primum fratrem suum
 Simonem, & dicit ei: Inuenimus Messiam, (quod est interpreta-
 tum, Christus.) 42. Et adduxit eum ad Iesum. Intuitus autem eum

Iesus,

Iesus, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpretatur, Petrus. 43. In crastinum voluit exire in Galileam, & inuenit Philippum. Et dicit ei Iesus: Sequere me. 44. Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreae & Petri. 45. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem scripsit Moyses in lege, & Propheta, inuenimus Iesum filium Ioseph à Nazareth. 46. Et dixit ei Nathanael: A Nazareth potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus: Veni, & vide. 47. Vedit Iesus Nathanael venientem ad se, & dicit de eo: Ecce vere Israëlite, in quo dolus non est. 48. Dicit ei Nathanael: Unde me nosti? Respondit Iesus, & dixit ei: Priusquam te Philippus vocaret, cum esset sub fico, vidi te. 49. Respondit ei Nathanael, & ait: Rabbi, tu es Filius Dei, tu es Rex Israël. 50. Respondit Iesus, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub fico, credis: mainis videbis. 51. Et dicit ei: Amen, amen dico vobis, videbitis cælum apertum, & Angelos Dei ascendentis, & descendentes supra Filium hominis.

IN CAPVT I. SANCTI
IESV CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,

COMMENTARIA.

N principio.] Quoniam temporalis Christi generatio abunde fuerat à Matthæo, & Luca exposita, Ioannes statim incipit à diuina. Quod autem ait, *In principio*, variè ab authoribus exponitur. Primus sensus, idemque planissimus est; *In principio*, scilicet omnium creaturæ, & mundi, & temporum. Ita exponit Glossa interlin. & Montanus; in Scholiis; quasi dicat, cum omnes creaturæ cœperunt esse; & cum tempora cœperunt; non cœpit *Verbum*; Sed iam erat: semper enim fuit. Ex quo tollitur Titelmani trepidatio, vetentis exponere: *In principio*; scilicet temporis; immò refellentis ut impium, quasi necesse sit continuò hoc posito concedere, *Verbum esse Creaturam*. Secundus sensus, qui parum differt à primo, est: *In principio*; id est, ante omnia, antequām quidquam fieret. Ita exponit Hilarius, lib. 7. de Trinitate; & Augustinus 6. de Trinit. cap. 2. & Beda hīc; & idem intellexit Theophylactus, cum dixit; *In principio*, id est, à principio:

Temporalis
generatio
Christi ex-
posita à
S. Matthæo,
& Luca.
Sed diuina
à S. Ioanne.
Primus
sensus.

Secundus
sensus.

cipio : nam hac duo pro eodem sumuntur: vnde idem Ioannes prima Epist. c. 1. dixit , quod fuit ab initio , significans idem quod hic , cùm ait; In principio. Et confirmatur hic sensus ex Proverb. 8. ibi : Dominus posse dedit me in initio viarum suarum , antequam quicquam ficeret à principio : & Ecclesiast. 24. Ab initio & ante secula creata sum : propter cùm etiam Micheæ 5. scriptum est : Egressus eius ab initio , a diebus æternitatis : vbi Hieronymus exponit : Ab initio antequam quidquam fieret.

Sed queritur , quomodo hinc probari possit æternitas Verbi aduersus haereticos , cùm potuerit aliquid creari à Deo ante omnia secula , & ante omne temporis initium ; sicut multi ex veteribus Patribus dixerunt , Angelos multò ante cœlum & terram creatos esse à Deo : Respondetur ; hanc esse consuetudinem scripturæ , vt cùm æternitatem significare vult , his verbis significet ; Antequam fieret cœlum , aut terra ; ante secula : & similibus. Quod facit , vt accommodet se crassitudini intellectus humani : Vix enim possunt homines cogitare aliquam durationem antiquorem creati cœli , & initio temporis. Probatur Ecclesiast. 24. Ego ex ore Altissimi prodigi priogenita ante omnem creaturam ; & ad Titum 1. Quam promisit , qui non mentitur Deus ante secularia tempora. Vnde Proverb. 8. cùm dixisset : Ab initio , & ante , &c. continuò magis exponit , ab eterno ordinata sum , & ex antiquis antequam terra fieret. Eodem modo locutus est David Psalm. 109. Ex utero ante luciferum genui te. Et Dominus Ioann. 17. Clerifica me tu pater apud temetipsum , claritate , quam habui priusquam mundus esset apud te. Et Apostolus ad Ephes. 1. Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.

Ostenditur etiam æternitas Verbi ex verbo , erat , quod continuò additur , vt mox dicemus. Ex quo responderi potest obiectio , quæ fieri poterat ex illo : In principio creavit Deus , &c. Nam cùm rectè exponi possit ; id est , antequam quicquam fieret ; non tamen potest inde colligi , mundum ab eterno esse : Respondetur , inquam , etiam si , in principio , rectè ita exponatur , antequam quicquam fieret ; tamen illud antequam quicquam fieret ; ne significet æternitatem , restringitur verbo creari , quo cogimur ita intelligere ; cùm Deus res creavit , primum omnium creavit cœlum , & terram : At cùm dicitur ; In principio erat , non habet vnde restringatur ; sed manet in sua generalitate illud , antequam quicquam fieret. Non enim significatur aliquid esse factum quod durationem aliquam creatam , includat ; sed sunt verba de re , quæ iam erat , cùm res fieri coepertunt. Hæc responsio subindicatur ab Hilario , lib. 2. de Trinitate ferè in medio , & multò apertius à Chrysostomo Homil. 2. & à Theophylacto. Verba Theophylacti sunt , Quæ communio verbi , fecit , ad verbum , erat ? Evidem̄ siluisse , si hoc loco scriptum fuisset ; In principio fecit Deus filium ; nunc autem inquit , in principio erat : ex quo intelligo sempiternum fuisse Verbum , & non potius conditum , &c. Quare ve

Aeternitas
à sacra Scri-
ptura quo-
modo desi-
gnatur.

re verissimum est, quod scripsit Basilius in homilia quadam super hæc verba, designari his verbis æternitatem filij Dei. Ideò etiam Chrysostomus dixit homil. i. *In principio erat Verbum, nihil aliud significat, quam quod semper sit*: Et Euthymius ait; *nomen principium plura significat; hic autem propriè significat idem quod semper*.

Tertius sensus est: *In principio*; id est, in Patre: ita exponit *Ori-*
Tertius sen-
genes, & Augustinus, 6. de Trinitate cap. 2. & Cyrillus, & Beda, & sns.
Glossa vtraque, & Lyra: & S. Thomas etiam recipit hanc exposicio-
nem; ex qua aperte infertur consubstantialitas Filij, iuxta illud Ioan-
nis 14. Non credis, quia ego in patre, & pater in me est: & hanc exposi-
*tionem confirmat Cyrus ex Psal. 109. *Tecum principium in die virtu-**
tis tua: exponit enim, tecum o Christe erit Pater, cum veneris, ut iudices
uniuersum orbem, & ostendas virtutem, & potentiam tuam. At Titelma-
nus, & Ioannes Arboreus negant hanc expositionem esse satis aptam
huic loco; quoniam statim sequitur, hoc erat in principio apud Deum.
Si enim principium accipitur pro Patre, perinde esset, ac si diceret; hoc
erat in Patre apud Patrem. Similiter, si iam erat dictum, Filium fuisse
*in Patre; quorsum addendum erat: *Et verbum erat apud Deum?* Ni-*
hilominus dicimus, recipiendam esse hanc expositionem, & satis
germanam esse: Ad obiectionem autem Titelmani patebit responso
ex ipsorum verborum, quæ ipse affert, expositione.

Erat.] Adnotat S. Thomas, Euangelistam vti verbo, *erat*, ad *de- verbi, erat,*
signandam Verbi æternitatem: nam quod futurum est, nondum est significatio.
actu; quod est, non iudicatur, quod fuerit; quod autem fuit, iam
*præterit: at cùm dicitur *erat*, quia præteritum imperfectum est,*
significat aliquid fuisse, & nondum desisse; sed adhuc manere. Et
*ideo Ioannes, cùm de re æterna loquitur, vtitur verbo, *erat*; cùm au-
*tem de re temporali, vtitur verbo *fuit*. Vt, *fuit homo missus à Deo*, &c.*
Verbum autem præsentis temporis conuenit quidem æternitati, sed
*alia ratione; videlicet, quatenus significat actum sine mutatione exi-
*stentem: vt Exodi. 3. *Ego sum qui sum.* Hæc S. Thomas. Sed aduersus*
hanc doctrinam, quæ communis est, facile obiecere possumus illad
*i. Ioan. i. *Quod fuit ab initio.* Vbi cùm de Verbo loquatur, dixit, *fuit*,*
*& non, *erat.* Sed tamen respondere possumus; primò in Græco simi-
liter esse, quod erat à principio, non quod fuit. Atque ita legunt Græci*
autores, & Ambrosius lib. i. de fide cap. 5. & Theophylactus Ioan. i.
In principio: & Augustinus tractatu primo in eamdem Epistolam; vbi
*docet, idem esse principium Euangeli, atque Epistolæ *In principio**
erat verbum: Et quod erat ab initio. Atque ita facile repelli posset hac
obiectione. Sed vt translationem ipsam defendamus, & vt rem ipsam
magis explicemus, dicendum est, nostrum Interpretem fortè legisse,
quod erat ab initio: cùm enim ignorare non posset, quid differret inter
*erat, & fuit; si in Græco inuenisset *erat*, similiter transtulisset, sicut in*
*Euangelio: sed tamen quamvis in Græco legeretur *erat*; rectè vertere*
*potuit, *fuit*: est enim maximè adnotandum iuxta consuetudinem***

*Tempora
verborum
quid senent
in sacra
Scriptura.*

*Præteritum
imperfetti
quomodo
significet.*

Scripturæ, tempora verborum aliquando nihil sonare præter differentiam illam temporis præteriti, præsentis, aut futuri: Ali quando verò significant etiam permanentiam quamdam, & perseverantiam in illa differentia temporis: in præsenti, ut Exod. 3. *Ego sum qui sum.* Et Apocalypsis. 1. *Ego sum ἀλφα, & ὦμέγα, Alpha, & Omega; principium & finis;* id est, non modò sum, & postea non ero; sed semper sum. Et Ioan. 1. *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* & ibidem, *Ecce qui tollit peccata mundi:* & ibidem, *vñigenitus filius, qui est in sinu patris.* De futuro probauimus, hoc Oseæ. 1. *Fornicans fornicabitur terra à Domino;* & ibidem, *non addam ultra misericordiæ domini Israël, sed oblinione obliuiscar eorum;* id est, semper obliuiscar. Et Psal. 149. *Exultabunt Sancti in gloria, latabuntur in cubilibus suis.* Isaïæ. 24. *Et claudentur ibi in carcere,* & post multos dies visitabuntur. Idem fit in præterito; ut hic, erat lux vera; id est, semper fuit. Et Apocalyp. 1. *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat.* Et quamvis proprium sit præteriti imperfecti significare rem ita præteritam, vt nondum desierit esse, ac propterea Latinis dicatur *imperfectum*, Gracis autem *ταπετασις*: id est, extensuum, eò quod extendat significationem ad præsens tempus; tamen vtrumque præteritum promiscuè ponit solet in Scriptura, etiam cum de rebus externis loquitur ad connotandam permanentiam in illo præterito; ut Proverbiorum 8. *Ab æterno ordinata sum:* Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Psal. 109. *Ex vice ante luciferum genui te:* Immò apud Hæbraeos non sunt duo præterita, vt apud Græcos, & Latinos; Sed vnum, idque perfectum, quo vtitur Scriptura, sive de temporalibus rebus loquatur, sive de æternis. Quare cum potissimum Euangelista vtratur his præteritis ad connotandam permanentiam in illo præterito, & ad significandam æternitatem, nihil, aut parum admodum refert, vtturne, *Quod erat ab initio;* An *quod fuit ab initio.* Vnde Beda primæ Ioan. 1. inquit: *Quod hic ait, Quod fuit ab initio; hoc est, quod in Euangelio dicit: In principio erat Verbum.* Immò & in nostro Euangelio olim legebatur, *In principio fuit;* & ita citat Cyprianus lib. 2. ad Iudeos cap. 5. Nec necesse fuit adnotare Verbum non desisse esse: nam postquam semel indicatur semper fuisse; satis quoque constat, semper futurum esse. Hoc igitur significat hoc loco erat. Vnde Chrysostomus, homilia. 2. *Quemadmodum, est, si de homine dicatur, præsens dumtaxat tempus significat; si autem de Deo, sempiternum atque perpetuum;* itidem & erat. Basilius in Homil. citata. *o rem mirabilem, quomodo cuncte inter se voces congrue sunt coniunctæ: nam, erat, idem valet ac vox hec;* *In principio, &c.* Est ergo ac si diceret; cogita quodcumque initium creaturarum, quamecumque durationem; iam tunc erat hoc Verbum. Hilarius lib. 2. de Trinitate ferè in medio, *Quid est istud; In principio; erat 3 transiunt tempora, transcendunt saecula, tolluntur etates.* Pone aliquod quod voles tua principium opinione, non tenes tempore: erat enim unde tractatur. Idem ait Gregorius Nazianzenus, tractatu de fide paulò post principium. Ambro-
sius

sius, lib. i. de fide cap. 5. indefinite, erat, tenditur: Quidquid enim cogitaueris, erat filius. Omnes hereses hoc capitulo breui pescator noster exclusit: Quod enim erat in principio, non includitur tempore, non principio praeuenitur. Ergo Arius conticescat. Cyrillus: Si enim in principio erat; Quia mens poterit unquam ultra illud, erat, conuolare, aut quando illud, erat, mente ita tenebimus, ut cogitationes nostras non antecedat? Idem repetit paulo post: Ex his intelligimus, quam merito Concilium Nicenum Symbolo suo hac verba addiderit: dicentes autem, erat, quando non erat; aut non erat, antequam fieret; aut non extantibus factus est: hos tales anathematisat Catholicos, & Apostolica Ecclesia: dicebat enim Arius, erat, scilicet aliqua duratio, quando non erat, scilicet filius Dei.

Verbum.] In Graeco legitur Verbum, addito articulo ὁ λόγος, ut non de quo quis verbo se loqui ostendat; sed de eximio quodam, & omnium dignissimo; hoc est, de Filio Dei, ut notat Chrysostomus, homil. 2. Cur autem Filius Dei dicatur Verbum, ostendit eleganter Basilius, in homil. super hæc verba, dicens: cur Verbum? ut quod ex mente procedat, ostendatur: cur, inquam, Verbum? Quoniam sine motu genitum est: cur Verbum? quoniam imago est Patris, totum in se monstrans genitorem, nullam inde partem deducens; & perfecta in se existens, quemadmodum fere Verbum nostrum, quod totius nostre cogitationis imaginem refert. Aliam rationem affert postea, ut cum Filius dicitur Verbum, ostendatur eius coniunctio cum Patre. Haec quatuor rationes antequam alias addamus; sunt paulo latius explicandæ. Prima est; Quoniam Filius procedit ex mente patris. Et quidem Filium in diuinis procedere per operationem intellectus, eamque processionem propriissimè generationem dici, non est nobis hoc loco probandum: proprius enim huius disputationis locus est, 1.p. quæst. 27. art. 1. & 2. & eam explicat eleganter S. Thomas, 4. contrag. cap. 10. & 11. Tantum nobis quærendum est; an vera sit Doctrina Theologorum; id est, an probari possit ex Scriptura receptissima Scholasticorum sententia, Filium procedere per operationem intellectus, & ratione eius processionis reætè, ac propriè dici Verbum. Vtrumque affirmat communis opinio Theologorum, nec eorum commentum est; sed Sanctorum Patrum probatissima Doctrina. Augustinus latissimè vtrumque explicat, lib. de Trinitate, saepe, præsertim lib. 15. à cap. 10. usque ad 17. & etiam cap. 27. & Tractatu 1. in Ioannem; & vbi cùmque de Filij generatione loquitur. Et Hilarius lib. 2. de Trinitate prope medium, & saepe in illis Libris. Hieronymus, in Epistola ad Principiam Virginem, cuius initium est; Scio me Principia. Cyprianus, seu potius Russinus, in expositione Symboli; & latissimè Anselmus in Monologio, à cap. 28. per multa capita. Similiter Graeci semper idem docent, Origenes Tom. 1. in Ioannem, Basilius, lib. 5. contra Eunomium, & latè in homilia super hæc verba: Chrysostomus homil. 1. & 3. in Ioannem: Gregorius Nazianzenus, in tractatu de fide. Cyrillus & Theophylactus, & Euthymius, hic, Quod autem per operationem intellectus

*Verbum de
Filio Dei
intelligitur.*

*Filius Dei
cur Ver-
bum.*

*Filius quo-
modo proce-
dit à patre.*

proce

procedat, apertissimè docet Scriptura, Proi. 8. *Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: & ibidem, Ante omnes colles ego parturiebar.*

Concipi, & parturire in natura intellectuali. Concipi, & parturire in natura intellectuali non potest intelligi, nisi de iis quæ procedunt per operationem intellectus: vnde homines cogitabundos dicimus aliquid magnum parturire, aut aliquid magnum niente concepisse. Et Eccles. 24. *Ego ex ore altissimi prodidi. Prodidi enim ex ore, proprium est eorum, quæ mente concipiuntur.* Matt. 15. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exirent: cui simile est illud Psal. 44. Eructauit cor meum verbum bonum: Quod multi, ut hic ait Origenes, de Filio Dei interpretantur. Et de eo interpretatur hunc locum, & loca citata Gregorius Nazianzenus, loco citato. Denique nomen Sapientie passim in Scriptura tribuitur Filio Dei: vt 1. ad Corinth. 1. Christum Dei sapientiam, & Dei virtutem. Et Proverb. 8. & 9. Idque ob haec potissimum causam, quod procedat per intellectum, ut bene probat S. Thomas, 4. contrag. cap. 12. Et ob eamdem causam inquit Apostolus ad Coloss. 2. In quo sunt omnes thesauri Sapientia, & scientie absconditi.*

Sed queritur, cur dicatur *Verbum*, cùm per Verbum homines non solum vulgares; sed etiam sapientes, id tantum intelligere videantur, quod ore proferimus; atque ita Latini hac voce vtantur, sicut Græci nomine ιησος, & Hebrei nomine יְהוָה dabat? Accedit, quod, ut ait Gregorius Nazianzenus, in Epistola ad Euagrium Monachum de diuinitate, quæ est ante Epistolæ de Theologia; anima & eius sermo interior, quia res spirituales sunt, proprio nomine carent; nam cùm non videantur ab hominibus, non possunt propriè nominari.

Verbum quatuor modis diciatur. Ad huius rei intelligentiam notanda est Doctrina S. Thomæ 1. p. quæst. 34. art. 1. quæ est etiam Durandi in 1. d. 27. quæst. 1. *Verbum quatuor modis dici.* Primo modo *Verbum* dicitur illud, quod exteriori ore enuntiamus; quæ est notissima huius nominis significatio. Secundo, *Verbum* dicitur actus imaginationis quidam, quo concipiimus sermonem exteriorēm hoc aut illo modo formari, antequām formetur. Tertio modo dicitur *Verbum* interior mentis conceptus, quem appellamus *Verbum conceptum, Verbum cordis, mentis.* Quarto modo dicitur *Verbum* id, quod verbo significatur exteriori, iuxta quod dicere solemus, cùm aliquid factum ostendimus; hoc est *verbum*, quod dixi tibi, aut quod mandauit Rex.

Secundò dicunt, ex his acceptionibus tertiam esse maximè propriam; quoniam vox nisi aliquid significet, non dicitur *Verbum*: ergo verbum oris non dicitur *Verbum*, nisi quia est interpres quidam *verbis cordis*; similiter *Verbum imaginationis* non dicitur verbum, nisi quia ordinatur ad exprimendum ipsum verbum *cordis*; quare conceptus interior habet maximè rationem Verbi: quia est expressius rei, cuius est conceptus, & similitudo. Tres modi priores sumpti sunt, ut ipse S. Thomas indicat, ex Damasceno lib. 1. de fide cap. 18. & aperte colliguntur ex Augustino lib. 15. de Trinitate, cap. 10. Et omnes quatuor

quatuor facile probantur ex Scriptura: pro *Verbo oris* passim sumitur, vt Deuteronom. 32. *Audiat terra verba oris mei*: pro *Verbo imaginationis*, Iob 4. *Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies; sed conceptum sermonem tenere quis poterit?* Non solum enim cogitauerant res dicendas, sed etiam habebant in imaginatione similitudines vocum, quibus eas erant expressi: pro eo quod *Verbo significatur exterius*; vt Psal. 148. *Spiritus procellarum, qua faciunt verbum eius*. Lucae 1. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt*. Sumitur enim verbum iuxta vulgatam Scripturæ consuetudinem pro re, quam loquimur. Pro *Verbo cordis* accipitur apud Sanctos in locis supra indicatis, & apud Damascenum, loco citato, & apud Basilium, hom. 28. contra Sabellianos, & Anomæos; & apud Olympiodorum super Eccl. cap. 3. Et denique receptissimum est apud omnes Patres veteres tam Græcos, quam Latinos. Sed Augustinus, 15. de Trinitate, cap. 10. docet etiam in Scriptura esse valde vistatum, vt Psal. 13. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus*. Et Sapientia 2. *Dixerunt apud se cogitantes non recte, &c.* Cordis cogitationem appellat *Verbum*. Et Matth. 9. *Dixerunt intra se; hic blasphemat: & statim sequitur; Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum*. Et Luc. cap. 5. de eadem re loquens, *cœperunt cogitare Scribi, & Pharisæi, dicentes: Quis est hic, qui loquitur blasphemias?* Denique Dominus Matth. 15. duo ora esse docet; alterum interius, quod est cor; alterum exterius: & ita ponit duo Verba, cordis, & oris: *Non quod intrat in os coquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coquinat hominem*: Vt autem ostendat, hoc os quodnam sit; ex quo quæ exeunt, coquinant hominem, dixit: *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt: de corde enim exeunt cogitationes male, &c.* Atque hoc modo *Verbum* dici maximè propriè, aperte docet Augustinus, 15. de Trinitate, cap. 11. his verbis: *Verbum quod foris sonat; signum est verbi, quod intus lucet, cui magis Verbi competit nomen; nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, Verbumque; quia & ipsum dicitur propter illud, de quo ut foris appareret, assumptum est*. Idem ait Galatinus, lib. 2. contra Iudæ. cap. 3.

Respondetur igitur ad rationem dubitandi, nomen *Verbi* forte priùs datum esse *Verbo oris*: nam cùm priùs notum esset hominibus, priùs est nominatum, & inde accommodatum est ad *Verbum cordis*; quoniam, vt ait S. Thomas, lectione 1. in Ioannem, vistatum est in Scriptura, & in communis etiam sermone, vt signata nominentur nominibus signorum; vt Christus signatus per petram. 1. Cor. 10. *Petra autem erat Christus*. Sed tamen si consideremus rationem *Verbi*, quæ est, esse expressum alicuius, multò melius conuenit *Verba cordis*, quod est naturalis similitudo rei intellectæ; ideoque eadem semper est apud omnes gentes; & idem *Verbum*: nam, vt ait Aristoteles, primo de interpretatione: vt res sunt eadem apud omnes; ita & conceptus, atque affectiones mentis; literæ autem, & voces variae sunt pro varietate gentium, & linguarum: quare falsum

Ribera in Enarr. Ioan.

C

est

est, hanc *Verbi* significationem ignotam fuisse sapientibus : Quandoquidem Sancti eam tradunt, immo vero omnibus penè saeculis cognita fuisse videretur ; quandoquidem ob hanc causam non solum ab Ioanne Filius Dei dicitur *Verbum* ; sed etiam ab Scriptoribus Veteris Testamenti ; vt Psalm. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt*, &c. Et Psal. 106. *Misit Verbum suum, & sanavit eos*, &c. Et Psal. 118.

Filius Dei dicitur Verbum, etiam ab Scriptoribus Veteris Testamenti.

In aeternum Domine Verbum tuum permanet in cœlo : Quæ loca de Filio Dei exponit Damascenus, lib. 1. de fide, cap. 7. & Eusebius lib. 11.

de præparatione Euang. cap. 10. & illud Psal. 44. Eructavit cor meum Verbum bonum : quod similiter exponunt Nazianzenus, & multi alij, ut diximus. Huc pertinet illud Iob 33. Semel loquitur Deus, & secundo idipsum non repetit. Quæ verba exponens Gregorius, 23. Moraliū, cap. 19. ait ; loqui Dei, est Verbum genuisse : Et illud Psalm. 61.

Semel locutus est Deus, quod Gregorius loco citato, & Augustinus in Commentariis eiusdem Psal. exponunt de æterna Dei Filij generatione. Atque hoc ipsum notum fuisse Sapientibus Iudeorum, constat. Nam Isaiae 45. vbi nos habemus ; Israël salvatus est in Domino salute aeterna, vbi legimus, in Domino, in Hebreo est ἦν Ιεονα. Et Ionathas in sua paraphrasi Chaldaica transtulit ; Salvatus est in Verbo Dei : Et Osee. 1. vbi habemus, Saluabo eos in Domino Deo suo ; vertit idem Ionathas, In Verbo Domini Dei eorum. Huiusmodi multa loca refert Galatinus lib. 3. contra Iudeos, cap. 4. 3. & 5. Indicat hoc etiam illud Philonis, in libello de eo, quod deterius potiori insidiari soleat, quod refertur ab Eusebio, loco citato. Et est huiusmodi ; Decet omnes, qui scientiam querunt, ad Deum Patrem mentem erigere ; si vero nequsunt, ad imaginem saltem eius ; scilicet Verbum sacratissimum, & in eodem. Etsi nondum aliquis Filius Dei appellari dignus est ;

studeat tamen primogenitum eius Verbum Angelis omnibus antiquius, & quasi principem Angelorum imitatione sequi. Et in lib. de mundi opificio ferè in principio ait : Sicut id quod fit, est prius in mente artificis, ita mundi Ideam non alibi esse, quam in Verbo Dei, quod adornauit hac omnia. Et paulo post ait, Verbum Dei esse archetypum, exemplar, & Ideam Idearum. Et huiusmodi sunt multa in ceteris eiusdem authoris libris. Et non Iudei tantum ; sed etiam veteres Philosophi nonnulli & hoc Verbum agnouerunt, & ita locuti sunt, vt nos lo-

Trismegistus de Verbo Dei quid senserit.

Plato item.

Nam Mercurius Trismegistus in Pimandro, in primo Dialogo prope principium ita ait : Lumen illud ego sum, mens Deus tuus, antiquior quam natura humida, que ex umbra effluxit ; mentis vero germen Verbum lucens Dei filius. Et paulo post ; Mens autem Deus viriusque sexus fecunditate plenissimus vita, & lux cum verbo suo mentem alteram opificem peperit. Dicit etiam Verbum Dei, esse virtutem incretam, infinitam, ex Deo promanantem, perfectissimi primogenitum, & perfectum, & fecundum, ac verum, & germainum Filium. Plato etiam in Epimenide dicit Verbum Dei dinistrum cœlestes ordines excogitasse. De his nonnulla Ioannes Reuclin.

clin. lib. 3. de verbo mirifico, cap. 2. Plura Eusebius, loco citato. Sed adhuc plura Eugubinus lib. 1. de perenni Philosophia, à cap. 24. usque ad 29. ubi etiam citat Orpheum Græcis Poëtis antiquorem, qui in suis carminibus Filium vocat *Verbum duinum*, & *vocem*.

Sed illud non est prætercundum, quod Eusebius afferit ex Amelio, inter Platonicos Iuniores illustri authore; qui ita ait: *Hoc profecto erat Verbum quo ea quæ facta sunt, facta sunt: Quod etiam ipse barbarus putat in ordine principi, atque dignitate constitutum apud Deum esse, & eum esse per quod uniuersa simpliciter essent produlta; in quo quæ vivunt, vitam habent: Alludit autem, ut notat Eusebius, & ut verba ipsa aperte ostendant, ad principium Euangelij Iohannis, atque eum *Barbarum* vocat.* Est autem sciendum, omnia ista Platonem didicisse ab Hebræis, quorum libros legit, ut ibi ait Eusebius, & ab eo acceperunt Platonicæ: Didicit etiam ab Ægyptiis; nam & Mercurius, qui fuit multò antiquior Platone, post Moysen floruit, ut testatur Marsilius Ficinus in prologo eiusdem Mercurij. Ægyptij autem didicerunt & hoc, & alia multa ab Hebræis, cum quibus diu fuerunt. Sed & Galatinus, lib. 3. contra Iudæos cap. 3. refert cuiusdam Arabis Poëtæ dictum hoc: *Verbum quidem in corde est: sed lingua facta est, et sit cordis interpres.* Ex his sumitur prima ratio, quare Iohannes potius dixerit *Verbum*, quam *Filius*; vide licet, ut ostenderet eum esse conceptum intellectus paterni, & per intellectionem procedere.

*Plato unde
Verbi noti-
tiam ha-
buerit.*

*Mercurius
antiquior
Platone.*

*Verbum in
corde, lin-
gua cordis
interpres.*

*Iohannes cur
dixerit*

*Verbum, &
non Filius.*

Secunda ratio Basilij, cur Filius dicatur *Verbum*, est; quoniam sine motu genitus est; quam ipse postea magis explicat ad hunc modum: *Si dixisset, In principio erat filius; appellatione filii, cogitatio de passione generationis subiisset, quoniam apud nos genita & tempore, & passione generantur: mens autem nostra Verbum gignens nec scinditur, nec dividitur, nec fluit; sed manens tota in proprio statu verbum totum, & continuum emitit, &c.* Ostenditur itaque, nomine *Verbi*, spiritualis, & impassibilis generatio; non materialis, & passibilis, ut cum nos gignimur. Hanc rationem afferunt Chrysostomus, homil. 1. & 3. & Theophylactus, & Euthymius. Et hinc sumitur secunda ratio, cur potius dictum sit *Verbum*, quam *Filius*.

Tertia ratio Basilij satis explicata est. Quarta etiam ratio est aperta: nihil enim est cum mente coniunctus, quam *Verbum*, quod ex ea procedit. Quintam rationem desumere possumus ex Euthymio, qui ita ait: *Poterit quoque dicere quispiam, quod etiam si quasi definitio ad suum definitum, nam & hoc significat dictio ἡγοῦσα: qui enim, inquit, videt me, videt & Patrem meum. Ioan. 14. hoc est, intellexit, ut sit ipse Filius, tamquam brevis, ac facilis finitio naturæ Patris.* Hæc autem ratio nomini Græco conuenit, non Latino: nomen autem Græcum ἡγοῦσα, significare definitionem, nihil est apud Aristotelem, & apud Græcos usitatius; ut cum ait. *Ratio*

verò substantia secundum illud nomen diuersa. Idem dicendum est de rationibus, quas indicat Hieronymus in Epistola ad Paulinum, his verbis: *Logos enim Gracè multa significat: nam & Verbum est, & ratio, & supputatio, & causa uniuscuiusque rei, per quam sunt singula, que subsistunt, que uniuersa rectè intelligimus in Christo.* Quod ita Christus est videtur intelligendum. Ratio dici potest Christus; quoniam per eum omnia fiunt tamquam per rationem artificis: Vel, ut ait Origenes, tomo primo in Ioannem: *Quia quidquid in nobis est à ratione alienum, auctor prorsus, & nos preparat veritati, efficitque ita rationis particeps, ut omnia propter Deum facere assuecamus.* Supputatio etiam rectè dicitur; quoniam artifex cum opus aliquod artis suæ efficere parat, intra se cogitat, & supputat quæcumque facturus est, & quo ordine, & quo tempore singula sint facienda, quæ omnia pertinent ad verbum artificis, & ideo rectè hoc nomen Christo tribuitur.

Filius Patris interpres.

Vltima ratio est, ut Filius dicatur *Verbum*; quoniam est Patris interpres, cuius nobis & voluntatem, & mysteria explicuit, quod est proprium Verbi, ut Ioan. 15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis.* Hanc rationem videtur prima facie reicere Iansenius in concordia Euangelica, cap. 1. non tamen reicit, sed dicit non esse potissimum, unde Filius dicatur *Verbum*, quod est verissimum: ratio enim potissima est, quia est conceptio intellectus Paterni; alioquin non dicetur *Verbum ab æterno*; sed ex tempore; videlicet ex quocepit nobis explicare voluntatem Patris: nec formaliter diceretur: *In principio erat Verbum*, quod falsum est. Nihilominus hæc ratio non seorsum sumpta, sed adiuncta superioribus probanda est, & amplectenda: est enim Origenis, & Chrysostomi, homil. 2. & Theophylacti, & Euthymij, & Basilij. Ex quo intelligitur locus apud eundem Basiliū difficultis, lib. 3. contra Eunomium, cap. 11. licet horum librorum sectiones numeros non habeant, vbi inquit; *Dei quidem Verbum Filius est; Filii autem verbum, Spiritus; id est, ut Filius fuit interpres Patris, ita Spiritus sanctus veniens in Apostolos fuit interpres Filij, iuxta illud Ioan. 14. Ille vos docebit omnia, & suggesteret vobis omnia quæcumque dixerim vobis.* Ita interpretatur Basilium S. Thomas 1. p. q. 34. art. 2. ad vltimum. Præter has rationes, aliam assert Montanus, ut *Verbum* capiatur pro re, quod saepe solet fieri in Scriptura, quam desumptis ex phrasibus Villaucentij; ut sit sensus; In principio erat illa realitas, illa res omnium realissima. At mihi nullo modo probatur hæc expositio: Ioannes enim sine dubio de persona Filij loquitur, cuius æternitatem demonstrare vult contra sui temporis hæreticos: Deum enim in communia, aut etiam Patrem nemo dubitabat esse æternum. Si autem *Verbum* hic acciperetur pro re, siue pro realitate; iste sensus non magis pertinet ad Filium, quam ad alias personas, aut ad Deum in communia;

Spiritus Verbum Filij.

& ita

& ita Ioannes minimè efficeret id quod vult. Præterea sciendum est, nomen Hebraicum, **דְּבָרָה** *dabar*, quod in Scriptura aliquando accipitur pro *Verbo* propriè, aliquando pro *re* *graui* (quod est fundamentum horum authorum) licet *vnum sit*; tamen à Græcis non *vno*, sed duobus nominibus exprimitur. Cùm enim sint apud Græcos hæc duo nomina, **φῶνα** & **λόγον**: **φῶνα** deriuatur à dicendo; **λόγος** autem rationem, & considerationem includit sua significatione. Quare Euangelistæ, cùm rem significare volunt, nunquam vtuntur nomine **λόγος**; sed nomine **φῶνα**, vt Matth.4. *Non de solo pane vivit homo, sed de omni verbo, quod procedit de ore Dei:* & Lucæ primo: *Non erit impossibile apud Deum omnē Verbum.* Et c.2. *Videamus hoc verbum, quod factum est,* &c. At Ioannes hic vtitur nomine *logos*. Septuaginta etiam Interpretes ita religiosè hoc obseruant, vt vix aliquando vtantur nomine **λόγος**, quando capitul pro *re*, vt Exod.1. *Quomodo palam factum est verbum istud?* Et c.9. *Cras faciet Dominus verbum istud in terra:* fecit ergo Dominus verbum hoc altera die. Deuteron.8. *Sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Et huiusmodi sunt plurima loca, in quibus semper ponunt **φῶνα**: quare si Ioannes hic pro *re* acciperet, sine dubio vteretur nomine **φῶνα**; & non nomine **λόγος**. Sed quæritur, cùm *logos* tam Verbum, quam *Rationem* significet, cur noster Interpres, & Sancti maluerint uti nomine *Verbi*, quam *Rationis*? Ad hoc respondet Augustinus, lib.83. quæstionum, quæstione 83. his verbis: *Quod Græcè λόγος dicitur, Latinè Rationem, & Verbum significat; sed hoc loco melius Verbum interpretamur, ut significetur non solum ad Patrem respectu;* sed ad illa etiam, que per Verbum facta sunt operativa: ratio autem etiā nihil per illam fiat, recte ratio dicitur. Quam doctrinam explicat D. Thomas hic, &c. i. p. q.34. art.3. vbi etiam ita explicat: *Verbum in mente conceptum est representatum omnis eius, quod actu intelligitur: ergo cùm Deus cognoscat omnem creaturam, Verbum patris est expressuum non solum Patris, sed etiam creaturarum.* Scientia autem Dei respectu ipsius est cognoscitua; respectu autem creaturarum est & cognoscitua, & factua; & ita Verbum est expressuum Patris; creaturarum autem non solum expressuum; sed etiam operativum; & propterè dicit relationem ad creaturam; & hoc est quod dixit Augustinus: intererat autem Evangelista hunc respectum ad creaturas exprimere: quoniam volebat ostendere Verbum non esse creaturam; sed factorem omnium creaturarum, quod hic notauit S.Thomas.

Postremum dubium est; cur potius dictum sit, *In principio erat verbum*; quam *In principio erat Sermo*; & an sit tollerabilis ista translatio, *In principio erat sermo.* Hoc quærimus propter Erasimum, qui vertit, *In principio erat sermo, & sermo erat apud Deum;* quæ versio magnam illi conciliavit inuidiam apud multos. Arboreus dicit nihil referre, vtrum *Verbum* dicatur, an *sermo*: *Sed in museo, inquit, tuo dic, In Aliborei principio erat sermo; in Ecclesia vero dic, In principio erat verbum.* At opinio. Erasmus contendit, vim Græci nominis magis sermone exprimi, quam

*Sciètia Dei
& cognosci-
tiua & fa-
ctua,*

*Erasmi di-
uersa trans-
latio.*

Verbo, quod latius in Apologia de hoc scripta probata conatus est. Adducit in his locis Scripturae testimonia, & Sanctorum. Constat enim *Filiū Dei* saepe vocari à sanctis sermonem, ut ab Hilario lib. 2. de Trinitate, in medio; & saepe in illis libris: & ab Hieronymo Esai. 11. in principio. Cyprianus, 2. Contra Iudeos, c. 3., hanc ponit inscriptionem, quod Christus idem sit *sermo Dei*: & adducit ad hoc multa loca, in quibus suo tempore non *Verbum* legebatur, ut nunc; sed *Sermo*; ut Psal. 32. *Sermone Domini cœli firmari sunt*: & Psal. 44. *Eruerunt cor meum sermonem bonum*. Psal. 106. *Misit sermonem suum*, & sanuit eos: & Isaia 10. *Sermonem breuiatum faciet Dominus super terram*: constat etiam in Evangelio Ioannis olim lectum esse, *In principio fuit sermo*, & *sermo erat apud Deum*; ut patet ex Cypriano eodem libro c. 5. & ex Augustino tract. 18. in Ioannem: Vbi Augustinus dicit, idem esse Sermonem, & Verbum; & vbi nos legimus Ioan. 17. *sermo tuus veritas est*, potuisse eadem ratione legi, *Verbum tuum veritas est*: adducit, & ex nostra Translatione testimonium Erasmus, Sapientia 18. *Cum enim quietum silentium continerent omnia*, & *nox in suo cursu medium iter haberet*, omnipotens *sermo tuus Domine exiliens de cœlo*, &c. Nec possumus negare, de Filio Dei intelligi, cum Ecclesia his verbis utatur in Officio Dominicæ infra octauam Nativitatis.

*Sermo quip-
piam cōpo-
situm.* Respondetur: nos non negare Filium Dei recte etiam dici *sermonem*; sed dicimus, multò aptius esse nomen, *Verbi*, hoc loco, quam *sermonis*. Hoc ipsum respondet Iansenius; & probat ita: *Filius dicitur Verbum à similitudine conceptus mentis*: *Conceptus autem mentis multò melius propter suam simplicitatem dicitur verbum, quam sermo. Sermo enim videtur quidpiam compositum esse*.

Secunda ratio eius est, quod *Verbum* generalius nomen est, quam *sermo*: nam interdum tota oratio dicitur *Verbum*, ut Hieremias 7. *Verbum, quod factum est ad Hieremiam*; quare quacumque ratione quis Filiū Dei sermonem dixerit, eadem & *verbum* dicere poterit; non tamen è contrario, ut ostensum est in secunda ratione.

*Sermo omnis
ad linguam
aliquam
pertinet.* Ego autem probo hoc ex Augustino 15. de Trinitate, c. 10. *Quisquis igitur potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione voluantur*: hoc enim est quod ad nullam pertinet linguam, earum scilicet, que lingua appellantur gentium, quarum nostra lingua Latina est: *quisquis, inquam, hoc intelligere, potest; iam potest intelligere per hoc speculum, atque in hoc enigmate aliquam verbi illius similitudinem, de quo dictum est: In principio erat verbum*. Et idem repetit c. 11. At vero conceptus ille mentis, qui ad nullam linguam pertinet, valde propriè dicitur *Verbum*, ut probatum est: sermo autem non videtur propriè dici: nam omnis sermo quamvis interior sit, ad linguam aliquam pertinet. Quare, ut omnia conciliemus, dicimus Filiū recte dici *Sermonem* aliis rationibus; ut quod sit imago Patris totum eum repräsentans; Quod sit quasi quædam definitio Patris; Quod per eum nobis pater loquatur. Sed quatenus est conce

conceptio in intellectu paterno producta; propriissimè dicitur *verbum*; sermo autem non admodum proprie.

Ad argumentum autem, quod Erasmus sumit ex veteri translatione, pro nobis facit. Ideo enim ex omnibus illis locis exclusum est nomen *sermonis* in nostra translatione, quia minus aptum erat, quam nomen, *Verbi*; præsertim cum Hieronymus dicat in præfatione Evangeliorum ad Damasum, se in illis nihil ex veteri translatione correxisse; nisi ea tantum, quæ sensum videbant mutare, & tamen hoc correxit. Ad locum Sapientiae facile respondere possemus; nihil ex illo probari, sed nec verba ibi fieri de Filio Dei: sed *sermonem* ibi vocati Dei præceptum, mittentis Angelum, ut interficiat primogenitos Ægyptiorum: ita enim exponunt ibi Iansenius, Lyra, Hugo Cardinalis; immo & Bonaventura. Nec obstat huic expositioni officium Ecclesiasticum: docent enim Bonaventura, & Hugo, qui ad hoc citat Rabanum, sensu spirituali intelligi haec verba de filio Dei, & hoc satis est officio Ecclesiae: possumus enim dicere, illud fuisse figuram Christi venturi, ita ut *sermo* non dicatur de Christo proprie. Quare hic locus non est omnino firmus ad probandum, quod vult Erasmus. At ego omnino arbitror, sensum literalem esse de Filio Dei; sicut intellexisse videtur Dionysius Carthusianus: Nam & Filius Dei multò magis proprie dicitur Omnipotens, quam præceptum Dei; & in Graeco *sermo*; id est, ριτός ponitur cum articulo, ut hic apud Ioannem, ut ostendatur *sermo* aliquis eximus. Itaque Angelus descendit, ut interficeret primogenitos Ægyptiorum, & haec cades eorum tribuitur Filio Dei, qui descendisse dicitur per Angelum, aut per virtutem suam; quoniam ipse ab æterno decreuerat descendere de cœlis, & liberare electos suos: Et quoniam illa liberatio filiorum Israël de potestate Pharaonis, figura erat hominum per eundem Dei filium liberandorum de potestate diaboli, meritò canitur ab Ecclesia tempore Nativitatis, quod Filius Dei apparuit, ut homines liberaret. Atque hic cum vertere licet è Graeco *Verbum*, vel *sermo*; nomen sermonis visum est Interpreti aptius, ut quoniam descendit eo loco, ut virtutem suam omnibus ostenderet per miracula interficiendo primogenitos, & educendo populum suum per mare rubrum, &c. *Sermo* potius appellaretur, quam *Verbum*. Nam *sermo* dicitur, cum res aliqua per plura explicatur, & ostenditur: quamuis non negauimus recte dici sermonem; sed tantum affirmauimus, melius dici *verbum*, quod satis indicat nostra translatio semel vfa nomine *sermonis*, & toties *Verbi* nomine.

Et verbum erat apud Deum.] Quoniam præuidebat Euangelista per Spiritum sanctum, fore aliquando Sabellianos hereticos, qui confundenter personas, & Trinitatem solis nominibus distinguenter, docet *Iohannes*, aliam esse personam Patris, aliam Filii; quam veritatem eleganter confirmat *Cyrillus* hic.c.2. Idem enim non dicitur proprie esse apud se, sed apud alium. Est igitur altera Verbi hypostasis coniuncta *Hypostasis* *Fili, distin-* quidem

Prægeni-
terū Aegy-
pti cades
tribuitur
Filio Dei
quomodo.

Ea ab hypo-
stasi Patri. quidem Patri, quia est eiusdem naturae; sed tamen distincta ab hypo-stasi Patri. Et ideo dicit, *apud Deum*: ita hunc locum Sancti intelligunt, Basilius in homil. super haec verba, Cyrillus, Euthymius, & Hilarius lib. 2. de Trinitate in medio, Augustinus lib. de Trinitate c. 2. Quamuis Augustinus ait, *apud Deum*; id est, in Deo, Filius in Patre: vt cum dicitur, animus est apud hominem; id est, in homine. Hilarius, & Theophylactus exponunt, *apud Deum*; id est, cum Deo Patre, quod magis ostendit distinctionem personarum. Omnipotens unus est prepositione, *apud*, vt nos vtimur, cum significamus aliquos simul esse, & habitare in eodem loco. Et ita Graeci saepe vtruntur prepositione πρός, quæ est in Graeco: Vnde Marc. 6. vbi nos habemus, νόννε σοροείντις hic nobiscum sunt? pro nobiscum, est in Graeco, πρός ημᾶς.

*Caietanus
reiicietur.*

Ex quo patet, reiiciendam esse expositionem Caietani, qui putat, dici posse *apud Deum*; & *ad Deum*; quoniam prepositio πρός, etiam significat *ad*, vt significetur Verbum relatiuè dici ad Patrem: reiicenda, inquam, est; quia omnes Sancti tam Graeci, quam Latini ita intellexerunt; vt est in nostra translatione, & meritò; quoniam eruditissimi quique Graecorum ita loquuntur: Deinde quoniam Verbum non dicitur relatiuè ad Deum; cum Deus sit nomen absolutum; sed ad Patrem. S. Thomas optimè haec exponit. Docet prepositiones *in*, & *apud*, importare coniunctionem quandam rei significatae per rectum, ad rem significatam per obliquum: sed, *in*, importare coniunctionem intrinsecam, vt Ioh. 14. *Non credis, quia ego in Patre: & pater in me est?* Apud vero significat coniunctionem extrinsecam: itaque Filius est in Patre; & apud Patrem. Cum dicitur *esse in Patre*; magis significatur consubstantialitas; quamvis ex consequenti significetur etiam distinctio personarum; quoniam propriè una, & eadem persona non est in se, & omnis prepositio est transitiva: cum dicitur *esse apud Patrem*, magis significatur distinctio personalis; sed significatur etiam consubstantialitas ex consequenti, quatenus haec prepositio, *apud*, significat coniunctionem quandam. Significatur etiam hac prepositione, *apud*, subsistentia in recto: non enim dicitur *esse apud alium*, nisi quod habet subsistentiam per se; sicut non dicimus propriè, albedinem esse apud parietem. Hoc etiam notat S. Thomas; & paulò post in sequentibus verbis adnotat Cyrillus. Ex hac adnotatione S. Thomæ intelligimus, cur notauerit Basilius non esse dictum, & *Verbum erat in Deo*; sed *apud Deum*: vt scilicet intelligeretur hypostasis Verbi esse distincta à Patre: secundò intelligitur, quamvis principium capiatur pro Patre, re- & postea additum esse *apud Deum*; quoniam & in Patre, & apud Patrem est Filius. Et per hoc respondeatur ab obiectionem Titelmani, propter quam ille reiiciebat hanc expositionem, *In principio*; id est, in Patre. Et his etiam verbis probatur satis aeternitas Verbi; cum enim semper fuerit Deus Pater, semper Verbum fuit apud Patrem: & hoc significat, cum dicit, *erat*; quasi dicat, nunquam non fuit, vt iam ex- posuimus.

*Aeternitas
Verbi.*

Et Deuterat verbum.] Quoniam indicata est coniunctio Verbi cum Patre verbis praecedentibus; nunc aperit, qualis sit ista coniunctio, & ait; *Deus erat verbum*; id est, eiusdem cum Patre substantiae, vt ait Theophylactus; similiter exponit Augustinus 6. de Trinitate, c. 2. *Deus erat verbum*; id est, Verbum, quod non est Pater, Deus erat simul cum Patre; ita etiam Cyrillus.

Coniunctio
Verbi cum
Patre qua-
li.

Quod si querat aliquis; unde sequatur, Verbum esse eiusdem substantiae cum patre, ex eo quod dicatur *Deus*? Respondetur, ratione naturali abunde probari, & Scripturam aperte docere, Deum non posse esse nisi unum. Deuter. 6. *Dominus Deus meus unus est*. Cum igitur Hæretici ipsi fateantur, Patrem natura sua esse Deum, nec possit esse nisi unus Deus; necessario sequitur, si Filius Deus sit, unum Deum esse cum Patre. Ad cuius rei confirmationem notat Hilarius lib. 7. de Trinitate paulo post principium, & eum secutus S. Thomas, Filium hic dici simpliciter Deum, & sine ullo addito. Quamuis Angeli, & homines aliquando hoc nomen fortiantur; tamen solet aliquid addi, unde intelligatur, non illis natura conuenire, sed participatione; vt cum Moyysi dicitur, Exod. 7. *Constitui te Deum Pharaonis*, non dixit *Deum*, ait Hilarius, seu *Deum Pharaonis*: Datus est Deus Pharaoni, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur. Et præterea aliud est, Deum constitui, siue dari; aliud, esse Deum: qui enim per naturam Deus est, non constituitur, siue datur. Affert Hilarius & illud Psalm. 81. *Ego dixi, dixi estis*; & docet ibi etiam aliquid addi, ex quo intelligatur illud nomen non esse hominum, sed dari eis à Deo. Propterea enim ait, *Ego dixi*, quasi dicat: ego volui vos hoc honore donari; non ex natura vestra, sed ex mea voluntate nomen Deorum habetis: quemadmodum in hoc cap. docet Ioannes, *Dedit eis pastestatem filios Dei fieri*.

*Deus esse
non posset
nisi unus.*

*Angeli &
homines
quemodo
dicantur
Dij.*

Est etiam notandum, hoc loco, *Deus*, prædicatum esse, non subiectum: ita intelligent Sancti, Basilius in homil. super hæc verba, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Origenes, Augustinus loco citato, Hilarius lib. 2. de Trinitate in medio, & lib. 7. paulo post principium. Sed licet accipiatur, vt subiectum, vt reuerè accipi potest; idem erit sensus; id est, una ex diuinis personis est hoc Verbum, de quo loquor. Sed obstat videtur doctrinæ traditæ, quod cum ait, *& Verbum erat apud Deum*; *Deum* posuit cum articulo; cum vero dicit, *Deus erat verbum*, ponitur *Deus* sine articulo. Ex quo Origenes in turpissimum errorum lapsus est; ita ut affirmauerit, Patrem solum esse Deum per essentiam; error. Filium autem non nisi per participationem. Ad hanc obiectionem Chrysostomus, homil. 3. prætermisso nomine Origenis eleganter responderet; saepe etiam Patrem dici Deum sine articulo, vt in hoc cap. fuit homo missus à Deo, cui nomen, &c. quod ibi notat Chrysostomus; Et cap. 4. *Spiritus est Deus*: & ad Philippen. 2. non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Et ad Rom. 1. *Gratia vobis, & pax à Deo patre*, &c. Econtratio Filius solet dici Deus cum articulo, etiamsi ponatur loco prædicati:

Ribera in Enarr. Ioan.

D nihil

nihil enim refert ad hoc, subiectumne sit, an prædicatum, ut ad Titum 2. Spectantes beatam spem, & aduentum gloriae magni Dei, & Salvatoris nostri Iesu Christi. Et ad Rom. Ex quibus est Christus, qui est super omnia Deus benedictus. Et 1. Ioannis vlt. ut simus in vero Filio eius, hic est verus Deus. Quod autem modò articulo vsus non fuerit, causa est, ut eleganter notat Caietanus, quoniam, cum dixisset, & verbum erat apud Deum, Patrem significans, si statim cum articulo diceret, Deus erat verbum, prorsus videretur affirmasse, eamdem esse personam Patris & Filij. Cæterum æqualitatem Patris & Filij optimis argumentis confirmat Cyrillus super hæc verba.

Hoc erat in principio apud Deum.] Origenes, & Basilius homil. citata, & Euthymius putant, Euangelistam voluisse tantummodò colligere, quæ hactenùs dixerat de diuinitate, & coæternitate Filij; quoniam volebat transire ad ostendendam eius potestatem. Idem ait Cyrillus: sed affert aliam rationem, præuidisse scilicet Ioannem per Spiritum fuisse Eunomianos hæreticos, aliud esse Verbum Dei Patris internum, aliud Unigenitum eius Filium, per quæ pater cuncta creavit, qui Verbo illi interno similis est, contra quos eruditè hic disputat Cyrillus, t. 4. Quod si quæras, quid necesse fuerit, tam citò epilogum facere? Respondeo, ut ostenderet, omnia quæ dicta sunt vni, atque eidem Iesu Christo Domino nostro, de quo Euangelium scribit, conuenire; & simul conuenire, ut notauit Origenes: quasi dicat; Verbum illud, quod erat in principio, & quod dixi esse apud Deum, atque ipsum etiam Deum esse, semper fuit apud Deum; & ipsum semper fuit Deus: & hoc ipsum idem est, per quod omnia facta sunt.

Omnia per ipsum facta sunt.] Cyrillus; Deitatis maiestatem etiam hac verba unigenito Dei Filio attribuunt, cum omnia naturaliter, ac verè ipsi inesse ostendunt, quæ Deo Patri dicuntur inesse, &c. Quare ex his verbis eleganter Augustinus, tract. i. argumentatur contra Arianos; omnia facta sunt per Verbum: ergo Verbum ipsum non est factum: Si autem est factum: ergo per aliud Verbum est factum: nam omnia per Verbum facta sunt. Si igitur hoc Verbum factum est per aliud, ipsum ultimum Verbum, per quod hoc factum est; voco ego Unigenitum Filium Dei. Sed obstat nobis Origenes, qui audacter pronunciat; nunquam principem locum habet particula, *Per*, sed semper secundum: ut ad Rom. i. Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos: & ibidem; per quem accepimus gratiam, & Apostolatum: Et propterea colligit ex hoc loco, Filium minorem esse Patre, quasi fuerit Patris minister in creando; quod Ariani postea dixerunt. Et Eusebius lib. i. Hist. Ecclesiast. c. i. vbi referens illud Ps.

32. *Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creatura sunt:* quibus verbis Patrem inducit factorem, tamquam viuusalem principem regali suo nutu præcipientem; sermonem verò Dei illi secundo addit, non alium ab eo, qui inter nos prædicatur, paternis iussionibus obsecundantem. Respondeo: Turpiter hæc errasse Origenem, quādoquidem præpositio, per, ut notat Theophylactus, Euthymius, & S. Thomas, sèpe tribuitur in

Eunomia-
norum he-
reticis.

S. Auguſti-
ni argumē-
tum in
Arianos.

Origenis er-
ror.

Et Eusebij.

Reſpons.
Per tribui-
tur sapo

Scriptu

Scriptura causæ principali; vt 1.ad Cor. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati causa principis in societatem Filij eius: & 2.ad Corinthios 1. Paulus vocatus Apostolus cipali.*
Iesu Christi per voluntatem Dei ad Galat. 1. Paulus Apostolus non ab hominibus, neque per homines, sed per Iesum Christum. Et simile est illud Propterea. *Per me reges regnant, &c.* Itaque iuxta consuetudinem Scripturæ, per aliquando indicat causam principalem, vt probatum est; aliquando vero causam medium, siue sit superior haec causa media, siue inferior, siue æqualis. Quando causa media est inferior, iam probatum est ex illis verbis, quod ante promiserat per prophetas suos. Quando causa media est æqualis, vt Actuum 1. *Visque in diem, qua precipiens Apostolus per Spiritum sanctum, &c.* Et 1. Cor. 2. *Nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Quando causa media est superior, vt ad Rom. 6. *Vt quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam patris:* Christus enim secundum naturam humanam, in qua resurrexit, minor est Patre: & Hebrei, apud quos accipitur, in propter, passim ita loquuntur, vt Ps. 43. *Inte inimicos nostros vestigabimus cornu.* Et Ps. 17. *In te eripi a tentatione, & in Deo meo transgrediar muri;* & nos etiam sæpe ita loquimur, vt per Dei auxiliū vici peccatum. Et Gen. 4. *Possedi hominem per Deum.* Quare cum, per aliquando significet etiam causam principalem, nihil vetat hoc loco exponere per ipsum; id est, ab ipso; vt per quem vocati estis; id est, a quo: Quemadmodum de Patre dicit Apostolus ad Rom. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Iansenius negat hunc sensum esse Ioannis; sed leui profecto arguit, quoniam, inquit, videtur velle Evangelista, omnia facta esse a Patre per Filium: Cùm in promptu sit Responsio, hereticos nō dubitasse Patrem auctorem esse creaturarum; quandoquidem & Filij dicebant esse Creatore; Ideoque Ioanni necesse nō fuit de Patris potētia disputatione: quoniam autem Filium dicebant esse Creaturā, merito docet, omnia facta fuisse ab eo. Nihilominus & communior, & aptior expositio est: Omnia per ipsum facta esse; quoniam est Verbum, & in ipso sunt Ideæ omnium rerum: quare ut artifex omnia operatur per Ideas, quas haber in mente; ita Pater per Verbum suum creavit omnia, quod melius intelligitur ex sequentibus; & sine ipso factum est nihil; id est, nihil creavit Pater sine ipso. Quod autem nihilominus Filius absolutè dicatur Creator omnium, videmus aperte, vt notat Theophylactus Ps. 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli;* Quæ verba de Filio Dei dici & ex præcedētibus satis intelligitur, & apertius ex Apostolo ad Hebreos 1. qui de Filio interpretatur. Cyrillus inquit, *Omnia per ipsum facta sunt tanquam per Dei Sapientiam, & Dei virtutem.* Nam hec duo per appropriationem tribuuntur Filio. 1. ad Cor. 1. *Christum Dei Sapientiam, & virtutem.* Artifex autem omnia operatur per suam sapientiam, & virtutem. Ad locum psal. 32. quem pro se adducunt Eusebius, & Ariani, & quem eodem modo Orig. interpretatus est Tomo. 2. Responde, nihil aliud his verbis significari, quam quod a Ioanne dictum est; Omnia facta esse per Verbum Dei, iubetis ut fierent: quæ admodum videamus, Gen. 1. *Fiat lux: & facta est lux,* Itaque cum dicitur ipse mandauit, &c. Significat omnia creasse

Aliquando
causa me-
dia.

In Filio
sunt Ideæ
omnium re-
rum,

sine vlo labore, sine vllis machinis, solo Verbo, quod propriè est imperantis. Qui enim imperat, sine labore facit, vt sit id, quod imperat. Possumus etiam accipere, mandauit, pro decreuit, seu constituit; sèpe enim ita accipitur in Scriptura, non quòd fuerit persona aliqua, cui præceperit. Hieronymus ibidem ita respondet Arianis, & Eunomianis: *vna natura iubet, & facit; Deus iubet, & facit; iubet pictor, vt pingat pictor; & pictor pingit quod pingi præceperat pictor.* Postremò nota, nullo modo probari hinc, quod haeretici volebant, quibus Origenes non obscurè fauet, factum esse Spiritum sanctum: non enim loquitur simpliciter de omnibus: sed de iis, quæ facta sunt.

Lectio du-
plex.

Macedonia-
norum falsa
expositio.

Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.] Hæc verba duplice habent lectionem: prior est, vt sententia finiatur, vbi ait; *factum est nihil:* & noua incipiat, vbi dicit; *quod factum est, &c.* Hanc sequuntur Augustinus, Beda, Rupertus, Lyranus, & interlinealis; & fere Latini expositores; & ita legitur in pluribus codicibus Latinis, immò & Cyrillus ita legit hic, & in expositione Symboli Nicæni, quæ ponitur post Concilium Ephesinum, & Origenes tomo secundo & tertio. Iuxta hanc lectionem Augustinus, lib. de natura boni, contra Manichæos, c. 25. in principio, aut iuxta alios codices, in fine capititis 24. exponit, *sine eo factum est nihil;* id est, quidquid factum est, non absque eo factum est: vel quidquid subsistit in rebus conditis, ab eo factum est. *Quod autem sequitur; quod factum est in ipso vita erat;* quidam ita distinguebant, *quod factum est in ipso, vita erat;* quam lectionem Chrysostomus, homil. 4. & Theophylactus, & Euthymius vehementer improbant; quoniam erat Macedonianorum exponentium de Spiritu sancto; *quod factum est in ipso;* atque ita dicebant. Spiritum sanctum factum esse per Filiū: quos hoc argumento refellit Chrysostomus: *qui vocatur hic vita, vocatur & lux, & Ioannes venit, vt testimonium per-*
hiberet de luce, que incarnata est: ergo si per vitam intelligitur Spiritus
sanctus, sequitur, Spiritum sanctum fuisse incarnatum. Augustinus autem hic, & lib. 5. de Genesi ad literam c. 14. non negat, posse bonum sensum habere, *quod factum est in ipso;* id est, per ipsum Filium: quoniam Psalm. 103. scriptum est; *Omnia in Sapientia fecisti;* id est, per Sapientiam, quæ est Filius. Sed quoniam Manichæi ex hac lectione colligebant, omnes res inanimatas vitam habere, mauult Augustinus ita distinguere, vt *in ipso coniungatur cum vita erat;* quasi dicat, *non omnia, que facta sunt, vita sunt, si considerentur in seipiss;* sed tamen *in ipso omnia sunt vita;* id est, *in Deo: quia Verbum est ratio,* per quam res fiunt: & hoc Verbum vita est, sicut arca in seipso vita non est; *in mente tamen artificis, vita est; quia viuit mens artificis.* Ita Augustinus assuetus Platonicae philosophiaæ hic, & 5. de Genesi c. 14. & 15. quem sequuntur Latini citati. Addunt autem Beda, & Rupertus; hoc dici, ne putaretur aliqua in Deo fuisse mutatio, cùm creaturas condidit: ac si diceret: Omne quod factum est in tempore, siue viuū, siue vita expers, in spirituali factoris ratione semper viuit, & vixit;

vixit; quia coæterna est illi ratio voluntatis suæ, in qua habuit, & habet, quid, & quando crearet, & qualiter creata gubernaturus esset. Idem scilicet sensus est in Homili. quæ incipit: *vox spiritualis aquila*, & circumfertur in secundo Tomo operum Origenis, estque secunda in iis, quæ inscribuntur *in diuersos*; cùm tamen Origenis non sit. Nominantur in ea Ariani, qui Origenis tempore nondum extiterant. Ita enim dicit; *Quod factum est in ipso; id est, per ipsum, vita erat non ipse, sed in sua cause; id est, in Deo.* Cyrillus longe aliter: *Non solum per ipsum facta sunt uniuersa; sed quacumque facta sunt in ipsis; Filius Dei est vita; id est, omnia penetrat, & intra omnia existens omnibus vi- tam, & subsistentiam præbet, omnia conseruat, iuxta illud ad Hebreos 1. Portansque omnia verbo virtutis suæ.* Nec est aliena hæc explicatio à consuetudine Scripturæ; ita enim loqui solet, vt modò loquitur Ioannes iuxta Cyrrillum, vt Psalm. 10. *Dominus in cœlo sedes eius.*

Posterior Lectio est, vt simul totum hoc legamus, *Sine ipso factum est nihil quod factum est.* Et statim incipiat noua sententia: *In ipso vi- ta erat.* Hanc lectionem Origeni tribuit glossa, cùm tamen in huius loci expositione manifestè Origenes sequatur priorem. Eam sequitur Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, & Hieronymus super Esai. cap. 11. in principio, & cap. 44. in illis verbis, *Hoc dicit Dominus Redemptor tuus;* & Nicephorus lib. 1. Ecclesiast. histor. cap. 2. Sequitur & Hilarius 2. de Trinitate, nisi quodd legit; *Et sine ipso factum est nihil quod factum est in ipso; id est, per ipsum:* *Quem sen- tum, vt diximus, probabilem iudicauit Augustinus.* Ex his duabus lectionibus Erasmus in Annotationibus huius loci, & Xistus Senensis, lib. 6. Bibliotheca annotatione 173. & Titelmanus priorem lectionem præferunt, ed quodd Euangelista nouum membrum, sine nouam partem sententiae inchoare soleat ex fine precedentis, vt *In principio erat Verbum;* & statim, & *Verbum erat apud Deum.* Et propterè similiter fecisse intelligendus est in hoc loco, vt finierit *fa- ctum est nihil;* & ab hoc fine statim incœperit, *quod factum est.* Ego eti si illam priorem non reiciam; multò tamen probabiliorem esse arbitror hanc posteriorem, quam sequitur Chrysostomus: & ita etiam censet Iansenius; & eam etiam fecuti sunt Pagninus, Isidorus, Clarius, & Montanus. Mouet me maximè authoritas Græcorum Codicum, in quibus ita fit distinctio, vt dictum est; & multò magis au- thoritas Græcorum Patrum, quæ in huiusmodi rebus plurimum valeret.

Præterea sensus Augustini est quidem tolerabilis; licet Iansenius obscurum, & coactum esse dicat: & etiam sensus Cyrrilli est satis pro-
babilis; sed sine dubio planior, & melior sensus redditur, si legamus;
sine ipso factum est nihil quod factum est: Quasi dicat; considera omnes *Spiritus*
naturas rerum, quæcumque factæ sunt, per illum factæ sunt: per quæ
verba excluditur *Spiritus sanctus*, qui factus non est: excluditur etiam
hæresis Manichæorum, dicentium res corporeas non esse à Deo fa-
ctas;

Etas; sed à malo principio: nihil enim quod factum est, factum est sine ipso. Deinde, ut ait Chrysostomus, addidit, & sine ipso, &c. ne aliquis videns in principio Genesis Creationem rerum corporalium tantum, puraret has solas factas esse per Verbum. Et ideo ait, nihil eorum, quæ facta sunt, factum est sine ipso, siue sit corporeum, siue incorporeum; sicut explicauit Paulus, ad Coloss. 1. *Quia in ipso condita sunt uniuersa siue visibilia, siue innvisibilia, sine throni, siue dominationes, &c.* Accedit, quod verba sequentia: *In ipso vita erat*, melius coherēt cum hoc sensu, vt videbimus.

Ad argumentum Erasmi, & Xisti; Respondetur; non necesse esse, semper id obseruare, vt incipiat sequens membrum à fine præcedentis, neque hīc obseruatum; alioqui incipere debebat à dictione, nihil.

*Nihil an
pro peccato
accipiatur.*

Sed est dubium, an verum sit id, quod ex Augustini sententia iactari solet in Scholis; nihil hoc loco accipi pro peccato, quia priuatio est. S.Thomas planè hanc interpretationem tribuit Augustino, & Xistus etiam lib.6. Bibliothecæ annotatione 174. At Erasmus negat ita intelligendum illè Augustinum, dicitque hoc magis sophisticum esse, quam Theologicum. Arboreus non solum dicit esse sophisticum; sed etiam nugacissimum. At verò Iansenius docet, si rectè intelligatur Augustinus, pro eodem ipsum accepisse hæc duo membra, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: atque hoc constare ex Græca veritate; non enim est in Græco ἄδει: *id est, nihil; sed ἄδει: id est, neque unum*: quare non potest affirmatiè accipi; *sine ipso factum est nihil*: Sed negatiè, quasi dicat, ne vnum quidem factum est sine ipso. Ad huius rei intelligentiam sciendum est ex Augustino hīc, & lib. de natura boni; contra Manichæos cap. 25. Manichæos ita solitos esse argumentari ex hoc loco; *Dictio nihil, ponitur in fine sententia; ergo factum est, & si factum est, ergo aliquid est*: Quibus ita responderet in libro citato; *sensum prodierunt studio contradicendi; nec intelligunt, nihil interesse, virum dicitur: sine ipso factum est nihil; an sine illo nihil factum est: nec innuat eos, ponit, nihil, in fine sententia; vt inde colligatur significare aliquid, quandoquidem Dominus Iohannis 18. in occulto locutus sum nihil*. Et hīc tractatu 1. ait; *vide te ne sic cogitetis, quia nihil aliquid est: solent enim multi male intelligentes, sine ipso factum est nihil, putare aliquid esse nihil*. Quare sine dubio verum est, quod ait Iansenius, Augustinum pro eodem accepere illa duo membra, & ipse Augustinus apertissimè explicat paulò pòst; ait enim: *Omnino ergo, fratres, sic accipite, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: uniuersa enim creatura per ipsum facta est, maior, minor, &c. nulla enim forma, nulla compages, nulla qualiscunque substantia facta est, nisi per illud verbum, &c.* Quid est igitur, quod ait Augustinus, peccatum esse nihil, & non esse factum à Deo, quod isti authores omiserint? Respondetur: Manichæi putabant malum, & peccatum esse aliquam naturam positivam,

*Manichæo-
rum argu-
mentum.
Responsi.
D. August.*

tiuam , & propterea assignabant illi causam efficientem ; id est , malum principium , ut docet Augustinus lib. de Hæresibus , cap. 46. Quamvis autem ita sentirent , vocabant tamen peccatum *nihil* , quasi vile aliquid , & nullius momenti ; & ita argumentabantur : *Nihil*, id est , peccatum factum est : ergo est aliqua natura positiva , & factum est sine Verbo ; ergo à malo principio. Quare Augustinus non potuit illi concedere , *nihil* ibi accipi pro peccato , & totum membrum accipi affirmatiū , immodicō fortiter negare debuit , ne daret Manichæis quod volebant. Respondebat igitur , hunc esse sensum Ioannis ; omnis natura creata facta est per ipsum ; & nulla natura est , quæ facta sit sine ipso : At peccatum est nihil ; id est , non habet naturam positivam ; & ideo non est factum , nec per Verbum factum est , quia omnia quæ facta sunt , facta sunt per Verbum. Sicut & idolum , inquit Augustinus , non est factum per Verbum : quia dicit Apostolus , 1. Corinth. 8. scimus quia idolum nihil est : reddit rationem : nam homo per Verbum factus est ; sed forma hominis in Idolo non est facta per Verbum , quod intelligendum est , non quatenus illa forma est ens quoddam , sed quatenus habet falsitatem quādam in significatione. Repräsentat enim Deum , cùm Deus non sit , sed lignum , aut lapis : & hoc est quod legimus Abacuc. 2. Quid prodest sculptile , quia sculptis illud fictor suis , conflatile & imaginem falsam ? Itaque , ut semel dicamus , Augustinus non accipit hæc verba affirmatiū , nec accipit hic *nihil* pro peccato ; Colligitur tamen hinc contra Manichæos , peccatum esse nihil ; id est , non esse naturam positivam : sed priuationem boni : non effectum aliquem , sed defectum , ut apertius intelligitur ex eodem libro Sologuorum cap. Argumentum quo id colligitur , est huiusmodi : Omnia quæ facta sunt , facta sunt per Verbum , & facta sunt bona , Gen. 1. Vedit Deus cuncta que fecerat , & erant valde bona : Sed malum non est à Verbo , sed sine ipso : ergo non est factum , ergo est nihil : quia si aliquid esset , esset factum per Verbum , & esset bonus.

At Origenes prope finem 2. Tomi in Ioannem refert antiquorum sententiam ; qui dicebant , in illis verbis ; *Omnia per ipsum facta sunt* , non includi peccata sub illa generalitate ; sed potius includi in particula *nihil* ; & hoc ipse confirmat ex Scriptura , docens synonyma esse , *nihil* , & non ens : mali autem dicuntur non esse , Esther. 14. Ne tradas Domine sceptrum tuum iis , qui non sunt . Quare eodem modo peccatum dicetur non ens , & nihil : & isti authores per malitiam præterea intelligebant Diabolum , quod Origenes ita exponit ; *Diabolum esse nihil* , quatenus *Diabolus est* ; non quatenus *Angelus*. Sed forrassè possumus ita interpretari Origenem , ut interpretati sumus Augustinum. Si autem verè intellexit peccatum hoc loco dici *nihil* , & id significasse Ioannem ; Respondemus illud Hieronymi super Michæl. cap. 2. vbi explicans illa verba ,

*Argum.
aliud.*

Resp.

*Idolum ni-
hil est.*

Et chr.

*Peccatum
esse nihil
colligitur.*

*Omnia fa-
cta per Ver-
bum.*

*Nihil & nō
ens synony-
ma.*

*Mali dicun-
tur non esse.*

*Hieronymi
sententia de
nihil.*

verba, quæ sunt in translatione Septuaginta; fugiet nemine persequente, dicit se legisse in cuiusdam Commentariis in Ioannem, per nihil intellexisse Apostolum malitiam, & per malitiam diabolum. Quod, inquit, si cui videatur nimis coactum, & contra Scripturæ simplicitatem, artificio potius eloquij, quam vera interpretatione disertum, poterit aliter interpretari, &c. Vbi aperte sentire videtur, hanc interpretationem non esse recipiendam. Ad hoc idem improbandum facit argumentum Iansenij, in Græco non esse, nihil; sed neque unum, quod ego in multis Græcis codicibus vidi. Sed tamen à Græcis Doctotoribus nihil inuenio adnotatum, unde id colligi possit. Eadem valebunt contra Montanum ita exponentem; Unum ex his, qua facta sunt per Verbum, est homo; & hic à Verbo separatus per inobedientiam factus est nihil; incidit enim in mortem, & damnationem, & captiuitatem diaboli, & carentiam gratie; qua omnia non ad Verbum, sed ad nihil referuntur: atque ita factum est nihil, quod prius magnum erat, & pulchrum. Cum enim in Verbo esset vita, ut perserveraret homo esse aliquid, & nihil effugeret, oportuit à Verbo non recedere. Quæ expositio multò probabilior est expositione Origenis, & satis probabiliter defendi potest: quomodo autem per peccatum homo fiat nihil, vide Augustinum in Soliloquis cap. 4. & 5. & Origenem loco citato.

In ipso Vita erat, & Vita erat lux hominum.] Id est, non solum omnibus rebus dedit esse, sed etiam vitam habent ab eo omnia viuentia; quia in ipso vita erat; id est, fons vitæ, unde omnia viuentia vitam accepere, Psal. 35. Quoniam apud te est fons vita. Sed est dubium ab Expositoribus prætermisum, cur non dixerit, ipse erat vita; sed dixit, ipse erat lux; semper enim hæc Verbi nomina in recto ponit: quærimus igitur rationem diuersitatis. Ad hoc dubium facilè responderet Origenes. Dicit enim in primo Tom. in illis verbis; In principio erat Verbum, hunc esse sensum; principium erat Verbum, sicut in ipso erat vita; id est, ipse erat vita. Sed quoniam ista interpretatio coacta est, aliter est respondendum. Respondeo igitur: cum dicitur, in ipso vita erat, vita non accipitur directè pro Filio Dei. Sed est sensus; vita quam cernitis in viuentibus, in ipso erat, & ab ipso accepta est. Sicut cap. 5. Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso; id est, ut omnibus rebus possit dare vitam. Patet; quoniam ibi docet, Filium posse communicare vitam omnibus. Sicut eniin Pater suscitat mortuos, & viuificat; sic & Filius quos vult viuificat. Quare in his duobus locis vita ponitur in Græco sine articulo; at cum dicit, Et vita erat lux hominum; vita ponitur cum articulo; quia tunc accipitur pro Filio, qui est vita per excellentiam: quasi dicat; hoc Verbum, per quod viuunt omnia, & quod est vita per excellentiam, erat lux hominum, omnes homines educit è tenebris in lucem. Facile enim intelligitur esse vitam per excellentiam eum, in quo omnia habent vitam, & in quo est omnium vita.

Vita sensus.

*Filius est
vita per ex-
cellentiam.*

*Et quoniam
vita intel-*

Sed est difficile dubium; utrum de vita naturali, & de luce naturali loquatur

loquatur; id est, de mente, & ratione, quam hominibus dedit; An ligatur, na-
de vita, & luce supernaturali. S. Thomas, & Lyra docent, de utrā-
que posse intelligi. Sed non docent de vita potius. Cyrilus, & Theo-
phylactus, & Caetanus, & Iansenius, & Guillardus, & ferè om-
nes Expositores, de naturali vita, & luce interpretantur. Immod &
Chrysostomus vitam videtur intelligere naturalem. At mihi multò
magis probatur, Euangelistam loqui de vita, & luce supernaturali.
Primum, quoniam quod ad esse naturale attinet, satis expressum
erat in illis verbis: *Omnia per ipsum facta sunt*, &c. Cū enim vi-
deamus quædam esse, quædam vivere, quædam sentire, & intel-
ligere; non proterat esse dubium, hæc omnia data esse ab illo, qui
fecit rerum omnium naturas. Atque ita cū de esse naturali lo-
quutus esset, vult ostendere, etiam meliorem vitam datam esse ho-
minibus à Verbo, cū venit in mundum, vt mundum, quem con-
siderat, repararet. Secundò; quoniam Chrysostomus, & Hilarius,
libro 2. de Trinitate, & alij multi consentiunt, hoc, quod nunc
dicit; *In ipso vita erat*, esse idem quod cap. 5. dicit; *Sicut enim pa-
ter habet vitam*, &c. At illa verba cap. 5. omnino intelliguntur de
vita supernaturali gratiæ: ita enim ait: *Venit hora, & nunc est, quan-
do mortui audient vocem Filii Dei*, &c. & qui audierint vivent. *Sicut
enim Pater habet vitam in semetipso*, &c. Illud etiam Psalm. 35.
Quoniam apud te est fons vita, quod huic simile est; planè intelli-
gitur de vita supernaturali, vt patet ex præcedentibus; *Inebriabun-
tur ab ubertate domus tua*, & *torrente voluptatis tuae potabis eos*; quo-
niam apud te est fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen; Vbi
simul ponuntur vita, & lumen; quemadmodum in nostro Euange-
lio. Tertiò; quoniam non solum vita, vt iam probauimus; sed
etiam lux, & tenebrae semper spiritualiter in Nouo Testamento
intelliguntur; vt, aliquando eratis tenebrae; nunc autem lux in Do-
mino. Ad Eph. 5. Et prima ad Theſſalonic. 5. *Omnis enim vos filii
lucis estis*, & filii diei. Ioann. 9. *Quandiu sum in mundo, lux sum mun-
di*. 1. Petr. 2. *Qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*.
Denique cū dicit, *erat lux vera, qua illuminat omnem hominem*, &c.
Sancti, & Doctores laborant in expositione horum verborum, quæ
nihil haberent difficultatis, si de luce naturali intelligerentur: nam
mentem, & rationem omnibus hominibus dedit. Quare licet vi-
ta intelligi possit naturalis, vt intellectissime videtur Chrysostomus;
tamen lux nullo modo intelligitur naturalis, sed supernaturalis. At-
que ita intelligunt Chrysostomus homil. 4. Augustinus tract. 1. &
Beda, si recte intelligantur.

Ex his patet, cur dicat *lux hominum*, & non Angelorum. Quo-
niam postquam locutus est de mundi creatione, iam loquitur de Lux homi-
nius cur
eius reparatione per eundem Filium facta, quæ non Angelos
sed hominum gratia facta est. Hæc responsio est Chrysosto-
mi, multoque melior altera, quam afferunt Rupertus, & Ianse-
nianus;

nus; videlicet multò magis eum esse lucem Angelorum, & id potuisse dici sed volunt, ut ait Iansenius, per ea, quæ nobis nota sunt, lucem illam manifestare. Dixit etiam, ut notat Chrysostomus, *lux hominum*, & non lux Iudeorum. Quoniam non solum Iudeis; sed etiam vniuersis hominibus hæc lux proposita est. Vnde Isaia 49. ait illi Pater: *Ecce dedi te in lucem gentium*, ut sis salus mea usque ad extreum terræ. Et Lucae 2. *Lumen ad reuelationem gentium*. Ipse ergo est vita hominum per gratiam, & lux per fidem, & per dona laudi Spiritus, quæ pertinent ad intellectum, quibus homo illuminatur ad vitam sanctè degendam, & ad beatitudinem consequendam. Et propterea licet illuminet Angelos, non dicuntur hic lux Angelorum: non enim ita accipitur lux, ut ad solum intellectum pertineat, ut in verbis sequentibus dicemus.

*Tenebra
quid.*

*Verus fen-
sus.*

Et lux in tenebris lucet, &c.] Chrysostomus, Homil. 4. & Theophylactus, per *tenebras* intelligunt mortem, quæ ita Christo mortiente victa est, ut per eum à morte liberarentur, qui iam diu mortui fuerant. Intelligunt etiam per *tenebras*, errorem, atque ignorantiam viæ salutis, quæ tunc erant in mundo. Hunc posteriorem sensum amplectitur Euthymius, & meritò, est enim aptior. Est ergo Sensus: Hanc lucem, quæ Christus est, mors non potuit comprehendere; id est, superare, & tenebrae ignorantie, & errorum, quibus plenus erat mundus, cum Christus venit, non potuerunt extinguere istam lucem. Adhuc enim Christus lucet, & lucebit in mundo, & fulget veritas Euangelij. Augustinus, Beda, & Rupertus ita; tenebrae, id est, peccatores, qui peccatis obscurantur, non receperunt istam lucem Christi per prædicacionem Euangelij; non quod ipsa non esset præsens illis, sed quod ipsi essent luci absentes, ut cœci soli. Quoniam autem hanc lucem cœca hominum corda capere non poterant, prouidit illis Dei misericordia, & misit Ioannem, ut prædicaret hanc lucem. Ideo sequitur.

Fuit homo missus à Deo.] Ad huius loci intelligentiam notandum est, *tenebras* non solum ad intellectum pertinere; sed etiam ad voluntatem, in qua *tenebra* dicuntur peccata. Isai. 5. *Va qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Ad Riom. 13. *Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Ad Ephes. 5. *Et nolite communicare operibus infiuctiosis tenebrarum; magis autem redarguite.* Et idem iudicium est de luce: tot enim modis dicitur unum oppositorum, quot & alterum, 1. topicorum cap. 13. Quod vel ille locus satis indicat, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona*, Matth. 5. Quare si hoc addamus expositioni Chrysostomi, ut *tenebra* significant non solum errorem, sed etiam peccata; hac enim nomine diximus *tenebras* pertinere ad voluntatem plena

plena erit expositio. Rursus tenebre more Hebræorum , qui ab- Tenebra sñt
peccatores.
stractis sñpe vtuntur pro concretis , homines tenebrosos ; id est, peccatores significant : vt ad Ephesi. Eratis aliquando tenebra , nunc autem lux in Domino. Præterea καταλαμπάσαντες , apud Græcos , seu καταλαμπάσαντες ; id est , comprehendendo , significant & vincere , & capere , sumpta metaphoræ ab iis , qui fugientes inimicos consequuntur , & apprehendunt ut occidant , aut in servitudinem redigant ; vt Exod. 15. Persequar , & comprehendam illos , & disuidam spolia. Psalm. 17. Persequar inimicos meos , & comprehendam illos. Ex his patet , vtrumque sensum huius loci esse aptissimum. Patet etiam , quām stulte Origenes dixerit , tom. 3. Filium esse diuersæ substancialiæ à Patre ; Quoniam , inquit , aliud est lux , qua lucet in tenebris ab illis non apprehensa ; & aliud lux , in qua nequaquam sunt tenebrae. Nititur eum excusatæ Xistus Senensis libr. 6. Biblioth. annotatione 175. Sed si eius verba consideratè legantur , omnino videbitur inexcusabilis.

Fuit homo missus à Deo.] Augustinus tractatu secundo : *Quia ergo sic erat homo , vt latoret in illo Deus , missus est ante illum magnus homo , per cuius testimonium inueniretur plusquam homo.* Et quis est hic ? Fuit homo missus à Deo , cui nomen erat Ioannes , pro eo quod est missus , est in Græco , ἀπεσταλμένος , quod est idem verbum. Vnde deriuatur nomen *Apostolus* , de quo dicemus postea , cùm explicabimus , quid significet *Apostolus*. Chrysostomus homil. 5. Tu autem cùm à Deo missum intelligas , nihil iam humanum ab eo dici , annunciarue existimes. Non enim suum quidquam ; sed quammittentis sunt , omnia denuntiat. Idecirco Angelus appellatur ; hoc est , Numius : est enim nuncij officium nihil ex se dicere , &c. Itaque confirmat Verbi incarnati testimonio diuino : 1. Ioan. Qui à Deo missus est , vt cum hominibus ostenderet.

Hic venit in testimonium , vt testimonium perhiberet.] Id est , tantum missus est in testimonium , non vt lux esset , sed vt testimonium perhiberet de eo , qui verum lumen est : promiscuè enim vñtur lucis , & luminis vocabulo. In Græco enim vnum est vocabulum φῶς. Venit igitur in testimonium , non quod Christus egredit yllijs testimonio ; sed vt omnes crederent per illum ; id est , vt consuleretur imbecillitati Iudæorum , & per familiarem Ioannis voce in facilius alicerentur ad credendum ; vt ait Chrysostomus. Et propterea ait Ioannes , 5. Vos misistis ad Ioannem , & testimonium perhibuit veritati : Ego autem ab homine testimonium non accipio ; sed hoc dico , vt vos salvi sitis : id est , non præmisisti Ioannem , vt ego maior , illustriorne siam eius testimonio : nihil enim mihi ille addere potuit ; sed vt per illum ad fidem adducamini. Et postea : Ego autem habeo testimonium maius Ioannis. Augustinus tractatu 2. Habet Deus testimoniū maiorū Ioannis . tam infirmi sumus , vt per lucernam quæramus diem;

*Apostolus
unde dice-
tur.*

*S. Ioannes
ad quid
missus.*

nam lucerna erat Ioannes, Ioau. 3. Ille erat lucerna ardens, & lucens: itaque cum dicit, ut omnes crederent, potissimum loquitur de Iudeis, deinde de careris, qui Iudeis prædicantibus crediderunt.

Non erat ille lux.] In Græco ponitur *lux* cum articulo, quoniam loquitur de luce per essentiam, ut adnotat Cyrillus, maximum testimonium sanctitatis Ioannis, que tanta fuerit, ut necesse fuerit dicere Euangelistæ, non erat ille lux, Chrysostomus homil. 5. & Theophylactus, & Euthymius: *Quoniam qui testimonium perhibet ad aliquius honorem, apud nos solet esse maior eo, de quo testificatur.*

S. Ioannes
non fuit lux
vera.

Erat lux vera.] Augustinus Tractatu 2. Quare additum est vera? Quia & homo illuminatus dicitur *lux*, sed vera *lux* illa est, que illuminat. Sic ergo & Ioannes erat *lux*, sed non vera *lux*, quia per eum non illuminantur tenebre, sed illuminatione factus est *lux*; nisi enim illuminaretur, tenebra erat, &c. Alludit Augustinus ad illud Matthæi. 5. *Vos esis lux mundi.* Atque hoc eleganter Dominus ostendit, Ioann. 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens: nam lucerna, ut ait Cyrillus, non à se lumen habet; sed aliunde accipit, & ita factus est testis Christi: ut enim paulò post ait Augustinus: *Quemadmodum qui saucios habet oculos, non potest videre solem orientem, sed ortum tamen esse cognoscit in aliquo corpore ab eo irradiato, ut in pariete; ita infirmi Iudeorum oculi, qui Christum agnoscere non valerent, nec tantam lucem ferre possent, cognoverunt eum videntes Ioannem, qui se illuminatum esse ab eo dicebat.* Ait enim; de plenitudine eius omnes accepimus. Est autem notandum, in his verbis apud Græcos duplicem esse articulum: Dicitur enim *lux* cum articulo, & etiam *vera*: quasi dicat, hoc lumen, de quo Ioannes testificatur, sive haec *lux*, semper fuit, & est ille *lux* eximia, illa, quæ verissimè, & maximè propriè dicitur *lux*. Præterea, *Verum*, ut rectè notat Iansenius; aliquando in Scriptura opponitur falso: ut ad Ephes. 4. *Deponentes mendacium loquimini veritatem*: aliquando opponitur ei, quod est umbratile, & figurale, ut Ioann. 1. *Lex per Moysen data est; gratia, & veritas per Iesum Christum facta est*: id est, adimpletio figurarum veteris legis. Aliquando opponitur ei, quod per participationem dicitur tale: ut 1. Ioan. vlt. *Ut simus in vero Filio eius, hic est verus Deus.* His tribus modis Christus dicitur *lux vera*; primò, ut distinguatur à luce falsa, quam Philosophi se habere iactabant; secundò, ut distinguatur à luce figurali, quam habebant Iudei per legem, & Prophetas; sed tamen multò magis propria dicitur *lux vera*: tertio modo, ut secernatur ab omnibus Sanctis, qui sunt lux per participationem. Et hoc est; quod significauit Augustinus in verbis citatis.

Verum quot
modis ca-
piatur.

Christus
tribus modis
lux vera.

Sancti sunt
lux per par-
ticipationem.

Expositio
triplex.
Prima.

Quia illuminat omnem hominem, &c.] Quæritur, quo modo hoc verum esse possit, cum constet, multos homines non illuminari? Respondetur, triplicem esse huius loci expositionem. Prima est, ut cum dicit *omnem hominem*, sic distributio accommoda, ut sit sensus: non omnes illuminantur; sed quotquot illuminantur, ab eo illuminantur. Ita

Augusti

Augustinus in Enchiridio. c. 103. & lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, c. 25. & Beda, & Rupertus. Secunda, ut sit distributio non pro singulis generum; sed pro generibus singulorum: id est, ex omni genere hominum illuminantur per Christum, Iudæi, Gentiles, Græci, Barbari, viri, foeminae, &c. Hæc etiam est Augustini, lib. 1. de peccat. mer. c. 25. Tertia expositio est, ut dicatur illuminare omnes homines voluntate antecedente, non tamen consequente; quod ita explicat Chrysostomus homil. 7. & Theophylactus, & Euthymius: illuminat omnes quantum ad se pertinet, sicut sol omnes illuminat: quod si claudunt oculos, & non illuminantur, id non soli, sed ipsis imputandum. Totidem modis exponitur illud 1. ad Timot. 2. *Qui rult omnes homines saluos fieri*, &c. ut videre licet in Enchirid. c. citato. Vbi ponit Augustinus primam expositionem; & in lib. de peccat. merit. loco cit. vbi ponit primam, & secundam expositionem: & in Damasceno lib. 2. de fide, c. 29. vbi ponitur tertia. Quas omnes colligit S. Thomas, 1. p. q. 19. art. 6. ad primum. Mihi videtur hic locus unico verbo posse explicari. Est enim mos non solum Scripturæ, sed etiam omnium linguarum, ut cum alicuius rei naturalis virtutem exponimus, aut alicuius hominis officium, verbo presentis temporis utramur; idemque intelligamus siue addatur signum universale, siue non addatur: ut cum dicimus, aqua frigefacit, ignis calefacit, rhabarbarum purgat choleram. Nam et si nullus frigefiat, aut calefiat; recte dicitur id: explicatur enim virtus, & proprietas, quam haec res naturæ sunt exercere, quoties materia apta occurrit, in quam exercent. Atque idem prorsus intelligimus, cum universali loquimur; ut si dicamus, ignis omnia calefacit, Index omnes fontes punit, omnes innocentes absoluunt; rhabarbarum omnibus purgat choleram, sol omnes illuminat: hoc ipsum solemus in Scholis ita dicere, sol est illuminans, ignis est calefactus. Scriptura autem aliquando explicat hoc nominibus verbalibus in or., vt 1. ad Tim. 4. *Qui est Saluator omnium maximè fidelium*. Et Matt. 4. *Et accedens temptator: Verbalia in or.*

Aliquando verbis ipsis presentis temporis, ut Gen. 18. non est hoc tuū, qui indicas omnem terram: prima ad Thessaloniken. 3. *Ne forte tentauerit nos is qui tentat, & Ioan. 1. Ecce qui tollit peccata mundi: & postea super quem videris Spiritum descendenter, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto*. Est igitur, ac si diceret; haec lux est illuminans omnium hominum, eius proprietas, eius bonitatis officium est, semper illuminare: hoc autem recte, & propriè dicitur, siue illuminantur omnes, siue non illuminantur. Et idem est in ceteris exemplis adductis.

Venientem in hunc mundum.] Ex his verbis Pelagiani probabant, animas parvulorum illuminari a Christo, cum nascuntur, ut refert Augustinus lib. 1. de peccat. mer. & remissione, c. 25. quibus ibidem dupliciter respondet. Primo dicit, in Græco ita positum esse, ut non solum de homine veniente in mundum intelligi possit, sed etiam de luce ipsa, siue lumine. Nam ἐπιχειρεῖν, id est, veniens, in Græco potest referri ad lucem; & potest referri ad hominem. Quod etiam adnotat Cyrillus; &

Pelagianorum
heresis.

hunc sensum secutus est Montanus; qui quamvis Cyrillo parum probetur, reuerà non est improbabilis: nam eius ratio facile diluitur, quæ est huiusmodi: *Non dicitur lux veniens in hunc mundum, sed homo, quia de luce statim dicitur, in mundo erat.* Sed respondemus, nihilominus Dominum dixisse Ioan. 12. *Ego lux in mundum veni.* Respondet Cyrilus, hoc dici propter Incarnationis mysterium: & nos respondemus, codem modo posse hic accipi: id est, factus homo, omnes illuminat homines. Sed tamen probabilior est nostra translatio, & ita omnes Sancti intelligunt: & Cyrilus, & Augustinus loco citato eius sensum alteri præferunt. Quare iuxta hanc translationem responder Augustinus secundo modo; aut hoc simpliciter, & nullius distinctionis causa positum esse; aut si distinctionis causa positum est, distinguiri per hæc verba illuminationem animæ ab illuminatione corporis; quæ sit luce visibili. Ut sit sensus; Ipse est, qui spiritualiter illuminat hominem interiorem, qui venit in hunc mundum; id est, animam venientem in hominem exteriorem; hoc est, in corpus, qui mundus dicitur; quia mundus hic corporeus. Quasi dicat, est eiusdem naturæ cum rebus huius mundi. Ab hac expositione non abhorret S. Thomas: putat enim addi; *Venientem in hunc mundum*, ut ostendatur, homines illuminari à Verbo secundum quod veniunt; id est, secundum animam, quæ foris venit, & à Deo creatur; non secundum corpus: nam secundum corpus homo non venit in mundum, sed in mundo est. Quamvis autem iste modus loquendi, ut anima hominis dicatur

Plato quid sentiret de anima. homo, quodammodo Platonis errorem sapere videatur, qui animam in corpore esse dicebat, sicut gubernatorem in naui. *Quod retulit Aristoteles 2. de Anima;* tamen non Platonicus est: non enim ita sentiebat Augustinus, ut Plato; sed est Apostolicus, 2. ad Corinth. 4. *Licet is, qui fortis est, noster homo corruptitur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem.* Et ad Rom. 7. *Condelector enim legi Dei secundum interiorum hominem.* Immò in Scriptura id quod conuenit soli corpori, aut soli animæ, dicitur conuenire homini: ut Ecclesiast. vlt. *Quoniam ibit homo in domum eternitatis sue, id est, in Sepulchrum.* Et Sapient. 8. *Et sortitus sum animam bonam, & cum essem magis bonus, veni ad corpus incoquinatum.* Iure igitur dicitur homo, *Venire in mundum,* licet secundum animam solam veniat. Possumus tamen pleniùs, & simplicius exponere; ut sit omnem hominem venientem in hunc mundum; id est, omnem hominem, qui natus est in mundo hoc, seu omnem hominem viventem: Tunc enim homo dicitur venire, seu introire in mundum, cùni è ventre matris nascitur; & exire, cùm moritur; ut Sapient. 7. *Vnus ergo est introitus hominibus ad vitam, & similis exitus.* Cui simile est illud, 1. ad Timoth. 6. *Nil intulimus in hunc mundum, haud dubium, quia nec auferre quid possumus.* Dicit enim idem quod Job cap. 1. *Nudus egressus sum de utero matris mea, & nudus reverterar illuc.* Cur igitur addita sunt hæc verba? Respondetur; ut doceat aperte, non de Iudeis loqui se; aut de certo hominum genere; Sed

Corpus mundus dicitur.

Anima foris venit, & à Deo creatur.

Homo quando dicatur venire in mundum, aut exire.

de vniuersis hominibus, & nationibus, & linguis; vt intellexisse videtur Chrysostomus, homil.7.

Ex his patet, quām stulte his verbis nitatur Origenes ad confirmationem sui erroris; de animabus extra corpora ante creatis, & inde missis in corpora tamquam in carceres quosdam: contra quem eruditè disputat Cyrillus lib.1. in Ioan. c.9. cuius prima ratio est hæc: Si in mundum mittuntur animæ supplicij causa, quomodo venientes in mundum illuminantur? nam illuminatio non supplicium, sed gratiam, & honorem sonat.

Origenis
error circa
animas.

In mundo erat.] Videlicet, vt omnia continens, & conseruans. Hæc verba non de Incarnatione, sed de Verbo antequām incarnaretur, intelligunt Chrysostomus, homil.7. Cyrillus Tract.2. Beda, Theophylactus, Euthymius, S.Thomas. Addit S.Thomas, hoc dictum esse, ne putaret quis aliquos non esse illuminatos; quia lux deficiebat: quasi dicat; semper in mundo erat præsens ad illuminandum; iuxta illud, Act. 17. *Quamvis non longè est ab unoquoque nostrum.* In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus. Iuxta alterum sensum, quo lux ipsa dicebatur in mondum venisse; ne putaretur tunc coepisse, cùm per Incarnationem venit, rectè sequitur, *In mundo erat;* id est, qui modò per Natiuitatem temporalem venit in mundum, semper in mundo fuit.

Et mundus per ipsum factus est.] Hoc addidit, iuxta Augustinum, & Chrysostomum, ne putaretur in mundo fuisse, vt Creatura; aut non esse mundo antiquior. Iuxta Cyrillum, ne putaretur fuisse hæc lux in mundo, vt pars quædam ipsius mundi, sicut sol, & luna.

Et mundus eum non cognouit.] Id est, mundani homines; & peccatores. Ita Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, Augustinus, & Beda: nam sancti, & fideles rectè eum cognoverunt, Ioan.8. *Abraham pater vester exultavit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est.* Et similiter omnes Prophetæ, Lucæ 24. *Et incipiens à Moysè, & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis, que de ipso erant.* Adnotant autem isti Patres, mundum capi aliquando pro vniuersitate creaturarum, aliquando pro hominibus mundanis; id est, captis amore rerum huius seculi, & à Deo alienis: quod passim in hoc Euangelio occurret, vt c.15. *Si demundo fuissetis, mundus quod sumus erat, diligenteret: sed quia non estis de mundo, propterea odit vos mundus.* Quid autem claudat in se mundus, optimè exponitur, 1.Ioan.2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, &c.* Vtique modo hic accipit Ioannes: prius enim dixit *in mundo erat,* & *mundus per ipsum factus est;* & postea, *& mundus eum non cognouit.*

Mundi di-
uersæ acce-
ptiones.

In propria venit.] Dupliciter hoc intelligi potest, & quod per Incarnationem venerit in mundum à se creatum; id est, ad omnes homines: vel peculiariter ad populum Iudæorum, quos elegerat in populum peculiarem ex omnibus gentibus; & quibus peculiariter erat promissus. Vtique modo intelligunt Chrys. Theophylactus, & Euthy

Populus Iu-
deorum ele-
ctus in po-
pulum pe-
culiarem.

& Euthymius. Vt rōque etiam intelligere videntur Augustinus, & Beda: Cyrus autem de Iudæis potius putat esse intelligendum, & meritò.

Quotquot autem receperunt eum, &c.] Si *sui eum non receperunt*, quomodo dicit; *quotquot autem receperunt eum?* Respondeatur; hunc esse modum Scripturæ, ut aliquando omnia tollere videatur per negationem; cùm tamen non tollat omnia, sed maiorem partem, ut Micheæ. 6. *Apprehendes, & non saluabis; & quos saluaueris, in gladium dabo.* Ita modò, *quotquot eum receperunt*, siue sint ex Iudæis, siue ex cæteris nationibus, quacumque ex sorte, & conditione hominum sint, dedit eis, &c.

Dubitatio.

Sed maior dubitandi causa est in verbis sequentibus, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*, &c. Si enim iam *ex Deo nati sunt*, quomodo datur eis potestas, ut sint filii Dei? At videtur facile responderi posse ex Caietani annotatione. Dicit enim relativum, *qui*, cùm dicitur, *Qui non ex sanguinibus*, referre filios Dei, non autem credentes. Et ita erit sensus; *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui, filii Dei non ex sanguinibus nati sunt, sed ex Deo.* At Caietanus lapsus est linguae Græcæ ignoratione; non enim potest relativum, *qui*, referre filios, cùm sit masculini generis; filii autem significantur in Græco nomine neutrius generis, quod est *τέκνα*. Respondeatur igitur, filios Dei non solùm dici, qui per baptismum regenerati ius habent ad cœlestem hæreditatem, de quibus ad Rom. 8. & ad Gal. 4. *Si autem filii, & heredes: sed etiam, & multò magis propriè*, qui iam ipsam hæreditatem adierunt, & suprema beatitudine fruuntur; quoniam multò similiores Deo effecti sunt per gloriam. Ut Luc. 20. *Neque nubent, neque ducent uxores; nec ultra mori poterunt; aequales enim Angelis sunt, & filii sunt Dei.* Ad Rom. 8. *Nam expectatio creaturae revelationem filiorum Dei spectat.* Atque hoc secundo modo accipit hic filios Dei, ut intellexit Theophylactus, atque etiam Caietanus. Præterea *potestas*, quæ Græcè dicitur *ὕβρις*, non solùm significat facultatem aliquid faciendi: sed etiam magistratum, & officium aliud præcellens: ut ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et ibidem: *vis autem non timere potestatem: bonum fac, &c.* Atque hinc significat autoritatem, & dignitatem, quæ ex officio illo nascitur: & honorem, qui haberi solet iis, qui huiusmodi muneribus funguntur, ut Matth. 7. *Erat enim docens sicut potestatē habens, & non sicut Scriba eorum, & Pharisei:* Et c. 20. *Et qui maiores sunt, potestatē exercent in eos: Quare hoc loco potestas non solùm hoc ultimo modo capi potest, ut Erasmus, & Iansenius existimasse videntur: sed etiam primo, sicut intellexit Chrysostomus, homil. 9. cùm ait, Posuisse Deum in eorum arbitrio, ut filii Dei fierent: ita etiam acceperunt Theophylactus, & Euthymius.* Est ergo planus sensus: eis, nempe illis, qui credunt in eum: id est, qui fidem per baptismum profertur, & per hanc fidei professionem ex Deo nascuntur: dedit potestatē; id est, facultatem, ut filii Dei effici possint filiatione consummata, quæ est adoptio beatitudinis: vel, dedit eis hanc eximiam dignitatem.

**potestas
quid.**

gnitatem, & honorem, &c. Et ita ponitur h̄ic filatio inchoata per baptismum, & eadem perfecta per beatitudinem: oportuit autem, ut cū de dignitate filiorum Dei loquebatur, summum eorum pr̄mium proponeret.

Iis qui credunt in nomine eius.] In Græco est in nomen eius: sed noster Interpres, vt & ipsi Apostoli, indifferenter dicit in nomen, & in nomine; vt notauimus Oſea, 10. in illis verbis; *Seminate zobiis in iustitia.* Et etiam c. 13. cū explicabamus illud Apostoli; *Absorpta est mors in vita.* Nomen autem Dei maiestatem, & potentiam eius significat, vt Ioan. 17. *Manifestauit nomen tuum hominibus:* Et ibidem; *Notum eis feci nomen tuum.* Act. 4. *In qua virtute, aut in quo nomine fecistis hoc vos?* De quo dicemus, c. 15. Itaque credere in nomen Dei, siue in nomine Dei, est credere in Deum, & confiteri eijs virtutem, & omnipotentiam. Ita videbimus, c. 2. *Muli crediderunt in nomine eius.* Et c. 3. *Qui autem non credit, iā iudicatus est;* quia non credit in nomine vnigeniti Filij Dei.

Qui non ex sanguinibus, &c.] Docet natuitatem fidelium, & regenerationem per baptismum, qua nascimur filii Dei, longè præstantiorem esse natuitate naturali, qua nascimur filii hominum: est enim illa natuitas spiritualis, & filiis Dei digna: etenim, vt ait Cyrillus, qui in adoptionē filiorum Dei vocati sunt, deposuerūt humilitatem naturæ suæ, & honorantis Christi gratia, quasi splendida induit purpura ad supernaturalem dignitatem ascendunt. Ceterū cū dicit, *ex sanguinibus* Aug. Tract. 2. negat *sanguines* Latinè dici, sed Interpretē abusum fuisse plurali numero. Quoniā ita erat in Græco, nec poterat aliter significare, quod volebat. Itaq; pluraliter dixit, quoniā voluit significare *sanguines* maris, & fœminæ, ex quibus homines generantur. Hanc expositionē sequuntur Beda, S. Thomas, Lyra, Glossa interlinealis, Caïctanus, Arboreus, Montanus. Significat autem per *sanguines* semen maris, & fœminæ concurrens ad generationē: rationēque reddit Lyra, quoniam semen est superfluum alimenti sanguinei. Sed illa pars sanguinis, quæ transit in semen, dealbatur propter maiorem digestionem. At verò cū Græci authores frequenter dicere soleāt, Christū genitum esse ex sanguinibus beatissimæ Virginis; vt ait Damascenus lib. 3. de fide, c. 2. non cogimur h̄ic intelligere commixtionem seminum maris, & fœminæ: sed tantum puriorem fœminæ sanguinem, ex quo fœtus formatur, & alitur, & augetur. Quemadmodum intellexit Theophylactus: *Quod reūtius videri dicit Iansenius.* Quod autem *sanguis fœminæ* purior, & magis digestus sit, potissimum materia fœtus, docet Aristoteles 1. de generatione Animal. c. 20. & S. Thomas 3. p. q. 31. ar. 5. Et aperte hoc docet Scriptura; Sapient. 7. *Et in ventre matris figuratus sum caro; decem mensum tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis;* & delectamento somni conueniente. Aliter etiam interpretari possumus, & fortasse magis propriè; vt per *sanguines* intelligamus peccatum originale, in quo omnes concipiuntur: modò enim Euangelista vult ostendere vilitatem generationis naturalis, & hanc multò magis ostendit peccatum originale.

Ribera in Ewang. Ioan.

In nomen,
& in nomi-
ne promis-
cū dicitur.
Nomen Dei
maiestatem,
& potētiā
eius signifi-
cat.

*Sanguis fœ-
minæ potissi-
mum mate-
ria fœtus.*

*Omnis con-
cipitur in
peccato ori-
ginis.*

nale, quam materia, ex qua concipimur: opponit enim generationem naturalem regenerationi, quæ fit per baptismum, quæ adhibetur in remedium generationis naturalis, quasi dicat; Regenerati per baptismum non nascuntur polluti, & filij iræ, sicut in generatione naturali; sed nascuntur filij Dei. Probatur etiam hæc expositio, quoniam visitatissimum est in Scriptura, vt *sanguis* plurali numero peccata significet, vt Psal. 5. *Virum sanguinum, & dolosum abominabitur Dominus.* Et Psal. 50. *Liber a me de sanguinibus. Osee 4. Et sanguis sanguinem testigii; in Hebræo, Sanguines sanguines tetigerunt. Isaia 1. Manus enim vestra sanguine plena sunt: in Hebræo est *sanguinibus*: peccatum autem Originale notum est plurali numero dici peccata; quoniam omnium peccatorum initium, & radix, & fomes est, vt Psal. 50. *Ecce enim in ini-quitatibus conceptus sum, & in peccatis, &c.* Neque obstat, hominem non dici concipi ex peccato; sed in peccato. Nam hic præpositio, *ex*, non significat materiam semper, sed quod quocumque modo principium est: vt cùm ait, *neque ex voluntate carnis; neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sum.* Significat etiam, quod concomitant ipsa principia: peccatum autem Originale fuit causa carnales concupiscentiæ effrenatae, & per illam transfunditur in prolem; & ita habet quandam rationem principij. Significat etiam, *ex*, terminum à quo: & ita rectè dicitur, *ex sanguinibus*, id est, *ex sanguinolenta*; hoc est, polluta Origine.*

Sanguis in plurali si-gnificat peccata.

Peccatum origina-le radix & fo-mes omnium aliorum. Ex præposi-tionis signifi-cationes.

Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.] Horum verborum variae sunt expositiones. Quæ maximè probatur, est illa Augustini, vt carnem foeminam intelligat, iuxta illud Gen. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis; & caro de carne mea.* Itaque voluntas carnis est concupiscentia mulieris, & voluntas viri concupiscentia viri, qua impellente, & mouente filij generantur: ita etiam S. Thomas, Rupertus, Lyra, Glosfa interlin. & alij. Ego voluntatem carnis dici puto, iuxta vulgatam phrasim Scripturæ, concupiscentiam carnalem, quæ viget in utroque generante. Ut enim omittamus frequentissime ita loqui Scripturam; non video, cur *carnis* nomine foemina debeat intelligi, aut ubi ita loquatur Scriptura. Nam si locus ex Genes. 2. probaret aliquid; etiam probaret, nomine, *ossis*, eamdem intelligi in Scriptura: quod falsum est. Voluntatem autem viri dici arbitror, appetitum illum posteritatis, & sobolis propagandæ, quod potissimum in viris existit, qui principes generationis sunt, & quorum nomen, & genus, & memoria magis conseruatur in filiis. Hæc autem voluntas, licet in substantia sua bona sit, saepe tamen ex vanitate, & superbia oritur. Et hoc etiam deiicit nativitatem nostram. Pro voluntate in Græco est *θέλησις*, quod dicitur tantum ab actu volendi nulla habita ratione consilij, aut ratiocinationis. Quod propriè dicitur Latinè *libido*, nisi quod libido in malam partem semper sumi solet: *θέλησις* autem non semper in malam partem accipitur: dicitur etiam valde propriè voluntas: nam etiam apud nos

Voluntas viri quid. Homines principes genera-tionis.

Libido sem-per in malā par-tiem su-mitur.

nos dicitur à solo actu volendi , vt

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas;

& ita solet vti hoc nomine nostra translatio , vt Eccles. 18. Post concupiscentias tuas non eas , & à voluntate tua auertere. Et Ephes. 2. Facientes voluntatem carnis : cùm autem dicitur βάλημα , tunc actus volendi cum ratione significatur.

Et Verbum caro factum est.] Quoniam dixit suprà , Verbum venisse in propria , & non fuisse receptum , docet nunc quomodo venerit ; nempe per assumptam humanitatem ; ita vt Verbum verè , & propriè factum fuerit homo. Nam , vt ait Cyrillus in expositione Symboli Niceni , quæ est post primum Concil. Ephes. & etiam híc , mos est Scripturæ à sola aliquando carne totum hominem significare. Idem annotat Augustinus super Psalm. 29. & Damascenus libr. 3. de fide , cap. 18. vt Isai. 40. *Et videbit omnis caro salutare Dei.* Ioëlis 2. *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem.* Sed quæritur primò , cur potius dixerit *Caro factum est* , quām *homo factum est.* Respondeo ; multas esse causas. Prima est Chrysostomi homil. 10. vt obstrueret os hæreticorum , qui dicebant , imaginationem quamdam , atque figmentum esse ; quæ de Incarnatione feruntur. Secunda est Theophylacti : vt illius admiremur misericordiam , qui propter nostram salutem assumpit id , quod à natura sua longissime distat ; id est , carnem. Anima enim multò propinquior est Deo. Ex quo erigitur fiducia nostra. Quoniam id etiam , quod est in nobis vilissimum , non est dignatus assumere. Tertia ; vt tolleretur hinc illa maledictio , Genes. 6. *Non permanebit Spiritus meus in homine in eternum , quia caro est.* Quarta est Cyrilli : *Caro nostra erat mortalis per peccatum , manente adhuc anima immortali ; quare oportuit , vt assumeretur à Verbo vivificante omnia , ut caro Dei facta , qui immortalis est , immortalitate eius participaret.* Quinta ; vt confunderetur Manichæus , qui dicebat , carnem esse malam , & à malo principio. Sexta ; vt ostenderetur veritas , & singularitas vniuersitatis in Christo. Aliis enim hominibus Sanctis vnitur Deus , quantum ad animam solum , iuxta illud Sapient. 7. *Per nationes in animas sanctas se transfert , amicos Dei , & Prophetas constituit :* in Christo vero etiam ipsi carni vnitus est : hæc est S. Thomæ híc.

Ex hac adnotatione ; quòd Caro per synedochen pro toto homine accipitur : sicut & anima etiam capi solet , vt Act. 27. *Eramus vniuersae animæ in naui.* 276. &c. Refellitur error Arianorum , qui dicebant assumptionem à Verbo esse carnem sine anima ; vt refert Augustinus lib. de hæres. cap. 49. Idem affirmauerunt Apollinaristæ. Sed cùm ex eidem locis Scripturæ cogarentur confiteri , assumptionem animam , dixerunt assumptionem tantum animam sensitivam , & Verbum fuisse illi pro anima rationali ; vt ibidem scribit Augustinus c. 55. Sed hoc etiam refellitur hinc. Nam Caro hominis non potest non esse animata ,

*Euangel. cur
dixerit, Ca-
ro factū est,
& non Ho-
mo factum
est.*

*Manichæo-
rum heresis.*

*Ac Ariano-
rum.*

*Apollinari-
starum.*

Eutychetis, & Diocori. & quidem anima rationali. Tertiè refellitur error Eutychetis, & Diocori damnatus in Concil. Calced. ex commixtione carnis, & Verbi factam esse vnam naturam in Christo: quod etiam dixerunt Apollinarii loco postremò citato: nam si hoc verum esset, nec iam posset dici verbum nec caro, nec homo.

Secundò queritur, cur dixit *Verbum Caro factum est: & non, Verbum carnem assumpit?* Respondeat S. Thomas, factum esse; ut excludetur error Nestorij, damnatus in Concilio Ephesino. Qui dixit, in Christo duas esse personas, & duos Filios: nam si hoc verum esset, Verbum non posset dici factum caro, aut homo: quia impossibile est, quod ex duobus singularibus, quæ diuersa sunt, primum suppositum vnum praediceretur de altero.

Postremò, ad pleniorum huius loci intelligentiam notanda sunt verba Augustini 15. de Trinitate, c. 11. Ita *Verbum nostrum vox quodammodo Verbum Dei dō corporis fuit*, assumendo eam in qua manifestetur sensibus hominum: sicut quomodo *Verbum Dei Caro factum est*, assumendo eam, in qua & ipsum manifestaretur *Caro factū*, sensibus hominum: & sicut verbum nostrum fuit vox, nec mutatur in vocem: ita *Verbum Dei caro quidem factum est*. Sed ab sit, ut mutetur in carnem: assumendo quippe illam, & non in eam se consumendo, & hoc nostrum vox, & illud caro factum est.

Eutychetis, & Diocori error. Et habitauit in nobis.] In nobis; id est, in carne nostra, in natura nostra, quam assumpsit: ita Chrysostomus, homil. 10. & Cyrillus, & Theophylactus, & Euthymius. Ita enim, ut inquit Cyrillus, habitat in humanitate nostra habitat in nobis omnibus, qui eiusdem naturae particeps sumus: quod additum est, ut excludatur error Eutychetis, & Diocori, ponentis vnam tantum naturam in Christo. Nam si Verbum habitat in humanitate, necesse est, diuersæ naturæ esse ab ea. Aliud enim est, quod habitat, & aliud quod habitatur. Potest etiam, & fortasse adhuc cōmodius intelligi, quemadmodum Augustinus tract. 2. & plerique exponunt, *habitauit in nobis*; id est, inter nos. Sicut Luc. 1. *Benedicta tu in mulieribus*; id est, inter mulieres, ut dicat Euangelista illud Baruc 4. Post hac in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est; quasi dicat, factus est omnino similis nobis, & unus ex nobis. Pro *habitauit*, in Greco est, ἐρνίωσεν: quod verbum significat *habitare in tabernaculo*; vnde apud Latinos in usu hoc nomen, scena, quod iuxta priorem expositionem significat, corpus sive humanitatem Christi fuisse tabernaculum quoddam Verbi. Et propterea dictum est, Ioann. 2. *Ille autem dicebat de templo corporis sui*: nam Tabernaculum antequām Templum fieret, erat Hebreis pro Templo. Iuxta posteriorem autem, significatur, temporaria Domini inter nos habitatio, & conuersatio. Nam tabernacula non in longum tempus construuntur, ut domus; sed ad breve tempus.

Humanitas Christi tabernaculum Verbi. Tabernacula sunt ad breue tempus. *Theatrum* Et vidimus gloriam eius.] Pro *vidimus*, est in Greco verbum θεάσθηται, quod significat, attente, & morose, ideoque incundè spectare. Inde vnde dictum. enim *Theatrum* dictum est: quasi dicat, Spectauimus ceu nouum quoddam,

quoddam , & admirandum miraculum ; non fuit res phantastica , sed vera , nostris oculis vidimus . Dicit enim uno verbo , quod multis dixit in prima Epistola , c. 1. Quod fuit ab initio , quod audiuius , quod vidi-
mus oculus nostris , quod perspeximus , & manus nostræ contrectauerunt de ver-
bo vita , &c. Gloria autem , ut docet Hieronymus , super Epist. ad Ga-
latas , cap. 5. in illis verbis ; Non efficiamur inanis gloria cupidi , dicitur ,
cum aliquid augustius , & diuinius hominum se præbet obtuti-
bus ; ut Exodi. vlt. Operuit nubes tabernaculum testimonij , & gloria Da-
mini implevit illud . Etiam Reg. 8. Et non poterant Sacerdotes Domini stra-
re , & ministrare propter nebulam . Impleuerat enim gloria Domini domum
Domini . Et 2. ad Corinth. 3. Nos autem reuelata facie gloriam Domini
speculantes in eamdem imaginem transformamur à gloria in gloriam , sicut
a Dei Spiritu . His autem locis gloria Hebraicè dicitur , ἡμῶν καρον ,
Græcè autem δόξα : pro quo noster Interpres aliquando vertit glo-
riam ; aliquando claritatem ; aliquando maiestatem , ut Lucæ 2. Clari-
tas Dei circumfulxit illos . Et in Epistola Iudeæ : Maiestatem autem bla-
phemant . Et ideo Exod. vlt. paulò post , pro gloria vertitur maiestas:
nube operiente omnia , & maiestate Domini coruscante . Cum sit in Græ-
co , & in Hebrao idem nomen , quod prius . Itaque nomine glorie
maiestatem , & diuinum quemdam splendorem intelligimus . Est er-
go sensus iuxta Chrysostomum , homil. 11. dignatus est nobis ostendere
gloriam suam ; id est , maiestatem , & potentiam diuinitatis suæ , quæ
nobis illuxit per carnem , quasi per velum quoddam : & vidimus illam
in variis , & stupendis miraculis , quæ fecit in vita , & in morte ; &
in resurrectione .

Gloriam quasi vnigeniti à patre .] Id est , qualem decebat habere eum ,
qui verè est Vnigenitus Parris : ita Chrysostomus , hom. 11. Et adhibet
exemplum : Quemadmodum si quis enarrat ; quali ornatus , & quam pratio-
fö Rex incedat : & post multa dicat : quid multis opus est ? Vno verbo di-
catur , quasirex . Cyrillus , Vidimus gloriam Christi adeò sublimiorem glo-
ria creaturarum , ut quisque mentis compos nulli alij , quam unigenito Filio
Dei illam conuenire fatetur . Hoc autem dicit , ut ait Chrysostomus , quo-
niam Moyses glorificatus est miraculis , & Elias , & Elisæus , & Ange-
li : sed hæc illorum gloria multò minor fuit gloria Christi : isti enim
omnes iusti operabantur , ipse autem ea potestate ; quæ regem om-
nium deceret , & Dominum . Et propterea dixit Ioann. 15. Si opera non
fecissem in eis ; quæ nemo alijs fecit , peccatum non haberent : nam & quantum
ad substantiam , erant maxima ; & maiora , quantum ad modum .
Operabatur enim illa iubens , & summa auctoritate vtens , atque ex
propria virtute se facere docens . Et his patet dictiōnem , quasi , ali-
quando non similitudinem indicare ; sed identitatem , quod notant hic Chrysostomus , & Theophylactus , & Euthymius , & alij . Et Ambro-
sius ferm. 18. super Psal. 118. & Hieronymus super Epistolam ad
Ephes. cap. 5. in illis verbis , Vnusquisque vxorem suam sicut seipsum di-
ligat : Vbi omnes ita hunc locum exponunt , & facile probatur ex

Quasi qua-
sit significa-
rio.

Scriptura: 1. ad Corinth. 3. *Ipse autem salius erit, sic tamen quasi per ignem.* Et Iacobi. 2. *redarguti à lege quasi transgressores.* Et idem dicendum est de cæteris aduerbiis similitudinis: vt 1. ad Corint. 3. *Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, tanquam parvulis in Christo.* Ad Philipen. 2. *In similitudinem hominum factus, & habitu inuenitus ut homo.* *Ut*, significat ibi identitatem, vt exponit Ambrosius suprà. Ita exponit Hieronymus illud ad Ephes. 5. *Vnuquisque uxorem suam sicut seipsum diligit.* Et sane optime; quemadmodum ex verbis præcedentibus intelligitur; *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* Ex his refellitur abundè expositio Caetani, & Arborei; qui dicunt, hoc loco, *quasi*, significare similitudinem: vt sit sensus, non vidimus gloriam ipsam Vnigeniti, quæ tantummodo à beatis videatur; sed vidimus gloriam similem gloriae Vnigeniti; id est, repræsentantem Vnigenitum: nam hæc expositio præterquam quod pugnat cum communi sensu Sanctorum, in re aperta deficit: nam, *quasi*, non coniungitur cum gloria, sed cum Vnigenito. Non enim dicit, vidimus *quasi* gloriam *vni*geniti; sed gloriam, *quasi* *vni*geniti. Quod autem dicit à Patre, Erasmus putat ita iungendum; vt sit, *vidimus gloriam eius à Patre*, scilicet acceptam. Sed tamen Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, & Origenes tract. 2. in Matth. & communis sententia ita intelligit, vt sit *vni*geniti à Patre; id est, eius, qui est *Vnigenitus Patri*.

*Lectio di-
uersa excu-
titur.*

Plenum gratiæ & veritatis.] In Græco non accusatio casu legitur plenum, sed nominatio; est enim ἀληθες: & ita imuenimus nunc in Græcis codicibus: & ita legisse constat Cyriillum, Theophylactum, & Euthymium: propter quod Erasmus ait, se minimè quidem hoc asserere; quia contra omnes expositores est; tamen expendendum Lectori relinquere, an possint hæc cum sequentibus ita connecti, vt sit sensus: Ioannes plenus gratiæ, & veritatis testimonium perhibet de ipso. Hunc sensum Erasmi Caetanus mordicus tenet; vt sanctus Euangeliſta ostendat his verbis dignitatem, & sanctitatem Ioannis, vt eius testimonium magis recipiat. Sed hæc sententia pugnat cum Sanctis omnibus, tam Latibis, quam Græcis; & cum fide Græcorum codicum, qui sententiam finiunt in his verbis; *plenum gratia & veritatis*: Præterea verba, quæ sequuntur; *De plenitudine eius omnes nos accepi-
mus, & gratiam pro gratia;* quia lex per Moysen data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est, apertissime clamant, non posse hæc de Ioanne intelligi, sed de Christo. Non est igitur dubium, hæc ad Christum pertinere. Sed quomodo pertineant, variant authores: & ratio varietatis est, quoniam ἀληθες, utriusque generis est. Et ideo Cyriillus, & Theophylactus ita intelligunt, *vidimus gloriam eius*; quæ gloria plena est gratia & veritatis. Plena autem dicitur, iuxta Cyriillum, quod non ad mensuram illi data est, vt cæteris, nec foris accessit, sed vt perfecto perfecta substantialiter inest à Patre substantialiter habita: quare quod paulò ante ait idem Cyriillus, *plenus enim erat* *gratia*

*Varietatis
ratio.*

*Gloria ple-
na gratia
qua.*

gratia & veritate: videtur non ita fuisse vertendum, sed plena gratia, &c. At vero alij referunt hoc ad Verbum, quod Græcis masculini generis est, ut ipsum Verbum sit *plenum gratia & veritatis*. Ita Euthymius, & Origenes, tract. 2. in Matth. in fine, & Gregorius Nyssenus, homil. 13. in Cantica, & author homil. 2. in diuersos, quæ circumfertur in 2. Tom. operum Origenis. Quare ita interpretari debemus nostram translationem, ut respondeat Græca veritati, ad hunc modum: Verbum caro factum habitauit in nobis plenum gratiæ, & veritatis; ita ut per parenthesis interponatur, & *vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti à Patre*. Et quamvis hoc rectissimum dici potest; mihi tamen fit valde verisimile nostrum Interpretem nactum emendatores codices in Græco legisse πλήρη, accusatio casu; atque ita Latine vertisse, ut sit sensus; vidimus hoc Verbum plenum gratiæ, & veritatis. Primo, quoniam in Græco sola litera, *S*, differunt isti duo casus. Deinde quoniam Origenes homil. 2. in Matth. videtur accusatio casu legisse, & etiam Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 17. & apertius cap. 19. ita enim ait: *Sic etiam ipse Unigeniti à Patre gloriam viderit gratia plenam, & veritatis*. Quomodo autem Christus dicatur plenus gratiæ, & veritatis; varie à variis exponitur. Mihi hæc expositio maximè probatur; ut plenus gratiæ dicatur, non ut homo priuatus; sed ut caput: ut scilicet non solum sibi plenus sit omnibus gratiis, & donis; sed etiam omnibus membris suis. Iuxta illud Rom. 3. *ut si ipse iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu Christi*. Et propterea ad hoc alludens dixit Ioannes: *de plenitudine eius nos omnes accepimus*; de plenitudine scilicet, qua ipse sibi plenus est, & aliis: veritatis plenus dicitur; quia plenè in eo impletur omnia, quæ in Veteris Testamenti figuris adumbrabantur. Omnia bona, quæ in Veteri lege significabantur aliquando nobis danda, & aliquando implenda per ipsum data sunt, & impleta: Ideò ait Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere*. Est autem locutio valde propria: veritas enim dicitur apud omnes, cùm quis id præstat, quod promisit: ut Rom. 15. *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse Circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrium*; id est, prædicauit genti Iudeorum, ut impleretur, quod Deus promiserat missurum se illis filium suum. Et ad Titum. 1. *Quam promisit, qui non mentitur Deus*; id est, qui veracissimus est, & fideliter implet, quæ promisit. Cùm ergo Christus plenissimè præstet omnia bona spiritualia, quæ sub figuris legis promittebantur, meritò dicitur, *plenus veritatis*; ita Veritatem interpretatur illa 2. hom. in diuersos, ut videlicet opponatur *vmbra, & figura*: & Ambros. serm. 18. super Psal. 118. & Theophylactus, & alii.

Ioannes testimonium perhibet, &c.] Quoniam dixit, Ioannem amissum fuisse, ut testimonium perhiberet de Christo, nunc refert eius testimonium. Ita enim vtitur testimonio Ioannis, ut cæteri Euangelistæ testimoni

Christus
plenus gra-
tia & ve-
ritatis, quo-
modò dica-
tur.

S. Ioannes
quanta au-
thoritatis.

testimoniis Isaiae & Hieremie, ut ait Chrysostomius homil. 12. Quoniam omnes Ioahiem nouerant, & sciebant eum nihil minoris autoritatis esse superioribus Prophetis. Dum autem dicit, *clamat*; al ludit, ut ait Cyrillus, ad id, quod erat de eo prædictum, Isai. 40. *Clamat* etiam iuxta eundem Cyrrillum; quoniam non in occulto, nec submissa voce, ut pauci audirent, de Christo testificatur; sed publicè, & confidenter: Quod est eius, qui verum se dicere scit. Quod autem Erasmus, & Caietanus, & Iansenius putant legendum non esse, *clamat*; sed *clamauit*; quia ita est in Græco: Respondemus; veriora, & antiquiora exemplaria, quæ secutus est noster Interpres, habuisse *clamat*, ut apertissime intelligitur ex expositione Chrysostomi homil. 10. & Cyrrilli. Merito autem vtitur præsenti tempore, quasi dicat; adhuc viuit in ore, & in memoria omnium testimonium Ioannis, ac si modo audiretur.

Hic erat quem dixi.] Hoc dixit, quoniam sœpe de eo locutus erat Ioannes: ostendit itaque Euangelista tantum se ab omni fictione absisse, ut etiam vera testimonia, quæ commemorare poterat, prætereat.

Messias in-
sellectus sub
nomine
Venatur.

Cæterum nomine, *venturi*, omnes Iudæi Messiam intelligebant, ut diximus Abacuc. 2. *Veniens veniet, & non tardabit*: Et propterè cùm dicit, *qui post me venturus est*; idem est, ac si diceret: hic est Messias: & ita intelligitur illud Matth. 11. *Tu es qui venturus es?* id est; es tu Messias?

Ioannes ma-
ior Christo,
quatenus
homo erat.
Arianorum
falsa argu-
mentatio.

Qui ante me factus est.] Quia prior me erat; quoniam nullo modo potest intelligi; Christum, quatenus homo est, factum esse ante Ioannem; quoniam Ioannes sex mensibus maior erat; Ariani magnum argumentum ad suæ perfidiæ confirmationem hinc sumi putabant, ut probaretur Christum factum esse, etiam quatenus Verbum est: sed stultiissime colligebant. Sensus enim est; *Ante me factus est*: id est, maior, & honorabilior me est, prælatus mihi est. Ita exponunt S. Chrysostomus, homil. 12. & 15. Augustinus Tract. 3. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius; Ambrosius lib. 3. de fide, & gratia cap. 5. Gregorius homil. 7. in Euangelia, S. Thomas, & ceteri omnes.

Christus
fortior Io-
ne, quid.

Probatur hæc expositio ex Verbis ipsis: nam ubi nos habemus, *ante*; in Græco, non est præpositio πρ̄, quæ ad tempus referri solet; sed ἐμπρόστις, quod magis pertinet ad honorem. Vnde iuxta phrasim Græcorum ἐμπρόστις, alicui fieri, significat, alteri opponi, atque illi honorem non cedere: ut explicat Budæus in Commentariis linguae Græcae. Est itaque, ac si diceret. *mas adelante est* que yo. Probatur etiam, quoniam alij Euangelistæ camdem sententiam exprimentes dicunt; *Qui autem post me venturus est, fortior me est*: id est, potentior, & incessantior. Et Marc. 1. & Lucæ. 3. *Venit fortior post me*. Et hoc est, quod dicit idem Baptista Ioan. 3. *Illum oportet crescere; me au-tem minui: qui deforsum venit super omnes est*.

Tertiò, quod est argumentum Chrysostomi, & Ambrosij, locis citatis, & Theophylacti: Si propter diuinam generationem dixisset,

ante

ante me factus est, quid necesse erat addere, quia prior me erat, cum notissimum cuius sit, priorem esse aliquo, qui prius factus est, quam ipse? Præterea id quod creatur, non erat, antequam crearetur: inepta ergo causa esset: *Ante me creatus est, quia erat prior me: immò è contrario dicendum fuerat, Prior me est, quia ante me factus est.* Est ergo sensus; Licet ego prius baptizare, & prædicare cœperim; tamen ille mihi dignitate Prælatus est; quia antequam ego fierem, ipse erat, & semper fuit. Hoc autem dicit, ut ait Chrysostomus; quoniam multi putabant, ipsum esse Messiam. Augustinus, Tract. 3. *Quid magnum, si prior te? Audiamus ipsum dicentem; Antequam Abraham fueret, ego sum. Audi vocem Patris ad Filium; Ante luciferum genui te.* Exponit autem Augustinus; ante luciferum; id est, ante Angelum ipsum, qui cecidit. Sed quoniam id, quod diximus de Græcis illis præpositionibus, magnum momentum habet ad rectam huius loci intelligentiam: & est ab Erasmo, & à Iansenio adnotatum, & à neutrō confirmatum, confirmandum est ex Scriptura. Præpositio τρόδ significat prioritatem temporis, ut Psal. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra, &c.* Proverb. 8. *Antequam quidquam ficeret à principio.* Et postea; *Ante omnes colles ego parturiebar.* At verò επιτρόδειν, nullo modo significat prioritatem temporis: sed aliquando significat præsentiam; & est idem, quod coram, ut Matth. *Sic luceat lux vestra coram hominibus.* Et cap. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Et cap. 10. *Omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et hoc idem significatur per præpositionem ante: ut Matth. 27. *Iesus autem stetit ante præsidem;* & postea; *Et genuflexo ante eum illudebant ei.* Et Lucæ 21. *Vt digni habeamini fugere ista omnia, qua ventura sunt ante Filium hominis.* Aliquando opponitur ei, quod est, retrò, sive post: ut ad Philippen. 3. *Qua quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò qua priora, extendens me ipsum.* Et vbi nos habemus; qua priora sunt, est in Græco τοῖς επιτρόδειν. Et Malachiæ 3. *Ecce ego mitto Angelum, &c. qui preparabit viam tuam antè.* Ita enim citatur Matth. cap. 11. & Marc. cap. 1. Et hoc tertio modo capitur hīc; quasi dicat; Ille post me veniebat, sed iam nunc præcedit me. Et hoc modo intellexit Gregorius homil. 7. in Euang. & Beda eum sequens. Ait enim; *sic dicitur ante me factus; ac si dicatur ante me positus: post me ergo venit, quia postmodum natus;* ante me autem factus est, quia mihi prælatus. Hoc idem significat Augustinus his verbis; *ante me factus est, post me venit, & precessit me: non factus est antequam factus essem ego, sed antepositus est mihi.* Præcedere autem etiā propriè significat ante aliquem ire; tamen metaphorice significat maiorem esse & honoratiorem. Ex his locis intelligitur; *ante tripliciter sumi in Scriptura;* aliquando, ut significet prioritatem temporis; aliquando, ut significet præsentiam; & sit idem, quod coram; aliquando, ut significet differentiam loci anterioris, quo quis alterum præcedit: & hinc transfertur ad significandam præcedentiam honoris; cum ponitur in Riberæ in Ehang. Iean.

Ante tripli-
citer sum-
ptum.

prima significacione, solet in Græco esse, τις: cùm ponitur in secunda, & tertia, solet in Græco esse ψυπροδει.

Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.] Chrysostomus, & Cyrillus, & Beda, & Glossa, & Rupertus, & Lyra, & Titelmanus, & Ianseniūs in concordia c. 16. & alij existimant hæc verba esse ipsius Evangelistæ, & probat Ianseniūs; quoniam ea, quæ sequuntur, & gratiam pro gratia, & cætera omnia non pertinent ad Ioannem Baptis̄tam, qui hæc tenus loquebatur; sed ad Apostolos, qui subsecuti sunt iam prædicato Euangelio. At verò hæc omnia usque ad illud, & hoc est testimonium Ioannis, esse eiusdem Baptista, docet Orig. Tom. 6. & Theophylactus. Sed & Augustinus, & Euthymius, sine vila mentione Euangeliſtæ omnia ista exponunt. Idem sensit Caietanus: & mihi hæc sententia videtur probabilior: quoniam cùm dicit, & de plenitudine eius, &c. aperte videtur incepitum testimonium prosequi, non ponere neuum: quomodo autem hæc verba Baptista ipsi conueniant, ex eorum expositione constabit. Est ergo sensus: Quoniam Christus plenus est gratia, ut caput; omnes nos, quotquot grati Deo sumus, quotquot grati ante fuerunt, aut erunt postea; quidquid habemus gratiæ & donorum Dei, per ipsum habemus, iuxta. 1. ad Corinth. 1. Qui factus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio: & Act. 4. nec enim datum sub cælo aliud nomen hominibus, sub quo nos oporteat saluos fieri. Cyrillus: De plenitudine Fili, quasi iugi fonte gratiarum donum scaturiens in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit.

*Expositiones
quatuor
precipua.*

Et gratiam pro gratia] Horum verborum multæ sunt expositiones: sed tres sunt, aut quatuor, quæ maximè commendantur. Prima est August. tract. 4. primam gratiam, esse remissionem peccatorum, seu fidem, quæ per dilectionem operatur; secundam verò gratiam, quæ pro hac accipitur; esse ipsam glorificationem. Hanc præter Bedam vix ullus sequitur. Secunda est gratia ista, quam nos accipimus, & qua diuinæ naturæ confortes efficimur; accipimus pro gratia, quæ Christo data est: quia enim ipse Deo gratissimus, omnes qui ei adhærent, Deo accepti sunt. Hanc expositionem secutus est Zacharias Constantinopolitanus, ut citat Ianseniūs; & eam secutus est Vatablus in breuissimis Scholiis Noui Testamenti; & Claudius, & Montanus: videturque aptissimè cohærere cum eo, quod præcessit: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Tertia expositio, quæ nonnullis viris doctis huius temporis valde placet, est, *gratiam pro gratia*; id est, omnem gratiam. Omnes enim gratias, & omnia dona accipimus de plenitudine Christi. Nituntur autem hanc locutionem, & *gratiam pro gratia* redigere ad proprietates nostræ linguae, quidam ad hanc: *Dioselo todo cosa por cosa mando le todo sugarando cabeza por cabeza.* Alij ad hanc, *Pagoelo todo real sobre real:* utrique citant pro se illud Job 2. *Pellem pro pelle, & cuncta que habet homo, dabit pro anima sua.* At verò licet ingeniosæ sint istæ expositiones; si tamen verba ipsa rectè considerentur, nullo modo recipiēdæ videbuntur: ponitur, ubi nos habemus pro, præpositio dñi, quæ iuxta

iuxta linguae Græcae proprietatem non significat causalitatem ; qualis intelligitur , cùm dicitur ; *bis est sanguis meus , qui pro vobis effundetur*. Sed potius significat contrarietatem quamdam , cùm scilicet unum tollitur , & alterum eius loco substituitur : quod Latinè eleganter exprimitur præpositione *pro* : vt Iacob. 4. *Ecce nunc qui dicitis hodie , aut crastino , ibimus in illam ciuitatem , &c. pro eo ut dicatis : Si Dominus voluerit , & si vixerimus , faciemus hoc , aut illud*. Id est , vos absolute dicitis , ibimus in illam Ciuitatem ; & tamen non ita dicere deberitis ; sed eius loco , dicere ; si Dominus voluerit , faciemus hoc , aut illud , &c. Et Psalm. 44. *pro patribus tuis nati sunt tibi filii* : Id est , sublati è medio Prophetis , successerunt Apostoli : Et Matth. 2. *Audiens autem quod Archelaus filius eius regnaret pro Herode patre suo. Luc. 1. Numquid pro piske serpente dabit illi* ? Ex hac adnotatione constat , superiores expositiones veras non esse ; quoniam in illis non tollitur una gratia , vt eius loco substituatur altera. Quare communior expositio sequenda est : accepimus gratiam Noui Testamenti , aut nouæ legis ; pro gratia Veteris legis. Ita Origenes tom. 6. Chrysostomus , homil. 13. Cyrillus , Theophylactus , Euthymius , Rupertus , S. Thomas , Lyra , Titelmanus , Iansenius. Cùm autem dicimus ; nouam legem , aut *Nouum te-
flamenum quid.*
 nouum Testamentum , non intelligimus nuda præcepta ; sed statum legis gratiæ ; id est , omnia beneficia simul cum lege præstata , vt magnam , & apertam diuinorum mysteriorum explicacionem , adoptionem filiorum perfectiorem , Sacraenta , copiam gratiæ , & donorum spiritualium. Hæc autem lex noua dicitur gratia in Scriptura. Vt Rom. 6. *Peccatum enim vobis non dominabitur , gratia Dicitur non enim sub lege estis , sed sub gratia*. Et ad Gal. 5. *Euacuati estis à Christo , qui in lege iustificamini , à gratia excidisti*. Lex etiam Veterum gratia dicitur , licet minus propriè ; quoniam magna gratia , & magnum Dei donum fuit , vocare illum populum , & lege sua gubernare , iuxta illud Psalm. 147. *Qui annunciat verbum suum Jacob , iusticias , & indicia sua Isræl. Non fecit taliter omni nationi , & indicia sua non manifestauit eis*: Mihi autem videtur , cùm Nouam legem propriè gratiam dixisset , & Veterem statim nominare necesse esset , eam etiam gratiam vocasse ; propter aliquam similitudinem , quam habet cum Noua , licet minus propriè gratia dicitur ; quemadmodum dixit Paulus , Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis mea*. Et sicut nos dicere solemus ; lex Dei sequenda est , non lex mundi. Vnde paulò post cùm propriè legem Veterem cum Noua confert , iam non gratiam vocat , sed legem : *lex per Moysen data est , gratia , & veritas per Iesum Christum facta est*. Quamuis igitur lex Veteris esset gratia ; tamen quia nihil ad perfectum adduxit lex ; nec per eam homines iustificabantur , necessaria fuit gratia secunda ; id est , Noua lex , quæ data est loco Veteris. Ad hunc sensum

dicit Iansenius exponendum illud *Iob Pellem pro pelle*, &c. & recte dicit. Quamuis enim non sit eadem præpositio in Græco; est tamen altera eiusdem ferè significationis: in Hebræo enim est την *bead*; id est propter: in Græco autem ὑπὲρ, quæ præpositio cum genitivo significat idem quod ablativus, causa. Itaque cùm dicit, *pellem pro pelle*; sensus est: dabit pellem vnam propter alteram pellem; aut causa vnius pellis dabit alteram; videlicet dabit pellem, quamuis etiam filiorum, pro pelle sua, & pro anima sua; id est, ut pellem suam, & vitam conservet: quidvis, etiamsi pretiosissimum sit, perire sinet, ut ipse non pereat. Vel, dabit pellem vnius membra, videlicet ignobilioris; ut seruat illam alterius membra nobilioris. Et ideo Chaldaeus vertit, *membrum pro membro*: Itaque tollitur vna pellis, & ponitur altera pro ea.

Quod autem hæc sit significatio præpositionis tam Græca, quam Hebraica, patet; quoniam eadem in utraque lingua ponitur, ubi dicitur *pro anima sua*; id est, causa vita suæ. Est ergo sensus: Omnes homines ab ipso acceperunt, vnde salvi esse possint: adeò ut quamvis prius hominibus legem dedisset per Moysen, & viam salutis aperuisse; nunc tamen ipse veniat, & loco illius legis alteram ferat longè perfectiorem, per quam homines plenè reconcilientur Deo, & vitam æternam consequantur. Hic sensus quam germanus sit, patet ex verbis sequentibus: *Quia lex per Moysen*, &c. in quibus ratio huius sententiae redditur: Hæc autem verba optimè conuenire Baptista, cui notissima erant bona, quæ Christus hominibus afferebat, nemo nō videt.

Quia lex per Moysen data est, &c.] Id est, dixi omnes nos accepisse de plenitudine Christi, & accepisse gratiam pro gratia, quia Moyses legem dedit, quæ tantammodò lex fuit: legis enim officium est, præcipere bona, & prohibere contraria, ut docet Cicero lib. i. de legibus. Atque id fecit lex Vetus, iuxta illud Rom. 3. *Per legem enim cognitio peccati: at Christus fecit gratiam*; id est, instituit nouam legem, & nouam Rempublicam, & noua Sacraenta gratiam continentia, & conferentia: & fecit veritatem; id est, implevit quod in prioris legis figuris significabatur. Ita enim intelligit hoc Hieronymus ad Gal. 5. in illis verbis: *Euacuatis à Christo, & præbuit per sacramenta sua gratiam, quam illius legis ceremonie figurabant*. Christus igitur fuit, per quem semper homines iustificati sunt: vnde cùm dicit *per Iesum Christum*, emphasis habet illud verbum, quasi dicat, per nullum aliud fieri potuit: Ostendit autem à causa efficiente, quantum lex Noua præstet Veteri, quod hæc per Moysen data sit, illa per Christum. Quo argumento virtutis Paul. ad Hebreos primo per totum cap. Et de hac præstantia loquitur bene Chrysostomus, homil. 13. vtitur etiam, ut ibidem notat Chrysostomus elegantibus antithetis: opponit enim Moysi Christum, legi gratiam, Ceremoniis eius veritatem, & huic quod est data, quod sit facta: Moyses enim dedit aliunde accipiens, & quibus iubebatur dans; Christus autem fecit: facere enim Domini est cum potestate peccata dimittentis. Præterea assurgit paulatim oratio:

*Pellem pro
pelle dare
quid.*

*Legis offi-
cium quid.*

*Lex noua
quantum
præstet
teri.*

oratio : prius enim Prælatus est Ioanni Baptista, nunc Moysi præfertur, qui summo in honore apud Iudeos habebatur. Ex quo veraciter, ut ait *Cyrillus*, Psalmista omnium Sanctorum multitudini Christum præfert. Psal. 88. *Quoniam quis in nubibus aquabitur Domino, similis erit Deo in filiis Dei* : Nubes dicit esse Prophetas, Filios vero Dei, Santos Noui Testamenti.

Deum nemo vidit unquam.] Iuxta Chrysostomum, homil. 14. ita connectuntur hæc cum superioribus : Quoniam dixit maiora esse bona, quæ per Christum data sunt, quam quæ sunt data per Moysen; adducit eius rei causam probabilem ; nempe dignitatem personæ ; Moses enim cum esset seruus, sicut & alij homines, meritò factus est inferiorum rerum minister : Christus vero quia Filius Dei est, & exactè nouit Patrem, longè maiora nobis contulit. Ita etiam Theophylactus, & Euthymius, & alij, quos sequitur Iansenius. Alij aliter. Sed profectò licet Moyses Deum vidisset, & sciret quidquid sciebat anima Christi, non posset facere gratiam, & veritatem ; id est, reconciliare homines Deo. Ex quo videtur expositio Augustini tractatu 3. quam sequuntur Arboreus, & Claudio, non satis apta ; nempe dici, *Deum nemo vidit unquam*; ut responderetur iis, qui dicunt, quomodo gratia non est facta per Moysen, qui Deum vidit ? nam etiam iuxta hanc responsonem superflue adderetur, quod sequitur : *Vnigenitus*, &c. nisi fortè alicui placeat ita exponere, Vnigenitus ipse enarravit, scilicet hoc, quod modo dixi, neminem vidisse Deum ; ita enim exponit Augustinus in questionibus Noui Testamenti, quest. 71. Et Chrysostomus, homil. 4, de incomprehensibili Dei natura. Sed profectò, si verba ipsa attendantur, non loquitur Ioan. de aliis bonis, sed de explicacione diuinorum mysteriorum. Propterea existimo hunc esse sensum, quod dixi ; Gratiam, & veritatem factam esse per Christum, non per Moysen, hoc ex Filij ipsius doctrina accepi. Nam cum nemo Deum viderit, nemo satis intelligere potuit, quibus officiis, aut operibus Deus hominibus placaretur, aut non placaretur. Sed Vnigenitus Filius omnium eius secretorum conscientius docuit nos, nihil fuisse in Veteri legi, quod ex se vim iustificandi haberet : & etiam docuit modò per ipsum Christum factam esse gratiam, & veritatem. Et per hanc legem nobis perfectè placari Deum. Hoc autem vel verbo accepit Baptista à Christo, vel per internam revelationem.

Quod si obiicias, hoc ipsum satis erat à Prophetis explicatum, etiamsi Vnigenitus non enarraret. Respondetur ; Significatum quidem fuisse in lege, sed obscurè, ita ut valde pauci possent intelligere. At Christus explicuit, quid illæ figuræ, & ceremoniæ significant; quid Prophetæ dicerent : & docuit suos, se esse Messiam, & Filium Dei; aduenisseque tempus, quo Deus placaretur, & veritas, & gratia promissa oculis cerneretur. Aliter etiam possumus intelligere, & recte ; videlicet Euangelistam velle adhuc ostendere nobis per Verba Baptista excellentiam Nouæ legis ; quod non solùm in ea remissio-

Christus, &
Moyses, quæ
tum diffe-
rant.

nem peccatorum, & impletionem figurarum accipiamus; sed etiam multò expressiorem diuinorum mysteriorum cognitionem. Quasi diceret: Anteā necēsse erat multa ex diuinis mysteriis ignorari. Nemo enim eorū, qui illa docebant, viderat Deum; & ideo tantum sciebant, quantum per reuelationem docebantur. At nunc ipse Vnigenitus, vt testis oculatus enarrauit nobis Deum; id est, eius naturam, & bonitatem, beneficia: & ita videntur intellexisse Chrysostomus, homil. 14. & Sanctus Thomas. Quare meritò Chrysostomus adnotat verbum, ἐξηγήσατο, quod est, vbi nos habemus enarrauit, docētque hoc verbo significari expressiorem, certioremque doctrinam, quod Dei Filius multò clariorem cognitionem mysteriorum cœlestium nobis tradiderit, quām tradiderant Prophetæ. Vnde Graeci, Commentaria, quæ in alienius libri expositionem eduntur, vocant, ἐξηγήσαται, quæ Latinè aptissimè dicuntur enarrationes. Cūm autem dicit, in sinu Patris, sinum voca, iuxta Augustinum, secretum Patris: nam sinus noster intus est. Sicut autem dum dicitur Vnigenitus, ostenditur aequalitas cum Patre; ita cūm dicitur esse in sinu Patris significatur, nihil esse tam intimum Patri, quod Filium lateat. Vnde quasi per hyperboleum dixit Michæas, c. 6. Ab ea, qua dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. Ostenditur etiam in sinu affectus charitatis in Filium, vt ait Augustinus, in questionibus Novi Testamenti, q. 71.

Dubitatio 1. Sed est in his verbis dubium. Primum, quomodo vera esse possint. Respondetur, hæc verba, & similia ita solere explicari; *Deum nemo vidit*, dum est in hac vita mortali; vel viribus naturalibus, vel visione comprehensionis, vt scilicet videmus in S. Thoma. Et de hac visione comprehensionis intelligendus est Chrysostomus, in locis statim citandis; & alij Sancti, cūm negant Deum ab Angelis ipsis posse videri. Vide Xistum Senensem, lib. 6. Bibliotheca adnotat. 182. Alij addunt quartam expositionem; *nemo vidit Deum oculis corporeis*: quæ expositiones sunt illæ quidem veræ omnes; sed tamen Euangelista primam intendit, vt hīc exponit glossa, & Gregorius, 18. Moralium c. 37. est enim sensus; ex hominibus, qui hactenus inter homines vixerunt, & docuerunt, nullus repertus est, qui Dei essentiam viderit, & qui perfectè, & integrè patefacere eis potuerit secreta cœlestia, & Dei voluntatem, vt Christus. Vbi obiter illum præfert omnibus Patriarchis, & Prophetis. Et hoc ipsum dixit Paulus 17. ad Timot. 6. *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*. Hoc habemus explicatum Exodi 33. *Non videbit me homo, & vivet*. Et ita ibi exponit Glossa.

Dubitatio 2. Secundum dubium est, quo modo concilietur hic locus cum aliis locis Scripturæ, quæ contrarium assertere videntur, vt Gen. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem*. Et Numerorum 12. de Moysè; *Ore ad os loquer ei*; palam, & non per ænigmata videt Deum, quibus sunt multa similia. Respondetur; Ioannem loqui de visione per essentiam. Loca autem citata, & similia intelliguntur de visione Dei per Angelum, aut per speciem aliquam creatam. De quo Paul. Hebræi 1. *Multifariam, multisq[ue]*

*Commentaria & enarrationes quid.
Vnigenitus dicit aqua-
litatem cū
Patre.*

Dubitatio

*Responso.
Deum nemo
vidit, quo-
modo.*

Dubitatio

2.

Responso.

multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis. Ita docent hic Chrysostomus, hom. 14. & homil. 4. de incomprehensibili Dei natura; Cyrillus, lib. 1. in Ioan. c. 22. Theophylactus, Euthymius, & Glosa, & alij. Hanc veritatem copiose docet Dionysius, de Cœlesti Hierarchia c. 4. & copiosius Augustinus, 3. de Trinitate. c. 1. & 10. & 11. & ultimo. Et in questionibus Novi testamenti, q. 71. & alibi saepe; & Gregorius optimè 18. moral. c. 57. Probant hoc Chrysostomus, & alij ex illo Osee 12. *Et ego visionem multiplicauī, & in manu Prophetarum assimilatus sum: nam si essentia diuina videretur semper, uno, & eodem modo videretur, non diuersis.* Quare loca in oppositum adducta, & similia ita intelligenda sunt, ut non visa sit diuina essentia, sed figura aliqua repræsentabatur Deus: pertinet enim hoc ad quandam Prophetæ eminentiam, ut Deus ipse loquens videatur, licet imaginaria visione. Ita respondet S. Thomas 1. p. quest. 12. art. 11. ad 1. *Vnde Gregorius 18. Moral. c. 37. adducens verba Moysis Exod. 3. Ostende mihi temetipsum; ait, Certè si Deus non erat cum quo loquebatur, ostende mihi Deum diceret, & non ostende temetipsum: si autem Deus erat, cum quo facie ad faciem loquebatur, cur petebat Deum videre, quem videbat?* Respondet secundò Sanctus Thomas ibidem, posse etiam intellegi dicta ad quandam eminentiam intelligibilem contemplationis supra communem statum.

*Diuina es-
sentiā non
visa.*

Tertium dubium est; An pugnet cum his verbis, quod scripsit Augustinus in Epist. 112. de videndo Deum, c. 12. & lib. 12. super Genesim, c. 27. & 28. Et S. Thomas, 2. 2. q. 175. art. 3. & 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. Diuinam essentiam vim à Paulo, & Moysi in hac vita. Respondeatur; si verba per se considerentur, non pugnabit cum illis sententia Augustini, & Thomæ: facilè enim responderi potest, nemo vedit Deum in hac vita secundum legem communem, aut non abstractus à sensibus corporeis. Si verò considerentur coniuncta cum præcedentibus; & attendatur, quid ex eis Ioannes concludere voluerit iuxta expositiones omnium, etiam Augustini, & Thomæ; non video quomodo possit eorum sententia defendi. Nam si probat, Christum maiora nobis attulisse, & meliorem legem, & ampliorem Dei cognitionem, quam Prophetas omnes, quotquot ante eum docuerunt; quomodo vim habebit hæc ratio ad probandum, si Moyses vedit essentiam Dei? Cùm sit cuius in promptu responsio; si Christus vedit Deum, &c. Moyses vedit eius essentiam, qui fuit doctor, & legislator Iudæorum, & cognovit eius mysteria. Accedit, quod Ioannis. 6. Nemo prorsus excipitur, cùm ait Dominus, *non quia Patrem vedit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vedit Patrem.* Vnde Augustinus ipse hic manifestè excludit Moysen à visione diuinæ essentiæ, alioqui iuxta eius expositionem, nullam vim haberet Ioannis argumentatio; quare fortasse hoc loco mutauit priorem sententiam. Dixi, fortasse; quia mihi adhuc non constat, an Commentarios in Ioannem scripsit Aug. post illam Epist. seu potius librū; *de videndo Deū,* & post libros de Genesi ad literā.

Responso.

Quoniam

Quoniam librorum de Genesi, quos iam Episcopus scripsit, meminit
 2. retractationum cap. 23. Et postea scripsit de videndo Deum, ut patet
 2. retractationum, c. 41. Denique c. vlt. eiusdem libri dixit, se non
 dum retractasse ea, quæ dixit ad populum, ut Tractatus, & Sermones;
 ex quibus sunt Commentarij in Ioannem; quare aut eo tempore non
 scripsicerat in Ioannem, aut certè non recognouerat. Præterea multùm
 nos mouere debent verba illa Exodi 33. quæ cæteros ferè omnes Pa-
 tres mouerunt, & in aduersam sententiam declinare fecerunt, *non*
videbit me homo, & viuet: est enim Hebraismus, ut ait Vatablus, & Ly-
 pomanus in cathena in Exodum: ac si diceret; non videbit me homo
 viuens hanc vitam mortalem, dum in hoc corpore, & in hoc sæculo
 fuerit; & ita exponit Ambrol. lib. de bono mortis, c. 11. & Augusti-
 nus in quæst. supra Exod. q. 154. & S. Thomas super Iob. c. 19. in illis
 verbis: *Et in carne mea video Deum*, lectione 2. Et confirmat hoc ma-
 xime, quod Moysi potenti hanc visionem respondit Dominus; *Non po-*
teris videre faciem meam, & reddit rationem; non enim videbit me homo
& viuet.

Et hoc est testimonium Ioannis, &c.] Ponit secundum Ioannis testi-
 monium; quasi dicat, hoc etiam de Christo respondit Ioannes, quan-
 do Ierosolymitani miserunt ad eum Sacerdotes, & Leuitas. Inter Sa-
 cerdotem, & Leuitam hoc interest: quod omnis Sacerdos est Leuita,
 non enim poterat esse Sacerdos ex alia Tribu, quam ex Tribu Leui:
 quare cum dicitur, Deuteron. 17. *Veniesque ad Sacerdotes Leuitici generis,*
 non putandum est ex alio genere potuisse esse Sacerdotes; sed dicitur,
 ut illi soli Sacerdotes habeantur: et si fortè ex alia Tribu electi fue-
 rint, quemadmodum cum decem Tribus diuisa erant à duabus, nequa-
 quam habeantur in numero Sacerdotum. Non autem omnis Leuita
 erat Sacerdos; Sacerdotes enim certo ritu consecrabantur. Exod. 28.
 & 29. reliqui autem de Tribu Leui non initiati erant coadiutores Sa-
 cerdotum, & ministri in iis, quæ ad Templum, & ad vasa Templi, &
 ad Sacrificia attinebant, ut videmus Numerorum primo; quemadmo-
 dum nunc Diaconi, & Subdiaconi. Quare autem miserint Iudei hos
 Sacerdotes, & Leuitas, intelligimus ex Luca c. 3. vbi ita ait, *existi-*
mante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne, ne
fortè ipse esset Christus. Ratio autem dubitandi erat; quoniam videbant
 impletum illud Genef. 49. *Non auferetur sceptrum de Iuda, nec Dux, &c.*
 Et iunplatas esse Danielis hebdomadas, aut citò admodum debere im-
 pleri: legebant etiam illud Isaiæ. 40. *Vox clamantis in deserto,* videbant
 eum baptizare; & ideo scire optabant, quis esset Ioannes, an fortè es-
 set Messias. Dignitas huius legationis, & grauitas temptationis, qua ten-
 tatus est Ioannes, & rursum eius humilitas in reiicio ostenditur ex
 dignitate mittentium, & missorum; & ex dignitate, & magnitudine
 honoris oblati. Quod autem Chrysostomus, homil. 15. & Theophylac-
 tus, & Euthymius aiunt, eos odio, atque inuidia Christi, misis-
 se ad Ioannem, non constat, neque habemus unde possimus affir-
 mate,

Leuita om-
nés nō erant
Sacerdotes.

Ioannem
quibus uer-
sationibus
adducti
crederent
esse Christū
Iudei.

mare, & alij contra sentiunt.

Vi interrogarent eum: tu quis es?] Cùm pater Ioannis Sacerdos esset de primoribus, & prope Hierusalem habitaret, non poterant ignorare, præsertim eius contribules Sacerdotes, & Leuitæ, quis esset: venerant etiam omnes ad eius Baptismum, & notissimus erat: quare non nomen eius, & originem querunt; sed personæ qualitatem, & dignitatem, ut patet & ex cæteris eorum interrogationibus, & Ioannis responsione: *Ego vox.* At dubium est, quomodo dubitare potuerint Hierosolymitæ, an ipse esset Messias, cùm scirent patrem eius esse ex Tribu Leui; ac nemo in eis ignoraret Messiam fore de Tribu Iuda, iuxta illud Matth. 22. *Quid vobis videtur de Christo? Cuius Filius est?* Dicunt ei, *Danid.* Respondetur, Ioannem quoque pertinuisse ad Tribum Iudæ per matrem, quæ licet esset de Tribu Aaron, erat etiam ex Tribu Iudæ; & ideo cognata erat beatissima Virginis, Lucæ. 1. Sæpe enim miscebantur Tribus Sacerdotalis, & Regia; alioqui numquam profecto dubitare possent, an ipse esset Messias.

Mater Ioanni
nus cognata
B. Virginis.

Et confessus est, & non negavit.] Confessus est veritatem, & eam minimè occultauit. Ita intelligit Cyrillus. Existimo autem Euangelistam hac repetitione verborum voluisse ostendere nobis contentionem, & vehementiam Ioannis in assuerando, se non esse Christum; quasi non semel dicere contentus fuerit Baptista; sed bis, aut ter. Solent enim scriptores verbis imitari affectus eorum, de quibus scribunt, ut sæpe in historicis, & in poëtis videmus. Intellexit autem Ioannes, se de qualitate personæ, & officio interrogari. Intelligebat etiam, quid de se homines arbitrarentur; & ideo licet non interrogaretur, an esset Christus; semper solet ita respondere, & loqui, ut dubitationem eam, & suspicionem querentibus adimat.

Elias es tu?] Quoniam Ioannes multa de Christo dicebat, querunt; quandoquidem non est Christus, an sit Elias? Sciebant enim ex Malachiæ 4. Eliam venturum esse ante Christum. Vnde Matthæi 17. quomodo ergo dicunt Scribæ, quod Eliam oportet primum venire: Sed est magna dubitatio; quomodo querant isti, an sit Elias; cùm sciant filium esse Zachariæ sacerdotis? Iansenius dicit, apud Iudeos fuisse veterem errorem Pythagoræ de migratione animarum à corpore in corpus; quem inter alias eleganter describit Ouidius 15. Metamorphoseos: Adducit illud Matth. 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Alij Ioannem Baptistam, alij Eliam, &c. Eamdem sententiam retulit Origenes tomo 7. & S.Thomas. Sed minimè approbant: & sanè meritò. Quamuis enim demus, istum errorem fuisse inter Iudeos; tamen ad hunc locum non pertinet, cùm scirent Iudei ex 4. Regum. 2. non esse mortuum Eliam, sed raptum in cœlum. Et ex Malachiæ 4. constaret eis vivere, ut præcedat aduentum Messiae. S. Thomas ita responderet; *Sabitò apparuisse Eliam credebant Iudei.* Quod si obicias: At nouerant hunc esse filium Zachariæ. Respondet S.Thomas: *Quemadmodum Herodes Matt. 14. dixit de Christo; hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit*

Pythagora
error de
transmigra-
tione ani-
marum.

Elias vivit
ut præcedat
aduentum
Messiae.

Ribera in Enang. Ioan.

à mortuis ; quamvis prædicauerat diu antequam Ioannes decollaretur ; ita nunc Iudei ex simili amentia , & crassitudine querunt à Ioanne , an sit Elias. Secundò respondetur ex Origene , qui multis verbis de hac re disputat , fuisse quidem multos , qui Ioannis genus nosserent , & alios non nouisse : & isti querunt , an sit Elias? quemadmodum de Christo dicebant quidam Matth. 13. Nónne hic est fabri filius ? Nōme mater eius dicitur Maria? &c. & tamen c. 16. alij dicunt esse Ioannem , alij Eliam , &c. Sed adhuc tamen vrgit dubitatio ; Quoniam Christi Natiuitas fuit obscurior nativitate Ioannis , quæ diuulgata est super omnia montana Iudeæ , Luca 1. Præterea eti alij ignorarent ; non est tamen credibile , ignorasse Sacerdotes , & Leuitas , cum essent ex eadem Tribu , & habitarent in Ierusalem. Quare ita mihi videtur respondendum : Sciebant ex Malachia Eliam venturum esse ante Messiam. Sed cum in Ioanne viderent magnam similitudinem Eliæ , in abstinentia , vestitu , in zelo , & in aliis virtutibus ; & intelligerent aduenisse iam , aut aduentare tempus Messiae , dubitare cœperunt , an Elias intelligeretur in Malachia ipse Elias Thesbites , an aliis qui ipsum moribus , & vestitu referret , qui propterea dici posset Elias ; quemadmodum Ioannes dictus est à Domino Elias , Matth. 11. & 17. ratione spiritus , & officij. Quod si aliquis obiiciat , hunc locum Prophetæ ita citari ab Origene ; Ecce ego mittam vobis Eliam Thesbitem , quod verbum auferet omnem occasionem dubitandi : Respondetur , nec in Hebræo , nec in Græco , nec in nostra translatione ita legi ; scilicet Eliam Thesbitem : Sed Eliam Prophetam. Sed dices ; cur ergo Ioannes se esse negat Eliam Prophetam , quandoquidem officio , & spiritu est Elias ; Luca 1. Ipse precedet ante illum in spiritu , & virtute Eliae ? Respondeatur ; quoniam isti interrogant de Eliae , de quo locutus est Malachias , ac si dicerent ; Esne tu Elias ille , de quo scripsit Malachias : Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam ? non enim habebant , unde expectarent Eliam , nisi ex hac Prophætia Malachiæ : meritò autem negat Ioannes ; quoniam illa Prophætia loquitur de secundo Domini aduentu ad Iudicium.

Judicij dies dicitur , Dies magnus & horribilis . Elias quandoventurus est , & restituet omnia .

Non sum.] Iam patet , cur negauerit , & quomodo hæc verba non pugnent cum verbis Domini , Matth. 11. Et si vultis recipere , ipse est Elias. & c. 17. Dico autem vobis , quia Elias iam venit : persona enim non erat Elias ; erat tamen officio , ac dignitate , & spiritu. Luca 1. Ipse precedet ante illum in spiritu , & virtute Eliae , ut conuertat corda Patrium in Filios , & incredulos ad prudentiam iustorum : quæ eadem dicta erant de Eliae Malachiæ 4. Et propterea dicitur præcedere

S. Ioannes
dictus Elias,
& cur.

Judicij dies dicitur , Dies magnus & horribilis . Elias quandoventurus est , & restituet omnia .

cedere in spiritu, & virtute Eliæ. Ita conciliat hæc loca Augustinus tract. 4. & Gregorius, homil. 7. in Euangel. & communis interpretatio.

Propheta es tu?] Augustinus tract. 4. & Gregorius, homil. 7. in Euangelia, & Rupertus, & Interlinealis, & multi ex Latinis intelligunt hoc de quo quis Propheta; & ita negat se esse Prophetam, quia plusquam Propheta est; sicut testatus est Dominus, Matth. 11. ^{S. Ioannes} plusquam ^{ipse Propheta.} Quia Christum, quem cæteri venturum prophetauerant, ipse præsentem digito ostendit, quæ dignitas maior est, quam Prophética. At verò Græci dicunt hunc esse sensum: Es tu Propheta ille, qui in lege promissus est. De quo Deuteronom. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Deus, tamquam me ipsum audies?* Et ideo Ioannes non negat, se esse Prophetam, sed esse Prophetam illum. *Quod si obiicias, Christus, & ille Propheta nos erant duæ personæ, sed vna & eadem: ergo cum Ioannes iam responderit; non sum Christus,* illi rogantes non intelligebant de illo Propheta. Respondent Græci; vnam quidem personam esse Christum, & Prophetam illum: Sed tamen Iudæi male intelligentes Legem, putabant esse diuersas; immò, vt ait Lyranus, erat eo tempore celeberrima inter Iudeos opinio, Prophetam illum promissum in Deuteronomio venturum esse ante Christum: ita exponit hunc locum Origenes, tomo 7. Chrysostomus, homil. 15. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Lyra, Montanus, & alij. Responsio horum authorum est: quoniam Propheta ponitur in Græco cum articulo: & ideo certus quidam, & eximius Propheta significatur. Hanc expositionem Græcorum non recipit Iansenius, sed priorem: *Quoniam Ioannes dicens, Ego vox clamantis, &c.* ostendit, se esse Praecursorem illius iam præsentis, quem Prophetæ futurum prædixerant. Nihilominus præferenda est sententia Græcorum; ad cuius confirmationem, & simul ad reprobationem prioris colligitur optima ratio ex Origene. *Quod Dominus Matth. 11. cum dixit, ipsum esse plusquam Prophetam, etiam affirmavit esse Prophetam. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plusquam Prophetam.* Et Lucæ 1. *Et tu puer Propheta altissimi vocaberis;* quare si simpliciter rogassent, an esset Propheta, nullo modo negare potuisset. *Quod verò quidam dicunt, interrogatum esse Ioannem, An esset aliquis ex veteribus Prophetis; quam expositionem cum illa Græcorum coniunxerunt.* Erasmus, & Titelmanus in suis Paraphrasibus; tum coniectura est, & diuinatio; tum etiam per articulum appositum refellitur, vt prima.

Ego vox clamantis in deserto.] De officio, & dignitate personæ respondet, vt illi interrogauerant. In his verbis, quæ desumpta sunt ex Isaïæ 40. & ab omnibus Evangelistis de Ioanne exponuntur: Primò videndum est, quomodo iuxta hanc expositionem copulentur cum præcedéribus, vt constet sensum esse literalem. Dixerat Propheta,

c. 39. Diuitias Regum Iuda asportandas esse in Babylonem , & posteros Ezechiae captiuos ibidem futuros. Quibus verbis totius gentis vastitas , & captiuitas significata est. Deinde , c.40. vt solent Prophetæ, captiuos consolatur , ne in miseriis captiuitatis deficiant. Dicit enim, venturum esse aliquando Messiam , qui in pristinam libertatem restituat Ierusalem, liberans eam à diaboli tyrannide : *Loquimini ei ad cor, d Propheta, consolamini eam*, dicite iam completos esse eius labores , Dominum duplici supplicio iam contentum esse, quod de eis cepit , altero per Chaldaeos, altero postea per Romanos tempore Cnei Pompeij: iam non de supplicio , sed de misericordia cogitare: & continuò tempus huius misericordiæ ostendere volens , subdit. *Vox clamantis in deserto*; id est, Tunc hæc misericordia veniet , cùm vox clamantis audiri coepit in deserto. Ideò Ioannes venit in desertum , & clamauit, & Iudeis respondit ; *Ego vox clamantis* , &c. Ut intelligent impletum esse tempus aduentus Messiae. Quare cùm hunc sensum verba Prophetæ aptissimè reddant; non est dubium, esse literalem , & non spiritualem, ut putauit Ianuenius in concordia, c. 13.

Verba Hebreæ indeclinabilia,

Secundò videndum est , quomodo hæc verba intelligentur. Circa quod sciendum est, verba Hebreæ cùm sint indeclinabilia, posse ita cōuersti, *vox clamans*, & *vox clamantis*. Sed non est dubium vertendum esse, *vox clamantis*; quoniam Septuaginta ita vertunt, & omnes Evangelista consentiunt. Nec est intelligendum, dici *vox clamantis*, pro *vox clamans*; vt intellexit Hector Pintus ibi : dicit enim esse Hebraismum, vt *filius perditionis*; id est, filius perditus: *vas electionis*; id est , *vas electum*: *terra promissionis*; id est, terra missa : sed eius exempla nihil probant. Hoc enim verum est in genitiis nominum substantiiorum, vt indicant eius exempla; non autem in adiectiis. Propterea Ianuenius, c. 13. dupliciter exponit *vox clamantis*; scilicet Dei, qui per Ioannem clamat: aut *vox viri clamantis in deserto*; scilicet auditetur; id est, ipsius Ioannis. Neque obstat, inquit, quod ipse ait: *Ego vox clamantis*; nam hoc ita intelligitur; ego sum, de quo scriptum est in Isaia ; *Ego vox clamantis*. Ponit tertium sensum; vt vertatur *vox clamans*. At verò quoniam Ioannes rogatus , quis es? id est, quam personam, & officium haberet? Respondit: *Ego vox clamantis*; id est, meum officium est, vocē esse: intelligendum est, *clamantis*, scilicet Dei; id est, per me clamat ad vos Deus: Et hoc est, quod clamat: *Dirigite viā Domini*. Sed queritur, cur Ioannes dicat *vox*. Prima ratio sumitur ex Ambrosio, [Lucæ. 3. vbi ita ait: *Bene Ioannes Vox dicitur Verbi pronuncius, quia vox præcedit inferior*. *Verbum sequitur, quod præcellit*. Idē ait Theophylactus, & Gregorius, hom. 7. in Euāgelia. Dicitur autē *Vox* inferior Verbo; quia inarticulata est, & nihil certū enūciat , vt verbū. Secunda ratio est Augustini Serm. 20. de sanctis; *Vox sonus* est index cogitationis; cogitatio verbum est. Quando ergo verbū corde cōcipimus, necessaria est vox, quasi quoddā verbi vehiculū; vt verbū quod mente concipimus, transferatur aliō, voce opus est. Beatus Ioannes quasi vox fuit, per quā ad nos Dominus protulit Verbū suum incarnatum, & per quam

*S. Ioannes
vox cur.
Ratio 1.*

*Vox cur
verbo infer-
tior.
Ratio 2.*

quā est declaratū. Tertia est Epiphaniij, lib. 2. cōtra hēreses hēresi. 69. fe-
rē in medio. Vox est præparatiua auditus hominū; primū enim inarticulatā vocem sonantē reddere solent clamantes ē longinquo vocantes
eos, qui ab ipsis aliquid audire debent, & vbi illi vocem solā audierint,
& mentem ad audiendum, aurēsque conuerterint; tunc is, qui vocem
emisit, loquitur, & explicat quod volebat. Ita Ioannes fuit vox præparans homines, vt Christum loquentem audirent. Et hoc ferē est, quod
ait imperfectus super Matth. c. 3. *Vox, inquit, est sonus confusus, quo nul-
lum secretum cordis ostenditur, sed tantum aliquid dicere velle eum, qui vo-
cem emittit: Verbum autem est, quo secretum cordis ostenditur: Et quia Deus
non aperuit nobis per Ioannem misericordias suas, & iusticias, sed per Chri-
stum; ideo Ioannes dicitur vox, Christus autem Verbum.* Quarta ratio est Ratio. 4.
Hectoris Pinti super hæc verba Isaiae; Quoniam Ioannes totus erat
vox, totus Sanctitatem, & pœnitentiam prædicabat, non solum ver-
bis, sed etiam operibus; & vieti, & vestitu.

Sed quid significat hoc loco *clamor*? Responsio: clamor aliquando
in Scriptura non significat magna vocis emissionem, sed significat
magnitudinem rei, quæ dicitur, vt docet Hieronymus ad Gal. 4. vbi ita
exponit illa verba; *Misit Deus Spiritum filij sui in corda nostra clamantem,*
Abba Pater. Notat hoc etiam S. Thomas 1. p. q. 107. art. 4. ad 2. *clamare*
etiam dicitur quis, cùm non abscondit, quod loquitur, sed publicè lo-
quitur, & ab omnibus audiri desiderat, vt diximus in illis verbis Ioan-
nis, *testimonium perhibet & clamat.*

In deserto.] Nonnulli desertum dici putant Iudæam, vt Gregorius Desertum
hom. 7. in Euangelia. Alij corda Gentilium, quæ arida erant, & gratia quid.
Dei non irrigata; Eusebius, lib. 9. Demonstrationis Euangelicæ, De-
monstratione. 5.

Sed non est dubium desertum dici locum à Ciuitatibus remotum, in
quo Ioannes prædicabat. Quasi dicat; Ego sum vox Dei; qui per me
clamat ad vos in hoc deserto; quod satis indicant Euangeliſtæ, vt
Matth. cap. 3. *Venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudea, &c. hic est
enim de quo dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: vox clamantis in de-
serto.* Per desertum autem spirituali sensu intelliguntur arida corda, &
Dei gratia destituta, qualia erant corda Gentilium, & multorum Iu-
dæorum: & ideo ita interpretati sunt authores citati.

Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaia Prophetæ.] Non posuit ad ver-
bum testimonium Prophetæ, sed eius tantum suminam, & sententiam.
Verba enim Prophetæ iuxta Septuaginta ita habent: *parate viam Do-
mini, rectas facite semitas eius: & ita posuerunt cæteri Euangeliſtæ. Iux-
ta Hebræum verò; parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas
Dei nostri.* Nonnulli putant, parare viam Domini, esse ambulare in via
Christi, & more Euangelij viuere: quasi dicat, hactenus ambulastis
in via Moysis, nunc in via Christi ambulate. Ita intellexit Tertullianus lib. 4. contra Marcionem pag. 5. illius lib. Et apertiūs Theophylactus super Lucam. cap. 3. & Cyrillus hīc. At verò, vbi nos habemus,

parate, in Hebræo est verbum παντα, quod significat preparare, & expurgare: tunc autem domus, aut via præparatur, cùm expurgatur, vt Gen. 2.4. *Præparati domum, & locum camelis tnis.* Est ergo sensus: expurge viam lapidibus, & luto; vt Christus, qui iam adest, veniat ad vos, & in vobis habitet; id est, expurge corda vestra peccatis, præbete Deo semitam rectam, qua veniat ad vos, amouete omnia impedimenta. Via enim obliqua impedimento esse solet, & tardio; recta autem via est omnium breuissima, & aptissima. Repetit autem bis eamdem rem, ad maiorem asseuerationem: & sumitur metaphora à Regibus, qui cùm diu expectati ad suos veniunt, præparatur illis via summo studio, amoendo primùm quæcumque in illa esse solent impedimento; deinde obliquiores vias in restitudinem ditigendo. Quod autem hoc nunc dicat, *parate viam*, facile ex Euangelio intelligimus, Luc. 1. *Praibis enim ante faciem Domini parare vias eius, ad dandam scientiam salutis plebis eius;* & paulò antè, *Praesbit enim ante illum in spiritu, & virtute Elie, vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad sapientiam iustorum.* August. tract. 4. aliam metaphoram intelligit: ita enim ait: *Non vobis videatur praconis esse dicere, exite, facite viam, nisi quod præco;* exite, dicit; *Ioannes dicit venite:* a iudice repellit præco, ad iudicem vocat Ioannes, immò vocat Ioannes ad humilem, ne iudex sentiatur excelsus.

Sed quid est, quod dicitur Isai. *Rectas facite in solitudine?* Respondeatur: cùm dixit, *vox clamantis in deserto,* propriè accepit desertum, vt dictum est: cùm verò dicit, *in solitudine,* accipit solitudinem metaphoricè, vt significet cor sterile, & incultum verbo Dei. Et ratio est; quoniam cœperat metaphoricè loqui, *parate viam Domini;* & ideo perstat in metaphora, quasi dicat: tollite virtù, vt Deus veniat ad corda vestra arida, & inculta: cùm enim via in cordibus paranda sit, rectè etiam in illis intelligitur solitudo: & ita etiam frequenter accipere solitudinem Isai. vt cap. 32. *Et erit desertum in Carmel, & habitabit in solitudine iudicium.* Et c. 35. *Latabitur deserta, & inua, & exultabit solitudo.*

Tres Sectæ
inter Iudeos
celeberrima-

Pharisæi
quale ge-
nus.

Et unde di-
cti.

Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.] Augustinus 1. *Ex principiis* Iudaorum. Tres Sectæ fuerunt inter Iudeos celeberrimæ, Pharisæorum, Saduceorum, Essenorū: duarum priorū meminit saepe Euangelium, & Actuum 23. legimus: *Saducei autem dicunt non esse resurrectionem mortuorum, nec Angelam, nec Spiritum.* Pharisæi autem utræque confitentur; Et propterea Paulus dixit, Act. 26. *Quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus:* Certissimam vocat, quoniam non errabat in iis, quæ dicta sunt, sicut aliæ sectæ, & in ceteris pauciores errores habebat. Pharisæi erunt genus hominum astutum, & arrogans, & maximæ apud Iudeos authoritatis; adeò vt Reges etiam ipsos aperte impugnare non veterentur; vt scribit Iosephus, 17. Antiquitatum. cap. 3. Habant præterea multas constitutions à maioribus per traditionem acceptas, quas populo tradebant. De his tribus sectis vide Iosephum 13. antiquitatum. cap. 9. & latius lib. 13. c. 2. & lib. 2. de Bello Iudaico c. 7. Dicuntur autem Pharisæi,

vt ait

vt ait Hier. Matth. 22. quasi diuisi à populo ; à verbo παρα, quod significat diuidere , eò quòd sanctiores cæteris videri vellent ; & quòd iustitiam traditionum suatum haberent , quas Græci vocant διερεότες . Saducæi verò dicuntur , quali isti , aut insificati ; à verbo πάντας ; quod significat insum esse ; aut insificari . Hieronymus , Isa. 8. in illis verbis ; In lapidem autem offensionis , &c. Putat Phariseos , & Scribas initium habuisse à duobus hominibus ; qui dicti sunt Samai , & Helei , non multò ante Natinitatem Domini . Sed obstat Iosephus , qui 13. Antiquitatum cap. 9. testatur , has tres Sectas fuisse iam tempore Ionathæ fratri luda Machabæi , & lib. 18. cap. 2. cùm versaretur in historia eius temporis , quo Dominus natus est , ita incipit . Iudai patris sapientia studiosi iam inde à multis retro seculis in tres Sectas erant diuisi , Essorum , &c. De eisdem Sectis vide Xistum Senensem , libro 2. Bibliothecæ , verbo traditiones seniorum ; vbi etiam addit quartam Sectam Galilæorum à Iuda Galilæo multò post exortam ; de qua etiam Iosephus 18. Antiquitatum . cap. 2. Est autem sciendum , Phariseos non fuisse ex aliqua certa Tribu , sicut Sacerdotes ; sed ex omnibus : nam Paulus , qui erat Phariseus , fuit ex Tribu Benjamin ; & isti , qui mituntur ad Ioannem , erant de Tribu Leui .

Ex dictis intelligimus , cur missi sint Pharisei , & cur ausi fuerint Ioannem interrogare , & reprehendere ; ac denique , cur Euangelista adnotauerit , fuisse ex Phariseis : volebant enim isti religiosores videri cæteris , & zelatores legis . Ideoque quasi ex zelo interrogant , Quid ergo baptizas ? &c.

Ego baptizo in aqua .] Hæc verba etiam cæteri Euangelistæ posuerunt , sed non docuerunt , quo loco , aut tempore dicta essent , vt Ioannes . Est autem sensus : Meus baptismus aquæ tantum est & corpora solùm purgat , vt per illum disponam vos ad inclitem baptismum , quo purgabuntur animæ : ac proinde nihil facio , quod non possit conuenire ei , qui neque Christus sit , neque Elias ; neque Propheta : sed quidam versatur inter vos , cuius dignitatem , & præstantiam vos adhuc minimè cognouistis ; ipse est , cuius præcursor ego sum , qui verum baptismum conferet . Vnde Matth. 3. sequitur statim ; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto ; & igne : Quod aperte dictum est de aduentu Spiritus sancti in die Pentecostes : Quasi dicat ; iste , de quo loquor , ita effundet super vos Spiritum sanctum , sicut ego nunc effundo aquam : iuxta illud Ioëlis 2. Effundam de spiritu meo super omnem carnem . Probatur hoc ex verbis Domini eodem modo loquentis , Actuum 1. Quia Ioannes baptizauit Aqua , vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies . Et propter ea etiam dicit , & igne ; quoniam in linguis igneis descendit Spiritus sanctus .

Sed quoniam sancti Patres etiam de Sacramento Baptismi intellegunt hæc verba , sciendum est , omissis variis expositionibus , Baptismo aquæ opponi ex aduerso Baptismum Spiritus sancti , & ignis . Aqua enim

Saducæi unde dicti .

Pharisei & Scribae unde initium habuerint .

Galileorum secta à quo capta , & quando . Pharisei ex omnibus Tribubus . S. Paulus Phariseus , & ex qua Tribu .

Baptismus Ioannis qualis , & ad quid .

Baptismo aqua opponitur baptismus s. spiritum .

*Spiritus
sanctus cur-
dicatur
ignis.*

enim mundat, & frigefacit corpora; sed in Baptismo Christi datur Spiritus sanctus, quo emundatur anima, & datur ignis; dicitur autem ignis idem Spiritus sanctus, quatenus animam accedit amore diuino, & ad præclara opera aggredienda excitat. Possumus etiam ignem intelligere ipsam charitatem. Præterea, vbi Ioannes dicit; *Ego baptizo in aqua*, Matth. 3. additum est, *in pœnitentiam*. Marci autem 1. & Lucæ 3. legimus; *Venit Ioannes prædicans Baptismum pœnitentia in re-missionem peccatorum*. Et eodem modo locutus est Paulus, Actuum 19. *Ioannes baptizauit baptismo pœnitentia populum*. Caietanus, Matth. 3. ita exponit illa verba; *Baptizo vos, ut agatis pœnitentiam, eamque hoc baptismo profiteamini*. Sed quoniam sicut Matthæus dicit, *in pœnitentiam*; ita Marcus; *in remissionem peccatorum*, constat eamdem esse phrasim, & eodem modo verumque esse accipendum: ut sit sensus, *Baptizo vos aqua*, vt cùm agnoscentes vos peccatores, & ablutione indigere, baptismum suscepitis, simul agatis pœnitentiam, per quam vobis peccata remittantur, & ita paretis viam Christo venienti ad vos: idè dicitur hic *baptismus pœnitentia*, & *in pœnitentiam*, & *in re-missionem peccatorum*; non quia eam efficiebat, sed quia ad eam disponebat, ut dictum est.

Vt soluam eius corigiam calceamenti.] Id est, adeò non sum cum illo comparandus, vt nec in infimo omnium ministerio ei deseruire dignus sim; cuiusmodi est *soluere corigiam calceamenti*. Ita etiam loquuntur Marcus, cap. 1. & Lucas, cap. 3. Matth. tamen cap. 3. ait, *Cuius non sum dignus calceamenta portare*: Quod idem significat; calceamenta enim famulus portat hero suo calceanti se; corrigia autem soluitur calceos exuenti: fieri autem potuit, vt vtrumque Baptista dixerit, vel simul; licet diversis temporibus. Quod si alterum tantummodo dixisset, nulla esset falsitas in Euangelistis: nihil enim refert hisne, an illis verbis res dicatur, dummodo res eadem, & sententia explicetur. Ita hæc conciliat Augustinus, lib. 2. de consensu Euangelistarum, cap. 12.

*Dubitatio.
An Chri-
stus vesus
fuerit cal-
ceis.*

Sed est in his verbis magnum dubium; an Dominus calceis vesus fuerit. Lyra hic ait, hanc locutionem esse metaphoricam; quoniam Dominus non est vesus calceis; quod probat ex Lucæ. 10. *Nolite por-tare faccum, neque peram, neque calceamenta*. Dominus autem fecit, quod docuit A&t. 1. *Capit Iesu facere, & docere*: Quare cùm calceos Apostolis abstulerit, sequitur eum non vsum fuisse illis. Et confirmari potest hæc ratio ex Hieronymo in Epistola ad Eustochium, de custodia virginitatis, paulò ante medium; vbi inquit, cùm milites diuiserunt vestimenta Domini, non ibi fuisse calceos, quos diuiderent. Nec enim, inquit, poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis. Idem sentit Replicator Mar. 1. & probat ex Lucæ 7. *Lacrymis capit rigare pedes eius, & capillis suis tergebas*, &c. Nec enim ei calceos abstulit. Eandem sententiam videtur acerrimè defendere Bonaventura in quadam Epistola, quæ incipit, *Talis lector tali lettori*, & habetur in primo tomo

tomo Opusculorum eius, fol. 272. &c est tota de hac re contra quem-dam, qui oppositum docuerat. Erasmus in annotationibus in illis verbis Marci. 6. *Calceatos sandaliis*, ait; *Probabile est, Christum aliquando fuisse usum calceamentis; aliquando non fuisse usum, videlicet prout res prasens exigebat.* At Iansenius in concordia, cap. 55. in illis verbis: *Nolite possidere aurum, &c.* dicit verisimile esse, Christum non incessisse nudis plantis; quia hoc non conueniebat asperitati, & caliditati regionis illius, per quam assidue discurrebat. Burgensis tamen in additione 7. in Marcum, cap. 1. incunctanter probat, Dominum usum fuisse calceis, nec nudis pedibus incessisse. Quam ego sententiam verissimam esse arbitror: & probatur ex Augustino, sermone 1. de Apostolis; vbi hoc expressè affirmat. Probatur etiam ratione, in qua huius sententiae fundamentum potissimum situm est: Christus non duxit austera vitam, sed communem in exterioribus, & similem aliis. Nam, vt probat S. Thomas 3. p. quæst. 40. art. 2. *Congruum fuit incarnationis fini, ut cum hominibus conuersaretur; qui autem cum aliquibus conuersatur, conuenientissimum est, vt se eis in conuersatione conformet, iuxta illud 1. ad Corinth. 9. Omnis omnia factus sum, vt omnes lucifacerem: & ideo conuenientissimum fuit, vt Christus in cibo, & potu communi se sicut alij haberet.* Hæc S. Thomas. In cibo, & potu aperte hoc videmus, Matth. 11. *Venit Ioannes non manducans, nec bibens; & dicunt; Demonium habet: venit Filius hominis manducans, & bibens; & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini:* Dicitur autem Ioannes non manducans; nec bibens: non quod non manducaret; sed quod abstinentior erat, & non vtebatur illo cibo, & potu, quo vtebantur Iudæi: Et similiter Dominus dicitur manducans, & bibens; quia vtebatur cibo, & potu, quo alij. Ita hæc exponit Augustinus 16. contra Faustum, cap. 31. De vestitu videmus hoc idem in diuisione vestium: habuit enim Dominus tunicam inconsutilem, & præterea alia vestimenta, vt alij; atque ea quidem non vilia, se communia: alioqui milites non diuisissent per sortes eius vestes. Ergo idem de calceis dicendum est; alioqui in regione illa aspera, & montuosa, per quam ille assidue discurrebat, non parue asperitatis erat nudis pedibus incedere, multumque à communi hominum consuetudine recederet. Nec obstat obiectio Replicatoris Marci. 1. Quod si ex eo, quod conueniens fuit, Christum conformari aliis, subsumimus, oportuisse, vt conformaretur illis in calceis; rectè etiam subsumi poterit, debuisse etiam conformari in possessionibus, & diuitiis, & in nuptiis, & in aliis licitis. Respondeo enim, nos argumentati à vietū, & vestitu, ad calceamenta; quoniam eadem est de his omnibus ratio. Et præterea dicimus; conformari debuisse non in omnibus, sed in iis tantum, quæ eius personam decebant, & quæ non erant impedimento officio prædicandi.

Secunda ratio est; Apostoli, si vederent Dominum nudis pa-

Ribera in Enang. Iom

*Christus
duxit com-
munem vi-
tam in ex-
terioribus.*

*S. Ioannes
quomodo nō
manducans,
nec bibens.*

*Christus
manducans,
& bibens
quomodo.*

*Vestes Chri-
sti quales.*

*Christus in
quibusnam
conformari
debueris ca-
teris homi-
nibus.*

I dibus

dibus incedere; proculdubio ipsum imitati essent; at non incessere nudis pedibus: ergo nec Christus incessit. Minor patet: nam licet Dominus præcepérat eis Matth. 10. & Lucæ 10. vt non portarent calceamenta; simul iussit, vt calcearentur Sandaliis. Marc. 6. Et præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, nec in zona æs; sed calceatos Sandaliis. Sandalium autem est calceamenti genus tegens plantas, & à lœsione conseruans; supernè autem corium non habet, sed ansulis quibusdam, & cori-giis alligatur; quales dicit esse Bonaventura, Lucæ. 10. soleas Fratrum Minorum; & ita Latinè dicuntur *soleæ*: quare ita conciliantur ista loca Euangelistarum, vt eis prohibuerit Dominus calceamenta; id est, calceos integros, qui Græcè dicuntur *πόδηστα*: non autem prohibuit Sandalia, quæ sunt semicalcei. Ita conciliat Bonaventura, Lucæ. 10. Albertus Magnus, Marc. 6. Abulensis super Matth. cap. 10. quæst. 60. Dionysius, Matth. 10. Iansenius in concordia cap. 55. & alij: nisi quodd Albertus dicit, in calceamentis prohibitum fuisse superfluum cultum calceorum. Hoc ipsum, scilicet non nudis pedibus incessisse Apostolos, docet Abulensis super Matth. 10. quæst. 83. & latius OEcumenius Act. 12. in illis verbis; *calcate caligas tuas*: & ibidem Theophylactus. Sed latius adhuc Chrysostomus, à quo illi mutuati sunt, in homilia quadam super illud ad Rom. vltimo; *Salutate Priscam, & Aquilam*, quæ ponitur continuò post homilia in Epistolam ad Rom. Immò docent isti tres authores, illud præceptum; *nolite portare fæcum, neque peram, neque calceamenta*, non fuisse in omne tempus datum Apostolis; sed in tempus illius missonis, vel usque ad tempus Passionis: Tempore enim Passionis permisit illis calceos, & reuocauit præceptum illud prius, quando dixit, Lucæ 22. *Quando misi vos sine fæculo, & pera, & calceamentis, nunquid aliquid defui vobis?* Sed nunc qui habet fæcum, tollat similiter & peram, &c.

Passionis tē-
pore permi-
fit Christus
Apostolis
calceos.

Hoc etiam affirmat Augustinus, 22. contra Faustum, cap. 77. & Castro. lib. 4. contra hæreles in ipso principio, & lib. 2. verbo *Apostoli*, hæresi. 2. Confirmatur hoc; quoniam Paulus non solum vestes habebat, sed etiam penulam 2. Timoth. 4. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros.* Probatur etiam ex Solea B. Petri Apostoli, quæ Romæ seruatur, vt ait Bonaventura in Epist. citata: & præsertim ex Actuum. 12. *Præcingere, & calceatos caligas tuas:* & ita interpretantur ibi Chrysostomus: & præterea in homilia citata, & Theophylactus, & OEcumenius, & Beda, & Lyra, & Interlinealis, & Bonaventura in Epist. citata. Et renerà ita est. *Caliga* enim propriè tegumentum est militare ad medium usque tibiam, vt in antiquis marmoribus cernitur; qua communiter homines non vtebantur extra cæstra, & bella: nec tamen male transtulit nostri Interpres; quoniam olim caligæ etiam significabant calceos. Videmus hoc apud Hieronymum, de custodia Virginitatis, in Epistola ad Eustochium, qui ait: *Et milites vestimentis Iesu sorte di-*

s Paulus
babuit pe-
nulam.
Solea B. Pe-
tri seruata
Rome.

Caliga
quid.

nifis

nisi caligas non habebant, quas tollerent; nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat seruis. Et in Epistola ad Gerontiam, quæ incipit; In veteri via prope finem; Apostoli tuto orbe peregrini non es in zona, non virginem in manu, non caligas habuere in pedibus. Immò & Iulius Capitolinus in vita Maximini Imperatoris authot est, abiisse in prouerbium caliga Maximini, ex eo, quod quidam posuerunt in publica via eius calceamentum, quod erat pedigree maius hominis vestigio, atque mensura: hinc etiam Sandalia dicuntur caligæ. Ita enim ait Hieronymus super Ioannem, cap. 20. In principio depositis calceamentis è pedibus. Quæ Septuaginta Sandalia; id est, caligas vocant. Et ad hunc modum intelligenda sunt Sanctorum testimonia, quæ affert Bonaventura, & alia similia, ut probet Apostolos discalciatos incessisse. Significant enim Sancti, idèò discalciatos dici, quia vtebantur Sandaliis: quod ex eopatet, quod semper alludunt Sancti ad verba Euangeli citata. Nec aliud vult ipse Bonaventura probare, quam aut nudis pedibus incessisse Christum, & Apostolum, aut cum Sandaliis. Nam & ipse pro sua sententia affert locum citatum ex Act. 12. & quod diximus de solea B. Petri.

Caliga Maximini.

*Apostoli
utebantur
Sandaliis.*

Ego verò existimo, Apostolos post Passionem Domini aliquando vios fuisse Sandaliis, aliquando etiam calceis integris pro necessitate, & pro consuetudine regionum, in quibus prædicabant: nec est improbabile, quod aliquoties ad tempus nudis pedibus ambularent, aut ex egestate, aut quoniam rem ita poscere iudicabant; non tamen ex instituto, aut perpetua consuetudine. Ex his quoque fit probabile, Dominum vsum fuisse Sandaliis.

Tertia ratio est desumpta ex ipsis verbis Ioannis, Cuius non sum dignus, ut soluam corigiam calceamenti: Nam licet prouerbia lis locutio sit; profectò non ita loqueremur de homine, quem discalciatum incedere constat. Hæc ratio est Augustini, sermone t. de Apostolis, vbi ita ait: Nam de his calceamentis, quibus calciati ambulamus, consolatur me idem ipse Dominus meus. Si enim ipse calciatus non esset, non de illo Ioannes diceret, non sum dignus soluere corigiam calceamentorum. Quare miror Bonaventuram, cùm facile posset soluere argumentum, si diceret, Dominum habuisse Sandalia, confugere ad sensus, quos ipse fatetur esse spirituales, aut dicere iuxta literam locutionem esse metaphoricam. Sicut si de homine valde nobili non lauante manus dicitur; non sum dignus effundere aquam super manus eius: quæ solutio est contra Augustinum, & contra vstatum modum loquendi. Respondetur etiam, Dominum vsum fuisse calceis, antequam publicè prædicaret, aut regulam ederet; non tamen posteà. Verum hæc solutio nullo fundamento nititur, immò falsa omnino videtur: non enim est probabile, aliter Dominum indutum fuisse ante prædicationem, & aliter posteà;

I 2 quando

*Christus
confirmabat
operibus,
qua doce-
bat.*

quandoquidem quod docebat, non solum confirmabat operibus, cum
docebat; sed etiam priusquam doceret, fecerat.

Ad primum argumentum Respondet Burgensis Marc. i. loco cita-
to; Christum non seruasse omnia, quae praecipit Apostolis, cum eos
mittebat ad praedicandum. Dixit enim eis Matth. 10. *In viam gentium
ne abieritis, & in Ciuitate Samaritanorum, nec intraueritis;* & tamen
ipse Matth. 15. *Secessit in partes Tyri, & Sidonis.* Et Ioan. 4. *Intrauit
in Ciuitatem Samaritanorum.* Ratio est; quoniam, ut ait S. Thomas,

*Christum in
quibus ne-
cessere non fue-
rit praebere
exemplum.*

3. p. quæst. 40. art. 2. ad 1. non erat necesse, Christum in omnibus
præbere exemplum; sed in iis, quæ per se pertinent ad salutem: In
iis autem, quæ non pertinent per se ad salutem; id est, ut exponit
ibi Caietanus, quæ non sunt secundum se bona; sed quatenus re-
feruntur ad finem aliquem, ut paupertas, & abstinentia; tantum præ-
buit exempli, quantum fini Incarnationis congruebat. Congruum
autem erat, ut in victu, vestitu, & calceamentis se cæteris confor-
maret: quare nec Sandaliis usum fuisse Dominum concederem, nisi
existimasset, cæteros quoque homines eis usos fuisse. Possumus
etiam secundò respondere; fecisse hic quoque Dominum, quod præ-
cipiebat: nam & ipse Sandaliis vtebatur, quibus uti iussit Apostolos.
Ex hoc respondetur ad verba Hieronymi citata in primo argumen-
to. Quod autem Evangelista non commemoravit Sandalia in diuisio-
ne vestium, fecit; & quia exigui pretij fortassis erant; & tantum vo-
lebat ostendere, impletam esse Prophetiam Psal. 21. *Diniserunt
sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Quod si hæc
difficultas vgeret, æquè Hieronymum ipsum vgeret, ac nos. Ex
his etiam responderet ad secundum argumentum Iansenius cap. 55.
Magdalenam potuisse lauare pedes Domini; quia Sandalia gerebat.
Sed est aduersus hoc, & aduersus tot Doctorum sententiam ma-
gnum argumentum: quod calceamenta, quæ Dominus Apostolis
prohibuit, semper vocantur *υπόδηματα*, Matth. 10. & Lucæ. 10. &
22. Quæ autem eis concessit, vocantur Sandalia, Marc. 6. At verò
hic, cum dicit *corigiam calceamenti eius*, non est in Græco *Sandalia*
eius; sed *υπόδηματα*: ergo Dominus non gestabat Sandalia, sed
integros calceos. Respondetur, *υπόδημα* apud Græcos, quemad-
modum apud nos calceamentum, nomen esse genericum. Cuius spe-
cies quædam est Sandalium, ut aperte indicat Iulius Pollux Græ-
cus author in Onomastico lib. 7. cap. 22. cuius titulus est *υπόδη-
ματων* species, inter quas commemorat Sandalia. Nihil autem est
visitatus, quam species significari nominibus generum: quamvis
nihil est absurdum, si diceremus, Dominum iuxta vulgarem homi-
num consuetudinem aliquando calceis, & aliquando Sandaliis
usum fuisse. Postremò respondeo ad locum ex Lucæ. 7. Morem fuis-
se apud veteres, ut discalciati in conuiuis accumberent, sive quo-
niam pedes conuiuis abluebantur ante cibum, sive ne fordida-
rent pedibus preiosa lectorum stragula, in quibus accumbebant.

*Veteres dis-
calciati ac-
cumbebant
in conui-
uis.*

Vnde

Vnde apud Horatium 2. sermonum satyra vlt. è cena surrecturus poscit soleas. Et ibi hunc morem adnotauit Dionysius Lambinus in scholiis. Colligitur etiam aperte ex eodem Horatio lib. 1. Epistolarum, Epistol. 13. in illo versu,

Et cum pileolo soleas coniuia tribulis.

Eundem morem adnotauit Guillelmus Philander super Vitruvium lib. 6. cap. 5. & hoc in multis marmoribus cerni dicit, multisque Martialis, & aliorum scriptorum locis probari. Adducit verba Terentij in Eautontimorumēno, *Accurrunt servi, soccos detrahunt, video alios festinare, lectoris sternere, cœnam apparare*, & Martialis lib. 5. Epigrammate. 97.

*Depositū soleas, affertur protinus ingens,
Inter lātucas, oxygarumque liber, &c.*

Atque adeò, vt arbitror, Exodi 12. præceptum est de esu Agni, *renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, &c.* Vbi quoniam festinanter edebant, præcipit fieri omnia contrario more. Et ideo vult, vt renes accingant; quoniam qui sine festinatione edunt, vestes, & cingulum laxare solent. Eodem modo vult, vt calceamenta habeant in pedibus; quoniam in aliis cœnis sine calceamentis edebat.

In fine huius quæstionis est notandum circa id, quod diximus de calceamento Apostolorum, nos in conciliation Euangelistarum scutos esse communiores sententiam Sanctorum, & quæ nobis magis aduersari poterat. Possemus enim dicere, non illis prohibitos esse calceos simpliciter, sed calceos mutatorios, & duplices; quemadmodum ait Caietanus Matth. 10. & Marc. 6. & Burgensis loco citato. Quæ expositio valdè probabilis est: ita enim interpretantur Hieronymus, & communis sententia. *Quod ibidem dicitur de duabus tunicis. Quæ sententia si recipitur, multò magis nobis fauerit.*

Sed vt ad verba Ioannis reuertamur, aliter quoque illa interpretantur Sancti Patres, Hieronymus, Matth. 3. & Gregorius hom. 7. in Euangelia; & Beda hic; & Luca 3. Ita exponunt: Ioannes non est dignus soluere corrigam Iesu, nec detrahere ei calceos; hoc est, accipere Sponsam ei debitam; quia Ioannes non est Sponsus Ecclesiæ, sed Christus. Iubebatur enim Deuteronom. 25. vt nolenti accipere uxorem propinquai defuncti, alter qui acciperet, calceum detraheret. Sicut factum est Rhuth vlt. *Quæ expositio optimè conuenit cum interrogatione Iudeorum, & cum cæteris verbis Ioannis, quibus semper affitauit, se minorem esse Christo, & cum eo, quod ait cap. 3. Qui habet sponsam, sponsus est.* Alter sensus est, vt per calceum, qui ex mortuo animali fit, significetur natura Christi mortalis, iuxta illud Psalm. 59. *In Idumaam extendam calceamentum meum;* id est, notitiam Incarnationis, & humanitatis meæ extendam usque ad terram Gentilium. Corrigia autem est ligatura mysterij. Ait ergo Ioannes, tantum abesse, vt cum illo sit comparandus, vt etiam ineffabilem unionem Incarnationis Christi explicare non possit, nec dignus sit explicare: Et

*Caleat qui
prohibiti
Apostolis.*

*Alia exposi-
tio.*

*Ioannes non
est Ihesus
Ecclesiæ, sed
Christus.*

*Sponsus al-
ter.*

propterea ex Euangelistis quidam dicunt *dignus*; alij dicunt *inwards*: id est, *idoneus*. Hanc expositionem sequuntur Origenes, Hieronymus, super Marc. 1. Gregorius loco citato, Beda hic; Innocentius III. lib. 1. de mysterio altaris cap. 34. & Bernardus lib. 5. de consideratione ad Eugenium, & multi alij. Hos duos sensus glossa hic, & Bonaventura in Epistola citata; Titelmanus hic; & Iansenius, c. 55. & alij dicunt esse spirituales: at verò mihi literales videntur, non spirituales. Ratio est; quoniam sensus spiritualis sumitur ex similitudine rerum significatarum sensu literali: Sensus autem literalis in metaphoricis, & figuratis locutionibus, non est quem verba efficiunt accepta propriè; sed quem efficiunt accepta figuratè. Itaque sensus literalis horum verborum est; non sum dignus ministrare ei in minimo omnium ministerio. Nec potest hoc negari, tum propter autoritatem Cyrilli, & omnium fere expolorum; tum etiam quia verba ipsa commodissimè reddunt hunc sensum. At verò inter hunc sensum, & mysterium Incarnationis, aut præceptum illud de calceo detrahendo, Deuter. 25. nulla est similitudo: non sunt ergo isti duo sensus spirituales. Quare dicendum est, istos sanctos non respexisse ad rem significatam, sed ad vocabula ipsa, & calceum propriè sumunt, cum alludunt ad præceptum illud Deut. metaphorice autem, cum per illum significant mortalem naturam; quia calceus fit ex pelle mortui animalis. Sed solent veteres sancti interdum spiritualem sensum dicere eum, qui profundè latet in verbis, quæ aliud prima facie significare videntur, licet sit literalis; & ita possent defendi, qui dixerunt hos sensus esse spirituales, nisi quidam eorum ostenderent se aliter intellexisse.

Hec in Bethania facta sunt.] Cyrillus: diligentie sua, magnitudinisque rerum hoc signum est. Solent enim certi homines loca etiam singula, ubi res magna gesta, aut exposita sunt, memoria diligenter commendare. Causa etiam est, ut commendet huius rei veritatem: tanto enim magis confirmatur narratio, quanto minutius ceteræ circumstantiae referuntur. Ceterum Origenes tom. 8. docet, non esse legendum in Bethania, sed in Bethabara; quoniam Bethania, quæ patria erat Lazari, & Sororum, undecim stadiis distat à Ierusalem; à Iordanè verò, ubi Ioannes baptizabat centum octuaginta. Negatque locum esse vllum circa Iordanem, qui Bethania dicatur; ostendi autem circa tumulos Iordanis Bethabaram, ubi Ioannes baptizabat; significaréque Bethabaram, *domum instruc*
tio
nis. Chrysostomus, homil. 16. testatur, quædam Graeca exemplaria, ea que veriora habere in Bethabara; assertque eamdem rationem Originis. Idem aiunt Theophylactus, & Euthymius; Ex quo patet, multos codices Gracos habuisse olim in Bethania, ut noster habet; licet modò habeant in Bethabara. Horum sententiæ accedit Hieronymus in locis Hebraicis, cum enim dixisset, Bethaniam esse in secundo ab alia miliario in latere montis Olineti, continuò subdit; Bethabara trans Iordanem, ubi Ioannes in penitentiam baptizabat, unde & usque hodie plurimi de fratribus; hoc est, de numero credentium bene renasci cupientes vitali gurgite baptizantur.

Bethania
ubi sita.
Bethabara
ubi.

*Et quid si
guiscer vox.*

Ex quo patet, locum fuisse nobilem ætate Hieronymi. Sed utrum Bethabara dicendum sit, sicut habent Græci codices, & ut isti Patres volunt, quibus accedit recentiores; an Bethbara, ut Hieronymus, dubius est; cum & in Chartis cosmographicis terræ sanctæ ponatur Bethbara trans Iordanem. Respondetur; legendum esse Bethbara, quod probo non solum ex Hieronymo teste oculato, sed etiam ex Iudicium 7. vbi Scriptura meminit huius loci; Misitque Gedeon nuntios in omnes montes Ephraim, dicens; descendite in occursum Madian, & occupate aquas usque Bethbara atque Iordanem: clamauitque omnis Ephraim, & præoccupauit aquas, atque Iordanem usque Bethbara. Significat autem Bethbara, domum filij eius; aut domum electionis, aut puritatis, aut frumenti: distatque ab Ierusalem plusquam duodecim leuis. Est etiam notandum, cum dicitur in Scriptura trans Iordanem, semper significari regionem, siue partem orientalem respectu Terræ promissionis, cuius terminus ab Oriente erat Iordanis: reliqua autem regio ab Iordane usque ad mare Mediterraneum, quod est terminus Terræ promissionis ab Occidente, dicitur citra Iordanem. Secundum sciendum est, in Terra sancta triplex desertum Ioannis Baptista ostendi peregrinis: Primum est, vbi puer educatus est in montanis Iudeæ prope urbem Gabaon: Secundum iuxta urbem Hebron, vbi erat, cum factum est verbum Domini super eum: Tertium trans Iordanem, vbi erat baptizans: Author est frater Antonius Arada in descriptione Terræ sanctæ c. 37.

Altera die.] Id est, die continuo sequenti postquam Ioannes respöderat Sacerdotibus missis ex Ierusalē, ut manifeste patet ex Græco: oportebat enim, ut eum, de quo tanta dixerat, iam populo ostenderet, & id omnes optabant. Hoc autem fuit, ut ex verbis sequentibus patet, postquam Dominus baptizatus est. Iste enim est ordo rerum gestarum. Ioannes Baptista prædicare coepit in deserto trigesimo ferè anno ætatis Christi. Natus enim est Dominus quadragesimo secundo anno Augusti Cæsaris; ut ait Eusebius in chronicis. Et lib. 1. Ecclesiast. Histor. c. 2. & multi alij. Augustus autem imperavit annos quinquaginta septem cum dimidio; ut ait Iosephus 18. Antiquitatum c. 3. cui successit Tiberius. Et anno decimoquinto imperij Tiberij Cæsar factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans baptismum penitentiae, Lucas 3. Eodem anno venit Iesus à Nazareth Galilææ in Iordanem, ut baptizaretur. Vnde Lucas c. 3. narrato baptismo ait: *Et erat Iesus incipiens quasi annorum triginta. Continuo ductus est a Spiritu in desertum, ut tentaretur a diabolo; quod Ioannes omisit, quia satis erat ab aliis narratum.* Postquam Dominus venit de deserto, sequitur quod Ioannes ait cap. 1. *Ioannes testimonium perhibet de ipso, & clamat, dicens, &c.* Continuo sequitur alterum testimonium eiusdem; quando missi sunt ad eum Sacerdotes, & Leuitæ: & postea tertium, in quo nunc versamur. *Altera die, &c.* Ordo iste colligitur ex Chrysostomo, homil. 16. & ex S. Thoma, & ex Ianuenio cap. 16.

Bethbara
legendum,
non Betha-
bara.

S. Ioannis
triplex de-
sertum.

Christus
quo anno
natus.

Et quo anno
baptizatus
à S. Ioanne.

Non est autem putandum, Baptistam, antequam Dominum baptizaret, dixisse omnia, quae scripta sunt Matth. 3. & Luc. 3. quemadmodum sensisse videtur Iansenius, cap. 16. Sed ante baptismum dixit quædam generalia; *Venit fortior post me, qui post me quidem venit;* & alia similia. Nam si illa omnia dixisset, quæ sunt in locis citatis, nihil opus erat, ut mitterent Sacerdotes ad eum, ut interrogarent, quis esset; satis enim iam exposuerat. Vnde recte Ioannes Evangelista, quia tacet priora testimonia commemorata ab aliis, ait: *Hic erat, quem dixi; qui post me venturus est, ante me factus est;* &c. Quasi id tantum usque ad illud tempus dixisset; & posteà magis, ac magis peculiariter in dies singulos explicabat mysterium Christi, prout occasio, & tempus exigebant. Sed Matthæus, & Lucas, quoniam non errant narraturi, quid Ioannes Baptista post Baptismum Domini dixisset; simul per anticipationem narauerunt ex omnibus eius Testimoniis, quæ operi suo inserenda iudicauerunt.

Vidit Ioannes Iesum venientem ad se.] Cùm priùs venisset ad baptismum, ne forrè existimaretur ablutus in pœnitentiā, ut cæteri, nunc venit secundò, ut Ioannes eiusmodi suspicionem hominibus adimat: atque ita fecit Ioannes, propterea enim dixit: *Ecce Agnus Dei;* &c. Ita Chrysostomus, homil. 16. & Theophylactus & Euthymius.

Ecce Agnus Dei.] Ostensurus Christum, dixit; *ecce, iuxta Chrysostomum, & Theophylactum;* quoniam homines moti dictis Ioannis optabant illum videre: ponitur autem *Agnus* cum articulo in Græco, quasi dicat; iste est verus ille *Agnus*, qui pro hominibus sacrificandus est, & eorum peccata suo sanguine expiaturus, quod agnus legalis facere non potuit. Iste est verus *agnus*, qui in lege per figuras promissus est; videlicet in *Agno*, qui in Pascha immolabatur, Exod. 12. Et in *Agno*, qui quotidie bis macatabatur, manè videlicet, & vesperè, Exod. 19. Cùm enim cætera animalia certis temporibus, & certis causis immolarentur, *agnus*, qui propter Innocentiam, & mansuetudinem propriorē Christi figuram gerebat, bis quotidie immolabatur: ut enim ait S. Thomas; Cùm dicit, *Ecce Agnus Dei*, tacitè significat, hanc esse victimam, quam Deus sibi prouisurus erat; iuxta illud Genes. 22. *Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi.* Alludit etiam *Agnus Dei* ad illud Esai. 53. *Sicut agnus coram tondente se obmutescet.* Sed *Dei* dicitur, quoniam ipsum Deus dedit mundo pro omnium peccatis offerendum; iuxta id, quod modò citamus ex Gen. 22. & iuxta illud Ioannis 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Secundò, quia Deo oblatus, & immolatus est: Iuxtra illud Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem, & hostiam Deo in odorem suavitatis;* &c.

Ecce qui tollit peccata mundi.] Cur dicat, tollit præsenti tempore, ex posuimus in illis verbis; *Quæ illuminat omnem hominem venientem,* quæ doctrina adnotatur hic à Theophylacto. Dicit autē *Tollit* potius, quæ remittit; quoniam loquitur de Christo, tamquam de Sacrificio expiatio; non tamquam de Deo per suam gratiam peccata remittente; ut notat *Cur tollit dicitur, & nō remittit.*

notat Iansenius, cap. 16. Dixit *peccata mundi*, ad differentiam Agni legalis, ut ait Chrysostomus: ille enim Agnus nullius peccatum abstulit; hic autem totius orbis terrarum. Præterea, quoniam Agnus legalis pro solo Israële offerebatur; hic pro toto mundo. Quo verbo aperte significauit, non solum Iudeos, sed etiam Gentiles participes futuros salutis Christi. Porrò in Græco non est, *peccata mundi*, sed *peccatum mundi*; & ita citat Origenes saepe in prioribus tomis Ioannis, & Eusebius lib. 9. demonstrationis Euangelicæ, demonstratione 5. & Theophylactus, & Euthymius. Et eamdem lectionem sequitur S. Thomas 3. p. q. 1. art. 4. At verò Chrysostomus, homil. 16. & Cyrilus, & Augustinus tract. 4. & Beda omnino legere videtur *peccatum*: ex quo constat, utrumque fuisse olim in Græcis codicibus. Sensus in vtraque lectione est idem; quoniam, ut ait Theophylactus, cùm ait, *peccatum mundi*, omne peccatum significat, sicut cùm dicimus, *homo electus est de paradiso*; id est, omne genus humanum. Glossa tamen, & S. Thomas eam secutus loco citato, intelligunt de peccato originali, ad quod tollendum Christus principalius venit; quia erat peccatum totius naturæ; & bonum vniuersale præstantius est, quam particulae. Sed etiam si ita intelligamus; videlicet per *peccatum accipi originale*, loquitur Ioannes de peccato originali, quatenus est fons, & initium omnium peccatorum, quasi vniuersa in se concludens. Utrumque sensum explicuit hic S. Thomas, & Lyra. Sed tamen licet sensus sit idem, lectio germanior est *peccata mundi*, vt docet consensus Latinorum codicum; & præterea usus Ecclesiasticus, *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, &c.

Agni Christi, & agni legalis quæta differentia.

Et ego nesciebam eum.] Hoc loco magna est difficultas, quomodo Ioannes nescierit Christum ante descendum Spiritus sancti in Baptismo, cùm Matth. 3. dixerit, *ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me*. Augustinus latè de hoc agit tract. 5. & respödet ibi, & lib. 2. de consensu Euag. c. 15. Ioannes cognoscet Christum ante baptismum. Sed hoc se ignorasse dicit, *Dominum ita baptizaturum, quod nulli ex ministris communicaret baptismi potestatem*. Nam seruis communis quidem ministerium baptismi, sed siue Petrus baptizet siue Paulus, Christus est qui baptizat, quia illi non suum baptismum conferunt, sed Christi. 1. Cor. 1. *Nunquid Paulus pro vobis mortuus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Atque in hanc sententiam libentiū descendere videtur S. Thomas, & eam etiam probat Theophylactus. Probat Augustinus ex eius verbis, *super quem videris descendenter*, &c. ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto. Sed res est non adeò obscura: Ioannes antequā mitteretur ad baptizandum, sciebat Christum esse in mundo, & esse Filium Dei, & se fore eius Præcursoriem; sed oculis carnis non viderat, nec sciebat determinatè hunc esse, aut illum, vt rectè ait Caietanus. Cùm autem missus est ad baptizandum, dixit ei Spiritus: *Super quem videris Spiritum*, &c. id est, hoc signo eum cognosces. At verò cùm iā Christus veniret ad baptismum, interius reuelauit Ioanni Spiritus sanctus illum esse Christum. Et tunc dixit; *Ego à te debeo baptizari*, &c. Decebat enim, vt prius eum cognosceret determinatè, quā baptizaret: ita Chrysostomus,

Ioannes quomodo nescierit Christum.

Christus baptizat, non minister.

Ribera in Euang. Ioan.

K

Theophy

Theophylactus, & Euthymius. Et idem dicere videntur Beda, & multi alij. Est ergo sensus: *Ego nesciebam eum*; id est, ego quamvis multa de illo loquebar, nunquam tamen eum cognoueram, aut videram: hoc autem dicit, iuxta Chrysostomum, ut auferat testimonio suo omnem suspicionem; doceatque se non familiaritate, aut amicitia, sed diuina reuelatione adductum fuisse ad testificandum.

Obiectio.
Responsio.
Columba
cur descen-
derit super
Christum in
baptismo.
*Altera ob-
iectio.*
Responsio.

Quod si quis obiiciat; quid necesse erat Columbam descendere, si iam eum cognouerat Ioannes? Respondeatur, ut certius, & manifestius cognoscere: deinde, ut melius posset Ioannes aliorum fidem confirmare arrestatione illius signi visibilis, sicut ait: *Statim & ego vidi, & testi- monium perhibui, quia hic Filius Dei.* Rursus potest aliquis obiicere; quomodo Ioannes non cognouerat determinate Christum, quem in ventre matris iam cognouerat? Respondeo; Etiam si demus tunc acceleratum fuisse Ioanni usum rationis, cognouit esse in utero Virginis Deum & hominem Redemptorem mudi; Sed quod talem faciem, & tale corpus, & talia accidentia determinata haberet, non cognouit; nec si tunc cognouisset, posset ex illis postea virum cognoscere, cum multum illa etate varientur.

Sed ut manifestetur in Israël, &c.] Id est, meus baptismus non est, ut per illum homines mundentur; sed ut manifestetur Christus Israëli. Ratio est, quoniam ad illum Baptismum, ceu ad rem insolitam multò plures confluabant, quam ad solam prædicationem; & tunc eis Ioannes prædicabat aduentum Christi, & differentiam baptismi eius, ut ait Chrysostomus; id est, quantò meliorem baptismum accepturi essent per Christum; & ita disponebat eos ad baptismum. Secundò, manifestabat Christum verbis ipsis, quibus vtebatur in baptizando; ut docet aperte Paulus, Act. 19. *Ioannes ba- ptauit baptismō penitentia populum dicens; in eum, qui venturus effet post ipsum, ut crederent, hoc est in Iesum.* Tertiò, institutus est ille baptismus, ut inter alios Christus veniret ad eum, & descenderet Spiritus sanctus, & per hanc descensionem postea populo prædicata manifestaretur omnibus: Quamuis enim Abulensis super Matth. cap. 3. q. 88. dixerit, descendens Columbae usum esse ab omni populo qui aderat; tamen verius est, quod ait Caïtanus Matth. 3. usum esse tantum à Christo, & à Ioanne: Si enim populus vidisset, non esset necessarium Ioannis testimonium, cum vox Patris audit a fuisse: *Hic est Filius meus, &c.* Et tamen post baptismum, Ioannes non cessabat docere Christum esse maiorem se. Hoc etiam docet cum dicit; *& ego vidi, & testimonium perhibui:* quasi dicat, vos non vidistis, ego tamen vidi.

Descendentem.] Cum baptizatus est, Matth. 3.

*Spiritus san-
ctus cur in
specie Co-
lumba de-
scenderit.*

Quasi Columbam.] In Specie Columbae descendit, ut ostenderet Innocentiam, & mansuetudinem Christi, & ut significaret, sicut ait Beda Lucæ 3. quod Spiritus sanctus effugiet fictum; & quod per baptismum descendit Spiritus sanctus in eos, qui habent Columbinam simplicitatem;

tem ; & ad significandos effectus baptismi. Præterea, sicut aiunt Chrysostomus, & Euthymius, Matth. 3. & Ambrosius Luc. 3. & alij, ut veritas corresponeat figuræ: huius enim Columbæ figura fuit illa, quæ nunciavit Noë finem diluuij, Gen. 8. Quemadmodum enim tunc erat diluuium aquarum, ita cum Christus venit, erat diluuium peccatorum: & sicut illa denunciauit cessationem diluuij illius, ita & ista finem adesse peccati. Vide de his S. Thomam h̄ic, & 3. p. q. 39. art. 6. & latius Abulensis Matth. 3. q. 83.

Sed quæritur, an hæc Columba fuerit verum animal? Augustinus lib. de Agone Christian. c. 22. affirmat omnino, quem sequitur hic S. Thomas, & 3. p. q. 39. art. 7. licet non fuerit ex alia Columba generata, sed virtute diuina ad illam ostensionem facta. Ratio eorum est; Quoniam sicut non decuit, ut Filius deciperet homines falsum corpus assumendo; ita nec decuit, ut Spiritus sanctus eosdem deciperet falsam Columbam ostendendo. Hæc opinio est valde probabilis; sed nisi obstaret horum Sanctorum authoritas, opposita videtur probabilior; videlicet, non fuisse verum animal: ita docet Procopius, Gazeus super Gen. cap. 18. & Glossa Matth. 3. Lyra Marc. 1. & Abulensis super Matth. 3. q. 84. ita ait; *Nisi obstat authoritas Augustini, cui multum faveendum est, etiam si nihil probet: quando contra eum probare manifeste non possumus, verisimilium mihi videretur, iuxta Nicolaum; quod non fuerit vera Columba: & ita tandem dicit, quæst. 85.* Idem dicit Glossa Matth. 3. & Lyra Marc. 1. & Caietanus, 3. p. loco citato, & Matth. 3. & Iansenius, cap. 14. vbi efficacibus argumentis id probat. Sed & S. Thomæ hoc olim placuerat, in 1. d. 16. q. vnic. art. 3. ad 3. imo & Augustinus Epist. 102. ad Euodium etiam inclinat in hanc sententiam, docetque hoc satis probabiliter dici. Probant isti autores ex verbis Evangelistarum; inquit enim Lucas, cap. 3. *Descendit Spiritus sanctus corporali specie sicut Columba.* Alij autem dicunt, *Sicut, aut tamquam Columba:* non fuit ergo vera Columba. Addit Abulensis, loco citato, nomen speciei, solere accommodari ad res non veras, ut Num. 9. *A vespere autem super tentorium erat quasi Species ignis.* Secundò, quoniam eodem modo dicitur Act. 2. *Et apparuerunt dispersa lingua tamquam ignis:* constat tamen, & Augustinus fatetur Epist. 102. non fuisse veras linguas, nec verum ignem. Ex quo patet responsio ad rationem Augustini & S. Thomæ, nullam ibi fuisse deceptionem: non enim decebatur per similitudinem Columbæ, veram esse Columbam; sed verè descendere Spiritum sanctum in Christum: qui Sanctus per Columbæ proprietates designabatur; quare cum hoc fieri potuerit recte per similitudinem Columbæ, frustra fieret vera Columba; præfertim cum statim præteritura esset. Hæc duo argumenta posteriora satis probant hanc partem: Nam ad primum, quo isti autores valde nituntur, ita respondit optimè S. Thomas, ita locutam esse Scripturam, quoniam Spiritus sanctus non apparuit in propria specie, sed in aliena: & dictio, *Sicut,* refertur non ad Columbam; quasi fuerit ibi tantum.

*Fuit vera
Columba, &
animal.
Ratio.*

*Probatur ne
fuisse verum
animal.*

*Speciei no-
men accom-
modatur ad
res non ve-
ras.*

*Christus de-
signatus
Sanctus per
Columba
proprietates*

Deus & Angelique qui- bus in corpo- ribus appa- reant.
similitudo Columbae; sed ad Spiritum sanctum, qui apparuit similis Columbae. Confirmo autem haec argumenta; quoniam in ceteris omnibus apparitionibus, quas legimus in Scriptura, nec Deus, nec Angelus assumplerunt vera corpora animata, sed tantum corpora aerea, quae videbantur animata: cur igitur non idem factum dicamus in hac apparitione?

Et ego ne sciebam eum.] Iterum hoc repetit, ne amicitia ductus fuisse videatur in ferendo testimonio, & magis, ac magis adimat suspicionem.

Et manentem super eum.] Hieronymus Ezech. 35. in principio, & latius Gregorius 2. Moral. c. 41. & Beda hic, adnotant in ceteris hominibus non semper manere Spiritum sanctum; quia quando sunt in corpore, non semper possunt peccata cauere, nec semper coelestia considerare.

Spiritus san-ctus in solo Christo sem-per manis- t. &c. qua do-na.
Vnde Ioan. 3. Spiritus ubi vult, spirat, & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat: In solo autem Christo mansit semper Spiritus. Obiiciunt libi Gregorius, & Beda illud Ioannis 14. Ego regabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobis in eternum: Et respondent, Spiritum sanctum semper manere in iustis, quantum ad dona, sine quibus ad vitam perueniri non potest; qualia sunt Fides, Spes, Charitas, &c. Sed quantum ad gratias gratis datas, ut Prophetiam, gratiam curationum, &c. non semper manet. Ita etiam respondet hic S. Thomas. Praterea non manet semper in illis quoad actualem furem Chari-tatis, & quoad contemplationem Cœlestium.

Columba manifit ali-quantulum super caput Christi.
Sed est dubium, vnde cognoscere potuit Ioannes Spiritum manere in Christo: Responderetur; ex mora Columbae, quae non statim euanuit, sed aliquantulum mansit super caput Domini, ut id significaretur. Hoc videtur aperte docere Abulensis Matth. 3. q. 85. & Caietanus, Matth. 3. & hoc significauit Ioannes, cum dixit: Quia vidi Spiritum descendenter sicut Columbam, & mansit super eum. Atque ita per descensum Columbae manentis super Christum, & representantis Sanctum, declarata fuit non noua gratia data Christo; sed presentia Spiritus sancti, qui in eo fuerat ab eius conceptione, ut ait Iansenius c. 14.

Hic est qui baptizat in Spiritu sancto.] Id est, Hic est, cuius tu per tuum baptismum Precursor esse debes, & qui suppleturus est, quod baptismus tuo deest: Verè enim dabit Spiritum sanctum ritè suscipientibus suum baptismum. Utitur autem his verbis, ut magis prouocet audientes ad Christi baptismum suscipiendum, per quem intrent in Ecclesiam, & Filij Dei efficiantur. Verum hac circumlocutione nihil aliud vult ostendere, quam esse verè Filium Dei. Et ita dixit Ioannes; Ego vidi, & testimoniū perhibui, quia hic est Filius Dei.

Altera die.] Id est, die continuò sequenti, ut etiam patet ex Graeco.

Stabat Ioannes.] Per Ioannem lex intelligitur, quae stabat quasi iam non ultraius progressura, sed Christo venienti cessura, & suos discipulos ei traditura. Sed interim constanter de Christo testificans;

ita

ita Glossa. Iuxta literam autem , stabat quasi paratus ad suum officium exercendum , testificando de Christo , baptizando , & docendo.

Ecce Agnus Dei.] Quasi dicat ; Ab hoc sanctificandi etsis , non à me ; illum sequimini.

Quid queritis ?] Sciebat , quid quererent , sed interrogat , vt ita eos sibi conciliet & audentiores reddat , séque eos suo colloquio dignari ostendat ; vt ait Chrysostomus.

Rabbi.] Ostendunt , se eum Magistrum agnoscere , & discendi studio ad eum venire *raab* , apud Hebraeos idem est , quod *multus* , *sive magnus* : inde significat hominem honorabilem , & inclytum ob multiplices , quibus pollet , dignitates , vt aiunt Hebrei ; vel potius , vt ego arbitror , quod vnum instar multorum sit. Inde ducibus tribuitur hoc nomen , Isai. 19. *Et mittet eis Salvatorem , & propugnatorem :* vbi habemus *propugnatorem* , est *raab* : & principibus etiam tribuitur , Esther. 1. *Præponens mensis singulos de principibus suis :* Et gubernatoribus nauum. Ionæ. 1. *Et accessit ad eum gubernator.* Et Sapientibus , Iob. 32. *Non sunt longani Sapientes.* Immò & Sagittarius dicitur ab Hebreis *raab* ; quia pugnat vnum pro multis , & breui tempore multos occidit. Inde *Rabbi* ; id est , *magister* , vt exponit Euangelista , & omnes exponunt ; non *magister meus* , vt putat Iansenius cap. 17. Sed ex dictis pater , plus significari hoc nomine apud Hebraeos , quam nomine *magistri* , apud Græcos & Latinos. Et inde Euangelista Hebraicam vocem ponere voluit , cum interpretatione tamen , quam apud Græcos habere poterat : hoc ipsum Chaldaico sermone significat *Rabboni* , Ioan. 20. *Rabboni , quod dicitur , magister :* quamuis hoc nomen *Rabboni* significat etiam *Dominus meus* , vt Gen. 33. *Neque ita fiet Domine mi :* & ibidem ; *Domine mi audi me :* Et Exodi. 32. *Ne indigneretur Dominus meus.* In his locis semper est in Chaldæo *Rabboni*.

Vbi habitat.] Volebant enim , vt ait Chrysostomus , in ocio & secreti à multitudine ab eo doceri ; vbi nullus esset , qui Doctrinam interrumperet. Nec ex hoc intelligamus , Dominum habuisse domum propriam , cùm esset in Iudea ; sed querunt de hospitio , vel diuertorio.

Hora autem erat quasi decima.] Horæ meminit , vt ait Euthymius , vt eorum sedulitatem , & desiderium ostenderet , qui vt Ioannem audierunt , licet duæ tantum horæ diei restarent , quod tempus quieti , & refectioni corporis aptius est , statim ad Christum venerunt. Ostenditur etiam eadem causa Christi humanitas , & Charitas , qui statim eos accepit , nec in aliud tempus distulit. De horis antiquorum dicemus cap. 11.

Erat autem Andreas.] Andreæ nomen ponit , quoniam necessarium erat nominandus propter Petrum fratrem , ad Iesum adductum : alterius autem Discipuli non meminit ; vel quia fuit ipse Euangelista , qui nomen suum tacere solet ; vel quia obscurus erat , & ignotus , nec referebat eius nomen cognoscere : sicut & septuaginta duorum Discipulorum.

cipulorum nomina suppressa sunt Lucæ 10. ita Chrysostomus homil. 17. & Theophylactus, & Euthymius. Fuisse autem Euangelistam hunc discipulum, aliis etiam placuit, ut S. Thomæ, Lyræ, & Ianuenio. cap. 17. sed omnes per distinctionem loquuntur, ut Chrysostomus, nec aliquid certi statuunt. Alcuinus citatus à S. Thoma dicit, fuisse Philippum; quoniam statim narratur eius vocatio.

S. Andreas
minor natu
Petro.

Fratrem suum Simonem.] Glossa, & S. Thomas in verbis superioribus dicunt, Andræam minorem natu fuisse Pétro.

Inuenimus Messiam.] Verba sunt exultantis lœtitiae, & fratrem studiosè inuitantis, *Masiah*, sive *Mesiba* Hebraicè, quorum primum dicitur Hebraicè Græcè, alterum Chaldaicè; dicitur χριστός, Latinè *unctus*: nam apud Hebreos πέπλος *Masah*, significat ungere; & idem significabat apud veteres Græcos χριστός, ut ex Homero refert Lactantius lib. 4. cap. 7. vnde *Christus*, & *Christma*. Vngabantur autem olim Sacerdotes, Exodi. 29. & Reges, 1. Reg. 10. & 16. Et Prophetæ, 3. Reg. 19.

Sacerdotes,
Reges &
Prophetæ
clim unge-
bantur.
Iesu unde
potissimum
dictus Christ-
sus.
Christi di-
cuntur Pro-
phete.
Sacerdotes,
Reges poti-
ssimum.

Messias Rex
appellatus à
Iudeo.

His tribus causis Iesus potest dici *Christus*, ut ait Nicephorus lib. 1. Ecclesiast. Hist. cap. 4. Sed tamen potissimum dicitur *Christus*; quia Rex erat: nam licet Prophetæ aliquando Christi dicantur, ut Psal. 104. *Nolite tangere Christos meos*, & in Prophetis meis nolite malignari. Et etiam Sacerdotes; ut 2. Machab. 1. qui est Christorum Sacerdotum; tamen potissimum in illo populo nomine Christi intelligebatur Rex. Probatur hoc ex Clemente Martyre lib. 1. Recognitionum fol. 19. vbi docet, hoc nomen apud Hebreos commune fuisse Regibus, ut apud Persas *Arfases*, apud Romanos *Cesar*, apud Ægyptios *Pharao*. Et Lactantius lib. 4. cap. 7. ait *Christum*, esse nuncupationem potestatis, & regni: *Sic enim, inquit, Iudei, Reges suos appellabant. Et sicut nunc Romanis indumentum purpure insigne est Regia dignitatis assumpta; sic illis unctione sacriunguenti nomen, ac potestatem regiam conferebat.* Idem ait Reuclin. lib. 3. de Verbo mirifico, cap. 11. Probatur etiam ex vsu Scripturæ. 1. Reg. 16. *Num coram Domino est Christus eius?* Id est, is qui à Domino designatus est, ut sit Rex. Et passim Saul, & David appellantur Christi. Tertiò probatur ex vsu Iudeorum, qui semper suum Messiam Regem appellabant; & hæc duo nomina coniungebant, ut patet ex eorum testimoniis citatis à Galat. lib. 3. contra Iudeos, cap. 2. immo & Scriptura ita loquitur, ut Daniel. 9. *Usque ad Christum ducent, hebdomadas septem;* Et Lucæ 23. *Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse.* Ex his patet, hoc nomen commune fuisse multis; ut Isaï. 45. *Hec dicit Dominus Christo meo Cyro.* Propterea cùm hoc loco tribuitur Domino Iesu, ponitur Græcè cum articulo, ut norauit Chrysostomus homil. 18. quasi dicat; inuenimus Messiam illum, qui est Rex omnium Regum, qui promissus erat in lege, ut homines saluos faceret. Secundò

cundò patet, hoc nomen non fuisse nomen proprium Domini; sed illud erat Iesus: quoniam autem hæc dignitas Regalis nota erat omnibus, nomine Messiae potius, quam alio nomine; ideo eo usus est Euangelista: sed addidit interpretationem, ut intelligeretur. Quomodo autem *Christus*, nomen sit personæ in duabus naturis subsistentis, quatum altera vngit, altera vngitur, docet Damascenus, lib. 3. cap. 3. & lib. 4. cap. 7. Et Cyprianus, seu potius Russinus in expositione Symboli circa principium; & S. Thomas 3. p. quæst. 16. art. 5. *Vnctus* verò dicitur Christus, non oleo, quo cæteri; sed copiosissima Spiritus sancti gratia, Isai. 61. *Spiritus Domini super me, eò quo oleo vñctus.* quod unxerit Dominus me. Et Psal. 44. *Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo letitia præ consertibus tuis.* Ita Nicephorus lib. 1. cap. 4.

Circa has nominum interpretationes adnotanda est Hieronymi observatione ad Galat. 4. in illis verbis; *Quoniam autem es sis filii Dei,* &c. vbi ait: *Hanc consuetudinem in pluribus locis Scriptura conferuat, ut Hebraicum verbum cum interpretatione sua ponat.* Prima ratio huius rei est; quoniam Ecclesia Prima congregata est ex Iudeis, ideoque Apostoli voluerunt quedam manere ita, ut illi assueti erant dicere, ne scandalum paterentur, ut *amen, Alleluia.* Secunda, quoniam sunt quædam, quorum proprietas non potest recte in aliam linguam transferri. Vtraque est Hieronymi, in Epistola. *Nuper cum pariter*, ad Marcellam. Sed hæc posterior est etiam Origenis, ut ibi refert Hieronymus, & eiusdem Hieronymi, in Epistola ad Damasum de Osanna. Et Augustini 2. de Doctrina Christiana, cap. 11. Et Reuclin. lib. 2. de verbo mitifico, cap. 12. Et hanc nos fecuti sumus in expositione nominis *Messiae*, & *Rabbi*. Exemplum habemus in *Osanna, alleluia, amen, racha.* Itaque verba Hebraica reliquerunt, quoniam alia voce omnino explicare non poterant: sed ne Gentilibus Hebraicè nescientibus prorsus ignota essent, transtulerunt, ut potuerunt: ideo etiam Septuaginta Interpres, & noster Interpres Latinus, multa nomina interpretati sunt; quoniam interpretationes non erant in Hebræo, ut intelligerentur ab iis, qui conuertebantur ex Gentibus. Tertia est; ut in verbis Hebreis, & Græcis idem significantibus significaretur unitas fidei, & spiritus in populo Iudeorum, & Gentilium. Hæc ratio subindicatur ab Hieronymo in illis verbis Marc. 24. *Abba pater:* sed traditur aperte ab Augustino, in expositione Epistolæ ad Galatas in illis verbis. cap. 4. *Abba pater.*

Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas.] His verbis videatur obstare illud Matth. 16. *Beatus es Simon Barjona: Immò & Ioannis 21. scriptum est; Simon Ioannis diligis me plus his?* Ex quibus locis redditur incertum nomen patris Petri. Sed respondeatur dupliciter; vel patrem Petri fuisse binominem, vel Iona, & Iohanna idem esse nomen; vitio tamen Scriptorum depravatum. Prima responsio placet Lyrano; quoniam horum nominum

sunt

*Hebraicæ
verbæ ser-
uata in Ec-
clesia, &
cur.*

*Ratio. 1.
Ratio. 2.*

Ratio. 3.

*S. Petri pa-
ter binomi-
nis.*

Iona idem
quod Co-
lumba.
Iohanna, in
quo est
gratia.

Aspiratio
reicta &
Gracie, &
Latini, in
vocabus
Hebraicis.

Iona, Iohan-
na, & Ioan-
nes, sunt
vnnum no-
men.

Verba de-
cirtata.

Barjona,
Bartimeus,
Bartholo-
meus quid.

Cephas
quals no-
men, & un-
de venias.

sunt diuersae interpretationes: Iona enim idem est, quod *Columba*. Iohanna idem est, quod, *in quo est gratia*: vel, ut ait Hieronymus, Matth. 16. & melius significat *Domini gratiam*. Secundam videtur sequi Hieronymus ibidem, licet aliorum esse dicat. Iansenius cap. 17. utramque refert, sed neutram præfert alteri. Nebrissensis in 3. quinquagena, cap. 23. scripsit, semper sibi placuisse hanc secundam responsonem: & reddit rationem, quoniam Græci, & Latini cùm transferunt in suas linguis nomina Hebraica, solent abiicere aspirationem, aliquando quidem cum vocali coniunctam, aliquando sine vocali; quemadmodum pro *Iehosuah*, Græci dempta aspiratione cum vocali, O, sequenti dicunt *Iesu*; Latini dempta, E, cum sequenti aspiratione dicunt *Iosue*; Latini etiam, & Græci similiter in nomine *Ioannes* demunt aspirationem. Ita igitur ex Iohanna factum est *Iona*. Cùmque ita pertinaciter defenderet, dicit se ex Græco codice fuisse conuictum, in quo apud Ioannem legebatur; *Tu es Simon filius Iona*; sicut & apud Matth. Et sanè non possumus negare; in Græcis libris scribi *Iona* tam apud Ioannem, quam apud Matthæum, ut in codice Complutensi, & in codice Roberti Stephani. Et ita hic legunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius.

Mihi videtur hæc tria, *Iona*, *Iohanna*, & *Ioannes* vnum nomen esse. Primum, de *Iohanne*, & *Iohanna* certum est; non enim differunt, nisi sola terminatione: quam Græci ut ad suam linguam accommodent, semper solent in nominibus peregrinis variare, ut pro *Iehosuah*, *Iesu*. Sed vnum etiam esse *Iona*, & *Iohanna* arbitror; quoniam alij codices Græci habent, *Ioannis* 1. *Iona*; & *Ioan.* 21. *Iohanna*; immò & Complutensis Latinus habet, cap. 1. *Iona*: & cap. 21. *Iohannis*: cùm enim vocaretur *Iohanna*, Græci, & Latini subtrahentes duas litteras medias dixerunt *Iona*: fortassis etiam Hebræi idem faciebant breuitatis gratia: quemadmodum Hispani interdum faciunt, dicentes; *Bartholo*, pro *Bartholome*: & *Bastia*, pro *Sebastian*: quod etsi non sit adeò certum; certum tamen est, in nominibus compositis Hebræos semper solere studere breuitati. Est igitur *Barjona* nomen compositum; id est *Filius Iona*; quemadmodum *Bartimeus*, filius *Timei*: *Bartholomeus*, filius *Tholomæi*. Quoniam igitur apud Matthæum nomen erat compositum, breuiatum est, demptis duabus literis mediis. *Ioannes* verò quoniam non composuit illud, dixit *Iohanna*. Rechè itaque dixit *Lyranus*, Matth. 16. in *Bariona* esse compositionem ex integro, & corrupto, detractamque esse medianam syllabam ex nomine *Iohanna*. *Cephas* autem non est nomen Græcum dictum à *cephali*, quod est *caput*, ut quidam existimatunt, in quibus & Mantuanus lib. 6. de sacris diebus, & Vigilius Papa, in Epistola ad Euterum Episcopum. Idem sensisse videtur hic *Lyra*. Ita enim ait, *Tu vocaberis Cephas*; id est, *Capitanus*: Et idem sonat hoc nomen *Petrus*; quia fundamentum habet quodammodo proprietatem capitis. Dicimus igitur, nomen esse Hebraicum, & Chaldaicum, ut docet Hieronymus, lib.

lib. de nominibus Hebraicis ; & ad Galat. 2. in illis verbis ; *Cum re-*
nisset Cephas : Et res est apertissima , quoniam apud Hebraeos Σέφας
cephas, significat *rupem*, sive *Petram*, ut Hierem. 4. *Super rupes af-*
cenderunt; Chaldaicè autem dicitur *Cepha* : vnde Numerorum 20.
Petra, de qua educta est aqua , vocatur à Chaldaico Interpretè *Ce-*
phe: & eadem dictione vtitur Psalm. 39. vbi nos habemus : *Et sta-*
tuit supra petram pedes meos: quod optimè explicuit Iansenius, cap.
 17. &c 66. *Petram* autem vocamus, quæ firma est , & terræ adhæ-
 ret, vnde lapides exciduntur, vt Isaïæ 51. *Attendite ad Petram un-*
de excisi estis : Estque Græcum nomen , cuius synonymum est in
 eadem lingua πέτρη, sive *Petrus* : Hæc sententia est Hieronymi
 ad Gal. 2. loco cit. vbi ita ait : *Non quod alius significet Petrus* ; *aliud*
Cephas ; *sed quod quam Græcè*, & Latinè *Petram* vocamus, *hanc He-*
brai, & *Syri* propter lingua inter se viciniam, *Cepham* nuncupent , &c.
 Ex quo intelligitur , cur Dominus dixerit, 16. *Tu es Petrus* ; &
super hanc petram , &c. Quasi-diceret: *Tu es Cepha*, sive *petra*, &
super hanc petram , &c. Et hoc significauit hīc , cūm dixit ; *Tu vo-*
caberis Cephas. *Quod autem poterat aliquis in dubium vocare* , an
Petrus sit idem , quod *petra* ; *hoc Euangelista docet apertissimè* , cūm
 dicit ; *Cephas*, *quod interpretatur Petrus*.

Sed modò est dubium; vtrum hīc Dominus imposuerit Petri, sive *Petrus quā-*
do ita vo-
catus.
Cephae nomen Apostolo ; an potius Matth. 16. vt quidam arbitran-
 tur ? Respondeo , ex Augustino 2. de consensu Euangelistarum, cap.
 17. & 53. & lib. 4. cap. 3. quem sequuntur hīc S. Thomas , & Ly-
 ra , & Iansenius , cap. 17. & alij : nomen hoc loco fuisse impositum;
 in Matthæo autem imposta est nominis impositi ratio ; quod su-
 pra cum esset Ecclesia ædificanda , quasi supra firmissimam petram:
 & ideo hīc dicit ; *Tu vocaberis* ; ibi autem non dixit , *vocaberis* ; sed,
tu es Petrus: quia iam ita vocabatur. Sed est aduersus hanc sen-
 tentiam , quod scribit Marc. cap. 3. vbi loquens de electione Apo-
 stolorum ait : *Vocauit ad se, quos voluit ipse*, & *venerunt ad eum* ; &
 fecit , vt essent duodecim cum illo , &c. Et imposuit Simoni nomen Petrus.
 Similiter Lucas , cap. 6. *Vocauit discipulos suos*, & *elegit duodecim ex*
ipsis, *quos & Apostolos nominauit*, *Simonem*, *quem cognominauit Petrum*.
 Ergo non hīc impositum est nomen ; sed tunc , cūm ex omnibus Di-
 scipulis segregauit duodecim. Respondeo , nomen Petri impositum
 esse hīc apud Ioannem , non quasi statim appellandum ; sed prædi-
 ctum est illi , quod hoc nomine aliquando esset appellandus. At ve-
 rò cūm elegit duodecim Apostolos , tunc cœpit appellari Petrus,
 iubente Domino , vt ita vocaretur. Tunc autem non constabat , cur
 hoc nomen accepisset ; sed id Dominus explicuit , cūm dixit : *Super*
hanc Petram adificabo Ecclesiam meam. Ut ergo Petrus crederet , quod
 audiebat , & magis Christum sequi amaret , ostendit illi diuinitatem
 suam , indicans illi nomen suum , & nomen Patris, quos tamen num-
 quam ante viderat oculis carneis.

Ribera in Euang. Ioan.

L

Est

S. Petrus & Andræas quando vocati ad Apostolatum. Est etiam dubium, an h̄c vocati fuerint ad Apostolatum Petrus, & Andræas? Respondet Augustinus 2. de Consensu Evangelistarum, cap. 17. Non fuisse vocatos hoc loco; sed Matth. 4. & Luce 5. hic autem non adhæsisse illi inseparabiliter; sed cūm eum essent admirati, reuersos esse. Chrysostomus, & Theophylactus, & Euthymius Matth. 4. dicunt, hos Discipulos secutos fuisse Dominum ab hoc die. Sed cūm viderent postea Ioannem vincētum, & Dominum secēdere in Galilæam, reuertisse ad patriam, & ad artem suam, donec postea Matth. 4. vocati sunt: & idem de Philippi vocatione intelligendum est.

Incastinum voluit exire in Galileam, &c.] Id est, die sequenti, cūm rediret in Galilæam, inuenit Philippum. Est enim h̄c idem vocabulum, in Græco, quod bis iam conuertit *altera die*, videlicet die sequenti, postquam Petrus adductus est ad Iesum.

Bethsida quid. A Bethsada.] Quæ parva Ciuitas Galilææ est adjuncta lacui Genesareth. Significat autem *domum venationis*. Quod nomen rectè conuenit, quandoquidem ex ea Christus tres Apostolos venatus est. Chrysostomus homil. 19. *Meminit eius patriam Evangelista*, ut intellegas, quod infirma mundi elegit Deus.

Nathanaël an Bartholomæus. Nathanaël.] Montanus h̄c, & Matth. 10. & Luce 6. vbi enumerauntur Apostoli, affirmat Nathanaël esse Bartholomæum Apostolum. Cuius nomen proprium erat Nathanaël: Bartholomæus autem dicebatur de nominē patris, quasi *filius Tholomai*. Rupertus etiam h̄c, dicit, fortassis hunc Nathanaël fuisse Bartholomæum; quod Ianzenio, cap. 17. videtur valde probabile. Ratio eorum est, quoniam in Catalogo Apostolorum semper cum Philippo ponitur Bartholomæus; quemadmodum cum Petro ponitur Andræas; cum Iacobō Ioannes: quia simul vocati sunt: ergo simul vocatus est Bartholomæus cum Philippo: & hoc videtur esse, quod h̄c narratur à Ioanne. Sed hanc opinionem ego falsam esse arbitror. Primum, quoniam nec veteres, nec recentiores, qui vitas Apostolorum scripserunt, tale quidpiam dixerunt; vt Abdias de vitis Apostolorum, Isidorus lib. de Patribus Novi Testamenti, Hieronymus lib. de viris illustribus, Perionius lib. de vitis Apostolorum: nec historici Ecclesiastici, vt Eusebius, & Nicephorus: nec veteres expostores Evangeliorum Matth. & Luce. Præterea constat, duodecim Apostolos indoctos fuisse: hunc autem Nathanaëlem, Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus, Euthymius, & omnes, doctum, & in lege versatum fuisse dicunt: id quod ex eius verbis intelligi potest.

Duodecim Apostoli indocti fuere. Nathanaël doctus, & in lege versatus. Ergo non erat ex Apostolis. Hæc ratio est Glossæ ita dicentis; quia autem doctissimus, non est in Apostolum electus. Omnes enim Apostoli primum de Idioris; vt confundantur Sapientes. Eadem ratio est Augustini, Tractatu 7. hac enim ratione docet Nathanaëlem non fuisse electum in Apostolum.

Præterea Abulensis super Matth. cap. 10. quest. 35. dicit; De

Bartholomeo nihil dictum est in Scriptura: Quod etiam affirmauit Perionius in vita Bartholomaei; sed fuisse pauperem, & sine literis, & obscuri nominis: & ad hoc citat Eusebium. Similiter Iosephus Græcus author apud Simeonem Metaphrastem in vita Bartholomaei, dicit eum fuisse pauperem, & Idiotam.

S. Bartholomeus fuit pauper, & sine literis.

Ad argumentum Montani, quod etiam est Ruperti, respondetur; multa nomina huiusmodi apud Hebreos ita usurpata esse pro propriis, ut propria ipsa tacerentur, ut Marc. 10. *Filius Timei Barthimaeus sedebat iuxta viam.* Idem igitur factum est in nomine *Bartholomai.* Ad secundum argumentum Ruperti respondetur; cum Dominus ex turba Discipulorum elegit duodecim, tunc post Philippum vocavit Bartholomæum; & ideo simul numerantur: sed non inde sequitur, eum esse Nathanaëlem; quoniam haec vocatio, cuius meminit Ioannes, alia est ab ea, quæ est Matth. 10. & Lucæ 6. Respondetur etiam; non esse necesse dicere, in Catalogo Apostolorum seruatum esse ordinem vocationum; quandoquidem semper Petrus ponitur ante Andream, cum fuerit posterius vocatus. Deinde Matth. ultimum par est Simon Cananæus, & Iudas proditor. Lucæ autem 6. ultimum par est Iudas Iacobi, & Iudas proditor.

A Nazareth potest aliquid boni esse?] Per interrogationem legendum est iuxta omnes, licet Augustinus etiam sine interrogatione legi posse affirmet: non autem loquitur de quouis bono, sed de bono illo eximio, & multum sperato; id est, de Messia. Hoc dicit, quoniam ex Michæe 5. sciebat Christum nasciturum esse in Bethlehem: *Et tu Bethleem terra Iuda, &c.* Propterea etiam quidam dicebant Ioann. 7. *Nunquid à Galilea venit Christus? nonne Scriptura dicit; Quia ex semine David, & de Bethlehem Castello, ubi erat David, venit Christus?*

Christus nasciturus in Bethlehem.

Ecce verè Israélita.] Id est, verus filius Iacob, & eius virtutum imitator: quemadmodum si nunc diceremus de aliquo; iste est verè Christianus. Sed ego aliquid altius significatum puto, videlicet eum esse unum ex veris filiis Iacob; id est, ex prædestinatis promissis Abrahæ, & Iacob. Probatur hoc ex Apostolo Rom. 9. *Non enim omnes qui ex Israël, ij sunt Israélita.*

Cum essem sub ficu vidi te.] Quoniam Nathanaël, ut ab homine, quæsierat; *vnde me nosci?* Ostendit se, ut Deum, omnium mores, & occulta cognoscere, videréque ea, quæ nemo videat: ita fecit & Petro, cum dixit; *Tu es Simon, &c.* Est autem sensus: Cū essem solus sub ficu, ubi nemo te videbat, ego te vidi: & quidem antequām accederet ad te Philippus, qui mihi posset renunciare: Ita Euthymius, & Beda. Probabile est autem, Nathanaëlem sub ficu orasse, & fortassis Messiac aduentum expetiisse: quasi dicat; vidi quid faceres, & quid cogitares sub ficu.

Messias & rex Israël, idem.

Tu es filius Dei, tu es Rex Israël.] Idem est dicere, *Tu es Rex Israël, & tu*

& tu es *Messias*: vt patet ex dictis in illis verbis; *Inuenimus Messiam*; Vnde cum articulo dicitur *Rex*. At dubium est, utrum verè cognouerit Filium Dei naturalem esse? Ratio dubitandi est; quoniam etiam cum articulo ponitur, *Filius Dei*: & ita intelligit Cyrius, videlicet cognouisse esse Filium Dei naturalem; quoniam videt illum occulta cognoscere, quod est proprium Diuinæ naturæ. Eodem modo intelligere videntur Augustinus, tract. 7. & Beda, & alij. Iansenijs, cap. 17. rem sub dubio reliquit. At multò certius est, non cognouisse esse Filium Dei naturalem. Et ita docet Chrysostomus, homil. 20. & super Matth. homil. 55. & Iosephus, & Euthymius, & Lyra. Quærunt enim, cur Petrus, qui eadem verba dixit Matth. 16. laudatus est à Domino; qui tamen multa signa viderat; Nathanaël autem, qui nullis signis visis, non est ita laudatus: Et respondent; sublimiorem fuisse Petri confessionem, qui eum verum, & naturalem Dei Filium confessus est, quàm Nathanaëlis, qui Filium tantummodo adoptiuum esse credidit. Idem ait Chrysostomus super Matth. loco citato, de illis, qui dixerunt Matth. 14.

Verè Filius Dei est. Patet hoc etiam ex Clemente, Epistola prima ad Iacobum fratrem Domini; vbi docet, Petrum esse primum Apostolorum, cui Deus Pater Filium suum reuelauit: hoc autem dicit propter illa verba: *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Non est autem credibile, priùs hoc reuelatum fuisse Nathanaëli, quàm Apostolis omnibus. Confirmatur etiam ex verbis Domini, qui paulatim eleuat Nathanaëlem ab humanitate ad cognitionem Diuinitatis, cùm ait; *Maius his videbis*; scilicet, vt maiora de me credas. Et statim, *videbitis cœlos apertos*, &c. per quod ostendit, se esse Dominum Angelorum. Ad rationem dubitandi respondeatur; Filius ponitur cum articulo; quoniam eum eximium inter Filios Dei credit, & præstantiorem cæteris; sed tamen intra limites adoptiui: nam articulus apud Græcos tantum ostendit aliquid eximium, & egregium in aliquo genere. Neque obstat, quod Dominus ait; *quia dixi; vidi te subfici, credis*: non enim hoc dixit, quia Filium Dei naturalem esse credidit, sed quia credidit esse Messiam, & Sanctiorem esse cæteris Prophetis.

Amen qua vox, & quid sed tantum serìò aliquid affirmantis: & dicitur à verbo Hebreo aman; quod est credere, firmare, assenerare. Pro quo Septuaginta Interpretes transtulerunt, fiat, vt notat Hieronymus ad Galat. 1. *Cui est gloria in secula seculorum amen*. Aquila autem translatis; *verè*, sive fideliter. Addit Hieronymus, quod etiam in Evangelio à Salvatore semper assumitur sua per *amen* verba firmando. Eodem modo, quo Aquila, verterunt etiam Symmachus, & Theodotion, vt ait Hieronymus, in fine Epistolæ ad Galatas. Et hoc semper sequitur ipse, vt in locis citatis, & super Isai. cap. 25. & 65. & super Matth. cap. 6. & in Epistola; *Nuper cùm pariter*,
ad

S. Petri cōfessio sublimior quàm Nathanaëlia.

S. Petrus fuit primus Apostolorum, cui Deus Pater filium suum reuelauit.

Articulus apud Græcos quid ostendat.

Amen qua vox, & quid

ad Marcellam. Ex quibus patet , duplēcēt esse vsum huius dictionis; primus est , cūm iis , quæ dicta sunt , consensum præstamus , & verum esse significamus , vt 3. Reg. 1. Et respondit Banias filius Ioiadæ regi , dicens ; amen : sic loquatur dominus Deus domini mei regis . Et 1. Cor. 14. Si benedixeris Spiritu , qui supplet locum idiota , quomodo dicet amen , super tuam benedictionem ? Huius rei sunt multa exempla , Deuteronom. 27. & propterea in fine librorum , aut epistolarum ponebat Hebræi , amen ; In fine libro-
rum , & epi-
stolarum
apponeba-
tur.
vt significarent vera esse , quæ scripta fuerant , vt ait Hieronymus , in Epistola ; Quæ acceperis , ad Marcellam . Secundus v̄sus est , ad assue-
randum magis , quod volumus dicere : cūm autem geminatur , maio-
rem vim habet ad assuerandum ; vt Psal. 105. Et dicet omnis populus , Secundus
v̄sus.
fiat fiat . Et ita vtitur hac dictione Dominus . Sed hoc est aduerten-
dum , Dominum in Euangelio non solū non iurare , verū nec hac nota assuerationis vti , nisi in rebus ad credendum difficilibus : nec eam dupicare , nisi in rebus creditu difficilioribus . Quid autem amen significet verè , manifestè patet ex Euangelio . Nam vbi Lucas cap. 21. ait : Verè dico vobis , quia vidua hac pauper plusquam onnes misit . Marcus , cap. 12. inquit , Amen dico vobis , quoniam vidua hac pauper plus omnibus misit .

Videbitis cælum apertum , &c.] Chrysostomus , homil. 20. & Theophylactus , Euthymius , & S. Thomas , & Lyranus dicunt impletum fuisse tempore Passione , & Resurrectionis , & Ascensionis : nam in Passione descendit Angelus de cælo confortans eum , Lucæ 22. Et postea visi sunt Angeli testes Resurrectionis , & Ascensionis . Caietanus autem dicit , non esse hoc narratum ab Euangelistis , vt & alia multa , quæ facta sunt ; & refellit priorem sententiam ; quoniam Angelus in Passione à solo Domino v̄sus est : in Resurrectione verò , & Ascensione descenderunt quidem Angeli ; sed non super Christum . Atque hanc eius sententiam veriorem putat esse Iansenius , cap. 17. Sed respondemus ; Caietani sententiam non esse improbatum ; quam etiam recipit Glossa : Sed argumentum tamen , quo Sanctorum sententiam impugnat , infirmum est : nam præpositio super more Hebræorum , aliquando significat propter , vt 2. Reg. 1. Doleo super te , frater mi Jonatha . Aliquando significat , ad , vt Lucæ 3. Factum est verbum Domini super Ioan. &c. Itaque possumus optimè exponere , super Filium hominis ; id est , propter Filium hominis ; vt scilicet ostendant eius Resurrectionem , & Ascensionem , séque illius ministros esse : Vel , ad Filium hominis , quomodo intellexit Cyrillus ; id est , ad eius iussa facienda , & ad homines docendos , vt Deum cognoscerent . Angelum autem , qui descendit in Passione , cūm probabile sit cum splendore apparuisse , videre potuerunt omnes Apostoli ; & præsertim tres , qui propius accesserant .

Probabilis est etiam expositio Titelmani , vt hoc intelligatur de tempore Ascensionis , quo cæli Domino patuerunt ; & Angeli eum comitantes crebrè ascenderant , & descendebant in eius ministerium .

Duplex eius
v̄sus.
Primus.

Angeli ad-
fuerūt Pas-
sioni , Resur-
rectioni , &
Ascensiōni
Christi , ac
cæli aperti
sunt.

Ego existimo, & temporibus assignatis à Chrysostomo id continisse, & præfertim tempore Ascensionis, vt ait Titelmanus, & sæpè alias, licet non narrent Euangelista; vt volunt Caietanus, & Ianuenius. Atque ita ex tribus vnam integrum expositionem facere licet.

Sed dubium est, cur priùs dixerit *ascendentes*; quām *descendentes*. Respondetur, vt doceret, eos tamquam suos ministros coram se ambulare, sibiique ministrare. Augustinus moraliter hæc exponit de Christo, & prædicatoribus. Vide illum tract. 7. versus finem.

Supra Filium hominis.] Christus non dicitur *Filius hominis*, quasi *Filius Virginis*, vt multi putant, & vt putauit Euthymius, Matth. 8. in illis verbis; *Filius autem hominis non habet, ubi reclinet caput suum; hominem*, inquit, *vocat matrem suam*. Ratio huius, quod dicimus, est manifesta; quoniam vbi cùmque de Christo dicitur in Euangilio, immò in toto Nouo Testamento *Filius hominis*, semper ponitur cum duobus articulis masculinis. Præterea, quoniam in Hebreo semper ferè dicitur *Filius Adam*, aut *Filius Adam*, ubi nos habemus, *Filius hominis*, aut *Filius hominum*, vt notat Hieronymus, super Ecclesiasten, c. 9. & super Matth. 16. ibi; *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* Ita paſſim Ezech. dicitur, *Filius hominis*. Adam autem cùm hominem significat, ita significat virum, vt nullo modo possit significare fœminam: ergo siue sit nomen proprium, siue commune, nunquam ad fœminam referri potest. Rursus notandum est, *Filium hominis* vulgata phrasι Hebreorum nihil esse aliud, quām si dicas *homo*, vt in locis Ezechiel. videmus, & Pf. 8. *Quid est homo, quid memor es eius, aut filius hominis; quoniam visitas eum?* Dicitur igitur Christus *filius hominis*; id est, *homo*, vt exponit Damascenus, lib. 3. c. 3. vt hac appellatione, sicut ait Ianuenius, c. 17. & humilitatem suam, & veram humanæ naturæ susceptionem nobis commendet. Sed mihi ob duas præterea causas dici videtur: prima, vt ostendat amorem suum erga nos; quod cùm Deus sit, non dedignetur communem nobiscum habere naturam, & commune nomen: quemadmodum Imperatores, & Duces in maximi amoris indicium, milites suos appellare solent *Commilitones*. Eadem enim causa fratres nos vocat, iuxta illud ad Hebreos, 2. *Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: narrabo nomen tuum fratribus meis.* Secunda causa est: dicitur *Filius hominis*, & quidem cum duobus articulis, vt certum *Filium*, & certum *Patrem* ostendat; id est, vt intelligatur ille Filius non hominis confusè, sed illius hominis determinatè, videlicet Adam primi parentis, qui illi promissus fuerat, vt eius peccatum deleret, & naturam humanam repararet, et sicut alter generis humani parentis. Ideò enim dicitur secundus Adam, siue nouissimus Adam. 1. Cor. 15. Atque hæc secunda causa potissima est: cui tamen rectè adiungitur prima; quoniam cùm vocat se *filium Adam*, hominem se vocat. Et confirmatur; quoniam quemadmodum *Filius hominis* cùm Christum significat, semper ponitur cum duobus articulis, vt diximus; ita quoties sine articulis ponitur, etiam si de Christo prædicetur, significat indeterminatè

*Adam significat vi-
rum, nullo-
modo fœmi-
nam.*

*Christus
qua ratione
dicitur Fi-
lius homi-
nis.*

*Et quibus
principiis
de causis.*

*Christus
secundus
Adam cur.*

natè quocumque suppositum habens humanam naturam. Quod est in Scriptura plurimum adnotandum; vt Ioan.5. Potestatem dedit ei iudicium facere; quia Filius hominis est: & ad Hebreos 2. citat Paulus ex Psal.8. Aut filius hominis; quoniam visitas eum. Et Apocalypsi 1. Et in medio candelaborum aureorum similem filio hominis: & c.14. Et super nubem sedentem similem Filio hominis. In his tantum locis ponitur sine articulo in toto Nouo Testamento: & ratio est, quoniam in illis significat indeterminatè quocumque suppositum habens humanitatem; quod & aliis hominibus, & Christo conuenit; vt, quia filius hominis est; id est, quia homo verus est; & similem filio hominis, non Christo; immò ipse erat Christus; sed similem homini. Psal. autem 8. ideo sine articulo ponitur, etiam si de Christo dicatur, vt exponit Apostolus, quia sensus literalis est de quolibet homine; spiritualis autem de Christo, vt ibi exponit Euthymius: aut etiam si esset literalis de Christo; tamen etiam de aliis hominibus intelligitur, vt ibi exponunt Chrysostomus, & Hieronymus, & alij. Et ideo necesse fuit sine articulo poni.

S A N



S A N C T U M
I E S V - C H R I S T I E V A N G E L I U M
S E C V N D U M I O A N N E M.

C A P V T I I .

1. **T** die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: & erat mater Iesu ibi. 2. Vocatus est autem & Iesus, & discipuli eius, ad nuptias. 3. Et deficiente vi-
no, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. 4.
Et dicit ei Iesus: Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora
mea. 5. Dicit mater eius ministris: Quodcumque dixerit vobis, fa-
cite. 6. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex posita secundum purifi-
cationem Iudaorum; capientes singulæ metretas binas vel ternas. 7.
Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usque ad
summum. 8. Et dicit eis Iesus: Haurite nunc, & ferte architriclinio.
Et tulerunt. 9. Ut autem gustauit architriclinius aquam vinum
factam, & non sciebat unde esset, ministri autem sciebant, qui hau-
serant aquam: vocat sponsum architriclinius, 10. Et dicit ei: Omnis
homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc
id, quod deterius est: Tu autem seruasti bonum vimnam usque adhuc.
11. Hoc fecit initium signorum Iesu in Cana Galilææ: & manife-
stauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius. 12. Post
hoc descendit Capharnaum ipse, & mater eius, & fratres eius, &
discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus. 13. Et propè
erat Pascha Iudaorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. 14. Et in-
uenit in templo vendentes boues, & oves, & columbas, & numu-
larios sedentes. 15. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis,
omnes eiecit de templo, oves quoque & boues, & numulariorum
effudit æs, & mensas subuertit. 16. Et his, qui columbas vende-
bant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei,
domum negotiationis. 17. Recordati sunt vero discipuli eius quia
scriptum est: Zelus domus tuae comedit me. 18. Responderunt ergo
Iudei, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis quia hec facis?

19. Respon-

19. Respondit Iesus & dixit eis: Soluite templū hoc, & in tribus diebus excitabo illud. 20. Dixerunt ergo Iudei: Quadragesima & sex annis adificatum est templum hoc, & tu in tribus diebus excitabis illud? 21. Ille autem dicebat de templo corporis sui. 22. Cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt scripturæ, & sermoni quem dixit Iesus. 23. Cum autem esset Ierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa eius, quæ faciebat. 24. Ipse autem Iesus non credebat semetipsum eis, eo quod ipse nosset omnes, 25. Et quia opus ei non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset de homine.

IN CAPVT II. SANCTI IESV CHRISTI EVANGELII

SECUNDVM IOANNEM,

COMMENTARIA.

ET die tertia nuptia factæ sunt.] Cùm iam Christus Discipulos colligere incepisset, oportebat, vt etiam miraculis diuinitatem suam testari inciperet: die autem tertia intelligit à colloquio habito cum Nathanaële: semper enim numerus dierum refertur ad rem proximè narratam, vt Tertullianus cap. 1. vbi dicebat altera die, &c in diem castinum: sed est dubium difficile, quo die, & quo anno fuerint facta istæ Nuptiæ. Epiphanius lib. 2. contra hæres. putat fuisse eodem die, quo Christus natus est, cùm trigesimum annum clausit: at Ecclesiæ traditio docet fuisse eo die, quo adoratus est à Magis; id est, sexto die Ianuarij. Sed ex eo deceptas est Epiphanius, quod credit Dominum natum esse quinto die Ianuarij, & eodem die factum esse hoc miraculum: vnde eodem die quinto fontes quidam eius tempore conuertebantur in vinum: verba Ecclesiæ in officio Epiphaniæ sunt: *Tribus miraculis ornatum diem & sanctum colimus: hodie stella Magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie à Ioanne in Iordanem Christus baptizari voluit: ex quibus verbis discimus, Dominum compleuisse iam trigesimum annum, cùm baptizatus est; quandoquidem natus est vigesima quinta die Decembris, & baptizatus est sexta die Ianuarij: deinde anno sequenti, completo iam trigesimo primo nuptiæ factæ sunt.* Sed obstat Ianse-Ribera in Enang. Ioan.

Miraculis
testari cœ-
pit suam
diuinitatē
Christus in
nuptiis.

Et quo an-
no, ac die
statis.
Epiphanius
lapsus.

nus, qui quamuis c. 18. dicat, esse communem sententiam nuptias fuisse sexto Ianuarij; tamen c. 14. negat eodem die baptizatum esse Christum: ex quo necesse est discrepare à nobis in anno. Probat primù ex Irenæo lib. 2. contra hæreses c. 39. dicente, Dominum cum venit ad baptismum, non compleuisse trigesimum annum, sed fuisse quasi annorum triginta. Sicut ait Lucas c. 3. *Et erat Iesus incipiens quasi annorum triginta.* Probat etiam ex Epiphanio, qui lib. 2. contra hæreses, hæres. s. i. ait, Dominum baptizatum fuisse, cum incipiebat esse triginta annorum; erat enim annorum vigintinouem, & decem mensū; quoniam baptizatus est duodecimo die Nouébris: & propterea legit ipse in Luca: *Erat Iesus incipiens esse quasi annorum triginta.* Secundum argumentū est, Christus cœpit prædicare, & congregare Discipulos, & prædicare à baptismo Ioannis; id est, à tempore, quo baptizatus est à Ioanne; Act. 1. In omni tempore, quo exiuit, & intravit inter nos Dominus Iesus incipies a baptisme Ioannis usque in diē, qua assumptus est. Si ergo à baptismo usq; ad primū miraculū, quod factum est in nuptiis, annus intercessit, ergo totū illum annū Christus transgit sine prædicatione, & sine miraculis, & sine Discipulis. At vero hæc argumēta non satis esse debent, vt ab Ecclesiæ traditione recedamus, quæ sine dubio verissima est. Neq; obstat quod respondet Iansenius; dictum esse: *hodie Christus baptizari voluit;* quoniam eo die Ecclesia celebrat illum baptismū, sicut in die Paschæ dicit, eo die Christum resurrexisse; cùm tamen dies Paschæ rarissimè incidat in illū ipsum diem, quo Dominus resurrexit; non, inquit, obstat; quoniam quando Ecclesia dicit aliquid factū esse certo aliquo die, & posteā eodem tenore verborum narrat, eodem die aliquid aliud factum esse; ita sine dubio intelligendū est secundum, vt intellectum primū: sed Ecclesia docet, illo contigisse historiam Magorum; ergo eodē die docet contigisse miraculū Nuptiarum; quoniam similiter loquitur. Hoc etiam ostendit Ecclesia in hymno illo Sedulij, in quo hæc tres historiæ commemorantur, quasi eodem die factæ; *Ibant Magi, &c. Postea, lauacra puri gurgitis, &c.* Et statim; *Aqua rubescunt hydria, &c.* Denique Sancti non obscurè testantur, hanc esse Ecclesiæ traditionem, Ambrosius, serm. 21. ait, plerisque affirmare, miraculū Nuptiarū contigisse in die Epiphianæ: nonnullos autem fuisse etiam eo die baptizatū, quos ibi sequitur, & aperte affirmit, vt ex sermone 18. simul cū 19. & 20. facile intelligi potest. Idem docet Aug. sermone 1. Epiphianæ, & sermone 2. in Dominicam octauam; & Bernardus, serm. 1. Epiphianæ: & ibi ait; *sicut à patribus nostris accepimus,* & serm. 2. Eiusdem traditionis meminit S. Maximus in sermone Epiphianæ, vbi ait; *In hac, dilectissimi, celebritate, sicut relatu paterna traditionis instruimur, multiplici nobis est festinata letandum.* Caietanus etiam 3. p. q. 43. a. 3. affirmit Ecclesiam credere, miraculum Nuptiarum fuisse in anniversario die à baptismo Ioannis: quare cùm sit vetus Ecclesiæ, & Sanctorum traditio, mirum est, Iansenium tantummodo respondisse ad verba S. Maximi, quasi solus ille disseret.

Christus
quando cœ-
pit prædi-
care, &
congregare
Discipulos.

Dies Pas-
cha rariſſi-
mè incidit
in diem, quo
surrexit
Dominus.

Ad primum eius argumentum Respondetur; Epiphanium, si veri sint codices, qui in temporum ratione solent s^ep^e vitari, non recte supputasse tempora: nam & in nonnullis aliis ibidem errauit; vt in die Nativitatis Domini. At Irenaeus nihil tale dicit; male enim citatus est à Iansenio. Non loquitur ex sententia sua, sed refert sententiam hæreticorum, qui dicebant, Dominum unum assūtum tantum prædicasse, & passum esse, cùm esset triginta annorū: itaque venisse ad baptismū, cùm inciperet agere annū trigesimū. Quod autem non loquatur ex sua sententia, probatur; quoniam in eodem cap. refellit hoc: & ait Dominum Christus
venisse ad baptismū, cùm esset triginta annorū. Idem confirmat Theo-
phylactus Luc^e. 3. & D. Thomas, 3. p. q. 39. a. 3. & adducit eius rei figu-
ram. Chrysostomus autem homil. 10. in Matth. aperte loquitur: ait
enim, Dominum post triginta annos venisse ad baptismū: & Ber-
nar. serm. 1. Epiphaniæ, dicit: eum triginta annorum tempus iam ex-
egisse, cùm baptizatus est. Ex quo patet, falsum esse, quod ait Abulens.
Matt. 3. in illis verbis: *Tunc venit Iesu à Galilea; Dominū tunc fuisse vi-*
ginti nouem annorū completorum, & incipiebat trigesimū: & hoc su-
prā probauimus, c. 1. Quod autem dicit Lucas: *Erat incipiens quasi anno-*
rū triginta, nō significat, eum baptizatum fuisse, cùm inciperet esse tri-
ginta annorū; sed potius, cùm iam triginta esset annorū, cœpisse scili-
cet prædicare, & manifestare se hominibus: tunc enim baptizatus est,
& à baptismo statim cœpit; vt patet Act. 1. Quod & ipse Iansenius fa-
tetur; & Orig. hom. 28. in Lucam, non putat verbum, *incipiens*, referen-
dum esse ad ætatem: dixit autem *quasi annorū triginta*; quia tunc paululū
excedebat annū trigesimū: & ita intellexit Chrys. hom. 10. in Matth.
Quod si obiicias, aduerbiū, *quasi*, semper detrahere aliquid summae
commemoratae: ergo non impleuerat trigesimum annum. Responde-
tur; non semper id fieri: sed aliquando detrahit aliquid, aliquando ni-
hil detrahit, sed potius addit; vt Marci. 8. *Erant autem qui manducave-*
runt quasi quatuor millia: & tamen Matt. c. 15. dicit: Erant qui manduca-
uerant quatuor millia. Præterea Ioannis 6. *Discubuerunt ergo viri numero*
quasi quinque millia: & Luc^e. 9. Ferē quinque millia: & Matt. c. 14. Man-
ducantium autem fuit numerus quinque milia virorum. Et similiter loqui-
tur Marcus, c. 6. Nec ex hoc negatur, plutes fuisse quam quinque millia;
quoniam in maiori summa includitur minor; vt cùm dicimus septua-
ginta Interpretes, aut septuaginta Discipulos; cùm tamen constet, fuis-
se septuaginta duos. Ita etiam nos loquimur: recte enim dicimus, *au-*
ria como treinta annos; et si aliquot præterea dies connumerentur.

Christus
quo anno
accessit ad
baptismum.

Ad secundum argumentum Respondetur, negando cōsequentiam: immò illo anno Christus ieunauit in deserto, & posteà venit ad Ioan-
nem, & ostensus est turbis; & facta sunt omnia, quæ Ioannes scripsit c.
1. ab illis verbis; *Ioannes testimonium perhibet de ipso.* Sed adhuc vrget
difficultas; quoniam omnia, quæ Ioannes scripsit, facta sunt extremis
diebus illius anni. Quid ergo fecit Christus toto illo anno à baptismo?
Possemus respondere, Dominum post ieuniū in deserto, reuersum esse

in Galilæam, & posteā venisse in Iordanem, vbi ostensus est à Ioanne. Mihi quod Epiphanius ait, probabile videtur: sed eius tamē ratio falsa est: dicit enim, hoc scripsisse alios Euangelistas: etenim Matth. c. 4. dicit, Dominum rediisse in Galilæam; sed post Ioannem coniectum in vincula: quare id Epiphano nihil fauet: Similiter loquitur Mar. c. 1. Illud magis ei fauere videtur, quod est apud Lucam c. 4. Et consummata omni tentatione Diabolus recessit ab illo, usque ad tempus; & reuersus est Iesus in virtute Spiritus in Galilæam: Sed neque hic locus id probat: constat enim ex iis, quæ continuò sequuntur, iam eo tempore Dominum notum fuisse miraculis editis: ait enim, & fama exiit per uniuersam regionem de illo: & paulo post, quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Loquitur igitur Lucas de reditu in Galilæam, quem Ioannes scripsit c. 1. cum ait; *Voluit exire in Galilæam*: tunc enim fecit miraculum in Nuptiis in Cana Galilææ; & posteā, vt ait Ioannes in hoc c. 2. *secessit in Capharnaum*; vbi multa signa fecit, de quibus dicit Lucas; *quanta audiuimus facta in Capharnaum*. Siue ergo continuò post baptismū redierit in Galilæa, siue non redierit, dicimus, eum maiorem partem illius anni transegisse partim in vita priuata: ver-sabatur enim sæpe inter homines, vt unus c. multis; & ideo Ioannes dixit: *Medius autem vestri stetit, quem vos nescitis*: & veniebat sæpe ad Ioannem, vt turbis ostenderetur, sicut ait Caietanus, in illis verbis c. 1. *Rabbi ubi habitas?* & Cano loco citato: & paulatim Ioannes eū indicabat turbis, primò obscurius, deinde in dies apertiùs, vt patet ex illis verbis; *hic erat quem dixi, &c.* Hæc autem testimonia Ioannis quædam reddita sunt extremis diebus anni illius, quædam verò antè; nam hoc indicat Ioannes, cum dicit; *hic erat, quem dixi*. Vbi significat, se multò antè de illo fuisse locutum. Atque ita responsum est ad posteriorem difficultatem. Sed præterea notandum est, Dominū hoc anno primo etiam priuatim docuisse: docuit enim Andream, & Philippum, &c. Sed & antea docuerat: vt enim recte adnotant Caietanus, & Cano locis citatis, non appellassent *Rabbi* discipuli Ioannis, nisi iam antea docuisset.

Cana du-plex.

In Cana Galilæe.] Ad distinctionem dictum est alterius Cana, quæ pertinet ad Tribum Ephraim in Samaria, & dicitur Cana minor: hæc autem, de qua loquitur, pertinet ad Tribum Aser, & est in Galilæa gentium prope Sidonem, vt ait Hieronymus in locis Hebraicis, diciturque *Cana maior*, ex qua fuit Nathanaël, Ioannis 21. distat autem à Nazareth versus septentrionem decem milliariis, vt ait Aranda in descriptione terre Sanctæ, tract. 2. c. 4. idest, quinque leucis.

S. Ioannes
eximatus
Sponsus in
iis nuptiis.

Et erat Mater Iesu ibi.] In his Nuptiis multi existimant sponsum fuisse Ioannem Evangelistam, quem Dominus à Nuptiis vocauit ad Apostolatum, quod licet Claudius dicat se non audere dicere; dicit ramen Hier. in prologo Euang. Ioannis; & Aug. & Beda, in prologo Commentar. & Lyra, hic. Atq; inde factū in Ecclesia dicit Lyra, vt matrimonio rato, sed nō cōluminato possint cōiuges trāsire ad Religionem.

Vocamus

Vocatus est autem Iesus.] Venit, ut honoraret præsentia sua Nuptias, quas ipse in Paradiso instituerat, & ad obstruenda ora hæretorum prohibentium nubere.

Christus
adfuit Nu-
ptiis cur.

*Et deficiente vino.] Etiamsi Græcè sit in præterito tempore; id est, cùm defecisset: atque etiamsi demus tempora, quæ Græci vocant *Aoristos*, semper ad præteritum pertinere, quod non est verum; tamen rectè ita intelligeretur, cùm defecisset *vinum*; id est, cùm incépisset deficere: & idē Interpres vertit, *deficiente vino*; nondum enim plenè defecerat. Ita ut diximus, intelligit non solum S. Thomas, & Lyra, & Iansenius, cap. 18. sed etiam Chrysostomus, homil. 20. & Augustinus sermone 41. de tempore.*

*Quid mihi & tibi est mulier?] Occasione horum verborum quidam hæretici negauerunt, Christum habuisse fœminam matrem, ut ait Augustinus, tract. 8. & lib. de fide & symbo. c. 4. Sed rectè hic argumentatur Augustinus: *Vos hoc dicitis, quia non vocat eam matrem, sed mulierem; quis hoc dixit, ut credatis? Ioannes Euangelista: Credite ergo eidem Ioanni dicenti, & erat mater Iesu ibi.* Cæterum hic locus negotium omnibus & Expositoribus, & Concionatoribus facessit, quoniam durior videtur responsio. In quo primùm rei scienda est Chrysostomi expositio homil. 20. & Euthymij iam diu ab omnibus iure optimo explosa; Virginem à Christo increpari, quæ miraculum intempestivè petierit, ut ipsa clarior efficeretur. Rei scienda est etiam expositio Caietani; *Nec tua interest, nec mea defectus vini; tua, quia mulier es, & id curare virorum est; mea, quia non est tempus aptum miraculo faciendo:* Est enim phrasis Hebræis vñstatissima, ut adnotarunt Iansenius, & Montanus; & nos etiam ostendimus Ioëlis 3. in illis verbis; *Verumtamen quid mihi & vobis Tyrus, & Sidon?* ut duo datiuī cum media præpositione significant idem quod apud Latinos datiuū, & ablatiuū cum præpositione, *cum*, ut Ioël. 3. *Quid mihi & vobis?* id est, *quid mihi est vobiscum?* Et Matth. 27. *Nihil tibi & iusto illi;* id est, *cum iusto illo:* & c. 8. *Quid nobis & tibi Iesu fili Dei?* Pro quō nos dicimus, que me queres dexamē, vel que tienes tu que ver comigo: Latinè, *quid tibi rei mecum est?* His suppositis, communior expositio est; ego hoc miraculum non secundūm naturam, quam à te habeo, facturus sum; sed secundūm Diuinitatem, in qua nihil mihi tecum commune est; & idē, te nunc non agnoscō, quando secundūm Diuinitatem operaturus sum: sed quia ex te habeo humanitatem, tunc te ego agnoscam cùm secundūm eam patiar in cruce; & idē dicit; *nondum enim venit hora mea;* id est, tempus Passionis, quo te agnitus sum; ut c. 1. *Nemo misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius.* Hoc autem dicunt propter illud Ioan. 19. *Mulier ecce filius tuus.* Ita exponit Augustinus in tract. 8. & 119. & in lib. de fide, & symbolo, c. 4. & lib. 2. de symbolo ad Catechum. c. 5. Beda, & S. Thomas hīc, quam c. 19. Lyra, & interlinealis hīc. Sed videtur obstat huic expositioni, quia in Passionē non magis eam agnoscit, quām hīc; siquidem & ibi non matrem vocat, sed mulierem: si autem dicas,*

Hæretici
negarunt
Christum
habere fœ-
minam ma-
trem.

Contra eos
Augus-
tinus.

Chrysost-
omus, &
Euthymius
reiecit.

Ac Caieta-
nus.

agnouisse eam, quoniam Discipulo commendauit; & hic agnouit, quoniam quod illa rogabat, perfecit: obstat etiam, quia Virgo non ignorabat miracula esse naturæ diuinæ, nec facienda esse, ut mos hominibus gereretur. Ego sanè minimè probo sententiam Iansenij cap. 18. & aliorum, qui duriorem responsonem fuisse existimant: nulla enim causa erat, cur durè matri loqueretur, qui in omnes erat mansuetissimus. Propterea notandum est, in verbis non tam attendendum esse, quid sonent, quam quo vultu, & quo modo proferantur: nam cadem verba, & iracundiæ esse possunt, & amoris per se sumpta: sed vultus, & vox tollunt illam ambiguitatem. Intelligendum est autem, hæc dicta esse à Domino vultu sedato, & hilari, qualem semper habuit in matrem; ac si diceret, quid properas? Sine modo paululum, faciam, sed tempus commodius expecto. Probatur ex factō ipso Domini, & ex verbis Virginis; quodcumque dixerit vobis, facie: quæ non dixisset, nisi intellexisset filium annuisse suis precibus. Hoc autem non ex verbis, sed ex vultu, quo dicebantur, intellexit: expectabat verò Dominus, ut aiunt Chrysostomus, homil. 2: & Cytillus, ut sponsus, & cæteri defectum vini intelligerent, atque ipsi peterent; vt miraculum & ipsi esset gratius, & cæteris omnibus manifestius; & ideo dixit: nondum venit hora mea; id est, tempus mihi aptum ad faciendum miraculum: quoniam, ut ait August. ser. 41. de tempore, nolebat facere miraculum, donec vinum penitus deficeret, ne miscere potius clementia, quam mutare videretur. Sed quare continuò fecit? Ad hoc respondet ita Cytillus; Quantuu honor parentibus debeat, facile ostendit, cum statim ad actum propter matrem accedat, quem quantum in eo erat, parumper distulisset.

Sed restat adhuc scrupulus, cur non Matrem vocet, sed mulierem? Respondeo primò, non propter Virginem id factum esse, sed propter cæteros, vt intelligerent se in miraculis faciendis nequaquam affectu carnis, & sanguinis duci: cui simile est illud; *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matth. 12. Quod si obiicias; cur etiam in Passione mulierem vocavit, vbi ratio ista non erat? Responderet ibi Lyra, factum esse, ne teneritudine nominis materni dolor Virginis aggrauaretur. Secundò respondeo, id quod mihi sit verosimillimum, Dominum solitum esse Matrem suā appellare mulierem, eo modo, quo se vocat filium hominis, videlicet cum articulo; vt sicut se vult ostendere secundum Adam, ita etiam eam ostendat esse alteram Euam; hoc est, matrem viventium; id est, eam mulierē, quæ damna primæ mulieris resarciret.

*Matrem
cur non di-
xerit in
Passione
Christus,
sed mulie-
rem.*

*Hydria
guid, & un-
de dicta.*

Lapidea hydria sex.] Rectè hydrias dixit, quæ vt nomen indicat, aquæ sunt: dicitur enim hydria ab ὕδωρ, quod est aqua; ne si vinaria vasā dixisset, putaretur ex vino crassiore, quod subsederat, infusa posteà aqua factum fuisse vinum, aut aquam vini sumpsiisse.

Secundum purificationem Iudeorum.] Id est, vt quemadmodūm Iudæis moris est, aquam haberent, qua se, & vasā abluerent; quod optimè intelligitur ex verbis Marci. cap. 7. *Pharisei, & omnes Iudei, nisi crebro lauerint*

lauerint manus, non manducant tenentes traditionem seniorum, & alia multa que sunt tradita illis fernare baptismata calicum, & urceorum, & eramentorum, & lectorum: In hunc igitur usum ponebantur hydriæ.

Capientes singula metretas binas, vel ternas.] Quemadmodum paulò post verbis architriclini docet vinum elegantis fuisse saporis; ita nunc eius copiam demonstrat ex hydriarum magnitudine, ut appareat ex omni parte perfectum fuisse miraculum. Metrera Græca mensura capit congiis duodecim, iuxta Epiphanium in lib. de mensuris & ponderibus, & Alciatum in libello eiusdem tituli, & alios: sicut & batus apud Hebræos, quamvis Budens li. 5. de Aſſe ſecutus Diſcoridem decem tantum congiis capere dicat: sed Alciatus loco citato contendit vitiosè legi in Diſcoride decem pro duodecim: congius antem *Congius quid.* capit ferè, *dos acumbres:* nam iuxta omnes habet ferè sex sextarios, & sextarius habet vncias quindecim, eſtque duabus vnciis maior noſtro quartello: habet igitur metrera ad mensuras noſtras redacta, *como dos arrobas y media;* Sed cur dixit indeterminatè *binas, vel ternas?* Respondeſt Caietanus; quoniam aliae binas capiebant, aliae ternas.

Implete hydrias aqua.] Semper creata materia vtitur in miraculis, ut ostendat contra futuros hæreticos Marcionem, & Manichæum, bonas esse corporeas ſubſtantias, nec à malo principio factas esse, sed à Deo. Ita Chrysostomus, hom. 21. vbi etiam adnotat, iuſſiſe ministros implore hydrias, ut quaſi testes eſſent miraculi, nec villa fraus aut præſti- gium vñlum in eo fuisse putaretur.

Ferte architriclinio.] August. S. Thomas, Lyra, & alij putant architriclinum fuisse primum, & digniſſimum conuiuam: nō eſt tamen conuiua, ſed qui præſt conuiuio, ut parentur, quæ opus ſunt ad illud, & ut recto ordine miniftrantur, ut ait Chrysost. hom. 21. & Theophylactus, & Euthymius. Ex quo iuxta eosdem repellitur quorundam calumnia, qui dicebant conuiuas ebrios non potuisse iudicare de vini præſtan- tia: id enim defertur architriclino, qui sobrius erat, nihilque gusta- verat: dicitur autem *architriclinus*, quaſi princeps triclinij, aut prafe- cetus triclinio. Triclinium verò eſt locus tribus lectis ſtratus ad con- uiuium, more antiquorum, qui recumbentes cœnabant: *καίνη* enim Græcè, Latinè dicitur *lectus.* Et licet aliquando plures lecti eſſent, pro numero conuiuarum, interdum etiam pauciores; tamen plerumque tres lecti ſternebantur; quoniam veteres paucos ad conuiuium voca- bant. Scriptit enim Marcus Varro in lib. qui inscribitur, *nescis quid vefper ſeruſ veſtis,* conuiuarum numerum incipere oportere à numero Gratiarum, & progredi ad numerum Muſarum; id eſt, nec pauciores eſſe debere, quam tres; nec plures, quam nouem. Ita refert Gellius lib. 13. noctium Atticarum c. 11. Macrobius lib. 1. Saturnaliorum, c. 7. Sternebantur iſti lecti ab uno tantum latere mensæ, quæ oblonga erat, & ſingulis diſcumbebant ſinguli conuiuæ, aut etiam bini, vel terni ſubiecto puluillo cubito. Altı autem erant: vnde illud:

Inde thero pater Æneas ſic orſus ab alto.

*Metrera
capit eōgio
duodecim.*

*Congius
quid.*

*Marcionis
& Mani-
chæi error.*

*Architri-
clinus quid.*

*Vnde dica-
tur.
Triclinium
quid.*

*Veteres pau-
cos ad con-
uiuium vo-
cabant.*

*Lecti que-
modo ſter-
nebantur.*

Longi

*Longitudo
& latitu-
do.*

*Quomodo
decumberet
conntua.*

Longitudo singulorum, ut author est Aristoteles, in quæstionibus mechanicis quæst. 25. erat sex pedum, & paulò plus; latitudo verò trium pedum. Adnotat hæc Gullielmus Philander, in annotationibus in lib. 6. Vitruuij cap. 5. Ex quibus intelligimus aperte pedes conuiuarum à tergo extra lectum exisse; ut facile potuerit Magdalena stans retrò secus pedes Domini rigare eos lachrymis; intelligimus etiam quomodò Ioannes recubuerit in cena super pectus Domini: erat enim in eodem lecto.

*An primum
fuerit Chri-
sti miracu-
rulum.*

*Christus nō
debuit fa-
cere mira-
cula in pri-
ma etate,
& cur.*

Hoc fecit initium signorum Iesus, &c.] Multi, vt refert Chrysostomus, homil. 22. & Euthymius, existimarunt, non fuisse hoc primum miraculum, sed primum eorum, quæ fecit in Cana Galilæa: aduersus quos his rationibus vtuntur, ut probent fuisse primum simpliciter. Prima; quia cùm anteà Discipulos non haberet, nec se ita hominibus ostenderet, non indigebat miraculis. Secunda; Ioannes dixit, ut manifestetur in Israël, proptereà ego veni in aqua baptizans: si autem ipse miracula fecisset, iam notus esset Ioanni, & Israëli; neque indigeret alio, à quo manifestaretur. Præterea, oportebat vt in prima ætate miracula non faceret, ne phantasmatia putarentur, & ante tempus crucifigeretur à Iudæis; sed miracula reseruarentur temporis prædicationis. Ex quo patet, meritò reiici à Gelasio Papa in cap. sancta Romana 15. d. librum de infantia Saluatoris, tanquam apocryphum, in quo scripta erant nonnulla miracula facta à Saluatore in prima ætate. Præterea, quid causæ erat, vt narraret Euangeliſta primum miraculum factum in Cana potius, quam primum factum in Ierusalem, aut in alia parte? Confirmantur omnia ex sequentibus, & manifestauit gloriam suam; id est, potentiam, atque virtutem, quam anteà non manifestauerat; quia miraculum nullum fecerat. Et ideo etiam statim ait; Et crediderunt in eum discipuli eius; id est, qui tunc ei adhæserant, ex quibus nonnulli postea fuere Apostoli. Cùm enim anteà Messiam esse credidissent, ex eo cœperunt credere Deum esse.

De sensu spirituali huius historiæ vide Bedam, & Cyrillum hīc lib. 2. cap. 26. sed in primis Iansenium cap. 18. prope finem, vbi eleganter eam exponit allegoricè, tropologicè, & anagogicè.

*In Caphar-
naum plus
habituavit
Christus,
quā in ali-
qua alia
propteरea
dicta ciui-
tas Christi.
Qua ciui-
tas, & ubi
sita.*

Post hoc descendit in Capharnaum.] Non vult habitare Dominus in Nazareth, quoniam non est Propheta sine honore nisi in patria sua, Lucæ. 4. sed mansurus in Galilæa elegit Capharnaum, in qua habitet diutiùs, quam in aliqua alia ciuitate: & ideo veniunt cum eo simul mater, & fratres: ideo etiam post vincitum Ioannem legimus Matth. 4. Et reliæ ciuitate Nazareh venit, & habitauit in ciuitate Capharnaum: adeò vt cap. 9. vocet eam Matthæus ciuitatem Christi: transfrelauit, & ve- nit in ciuitatem suam: & ita ibi interpretantur Chrysostomus, & Theophylactus, & Euthymius, & alij. Et patet aperte ex Marci 2. Est autem Capharnaum Metropolis Galilæa in monte Carmelo sita versus meridiem quasi quindecim milliariis distans à Nazareth; id est, se- ptem leucis, & dimidia: ab Oriente autem habet mare Tyberiadis, ad quatuor

quatuor autem quinque millaria: estque hodie mediocre oppidum, ut
describit Aranda in descriptione terræ Sanctæ, tractatu secundo. c.4.
videtur autem hanc urbem elegisse Dominus, quoniam erat celebris
emporiū totius Galilæa, ut & doctrina latius spargeretur, &
corrigerentur mores hominum, qui in ea erant corruptissimi, ut in
huiusmodi emporiis esse solent.

*Cur eam
delegerit
Dominus.*

Et fratres eius.] Hoc loco, & aliis similibus in Euangelio, vbi fratres
Domini nominantur, abusi sunt haeretici, qui dicti sunt Antidicomaria-
nitæ, & postea Eluidius, ad tollendam perpetuam Virginitatem Mariæ:
dicebant enim B. Virginem alios ex Ioseph genuisse filios. Contra illos
scriptis Epiph. lib. 3. hæref. 78. contra Eluidium vero Hieronymus, in
proprio opere. Vide Castro lib. 3. contra hæref. verbo *Maria virgo*. Sed
quoniam hoc haeticum est, queritur, qui sint isti fratres Domini, qui to-
tius nominantur in Euangelio? Multi ex veteribus affirmant, fuisse filios
Ioseph ex alia vxore, quam ante Virginem habuerat: Ita confirmat
Epiph. loco citato ex Iudaorum traditionibus: scribit enim Ioseph du-
xisse vxorem, ex qua genuit quatuor filios, Iacobum fratrem Domini; &
Ioseph, qui etiam dicitur Ioses, & Simonem, & Iudam: & duas præter-
eas filias, quæ dicuntur sorores Domini, Mariam, & Salomon. Immo &
Abdias lib. 6. Apostolicæ historiae in principio dicit, Iacobum fratrem
Domini fuisse filium Ioseph. Idem ait Nicephorus lib. 2. histor. Eccle-
siast. c. 3. & citat ibi B. Hippolitum Episcopum Portuensem, qui idem
dicit prorsus cum Epiphanio; nisi quod filias Ioseph vocat Esther, &
Thamar: & idem dicit de ceteris filiis Ioseph. Idem Nicephorus lib. 1.
c. 21. & lib. 3. c. 10. & Euthymius, Matth. 12. Immo & Chrysostomus,
hom. 89. in Matth. & Theophylactus super Matth. c. 27. & super Ioann.
cap. 19. affirmant Mariam Iacobi fuisse Beatam Virginem: hoc autem,
non propterea dicunt, quod existimat Iacobum filium fuisse Virginis;
sed quoniam putabant illum filium esse Ioseph. Sed hanc eorum sen-
tentiam Euthymius Matth. 27. absurdam esse dicit, & S. Thomas etiam
reprehendit 3. p. quæst. 28. art. 3. ad ultimum: quia beata Virgo nun-
quam in Euangelio solet nominari, nisi *Mater Iesu*.

*Fratres Do-
mini qui.
An filii Ie-
seph.*

Ac Sorores.

*Iacobus fra-
ter Domini,
filius Ioseph.*

Nihilominus certissimum, & indubitatum esse debet, falsam esse
hanc veterum sententiam de filiis Ioseph; immo temerariam esse dicit
Hieronymus contra Eluidium: cum enim eam retulisset, ait, *Quod ple-
rique non tam pia, quam audaci temeritate confingunt*. Dicendum est igitur
cum Hieronymo ibidem; *Fratres Domini*, dici eius consobrinos
filios Mariæ sororis matris Domini: nam consobrinos fratres dici, om-
nis, ut inquit Hieronymus, Scriptura demonstrat. Eandem sententiam
sequitur Beda Marci. 6. & Lucæ 8. S. Thomas 3. p. q. 28. art. 3. ad 5.
Caietanus super Matth. cap. 12. Iansenius, cap. 19. & multi alij: est
enim communis sententia: sed latissime, & doctissime Lippomanus
in Epitome histor. Sanctorum 1. p. in vita Ioseph. Vbi etiam probat, *Ioseph fuisse
ipsum Ioseph fuisse virginem, authoritate Hieronymi, contra Elui-*
dium, & Augustini sermone 14. de nativitate Domini, & Ruperti

*Sententia
veterum
relictorum
temeraria.
Fratres Do-
mini sunt
eius conso-
brini.*

*Ioseph fuisse
virgo.*

super Matth. c. 1. & Hugonis de S. Victore, in annotationibus super Epistolam ad Galat. quæst. 5. Probatur aperte ex Scriptura: nam licet omnes Apostoli videntur fratres Domini, ut Ioan. 20. *Vade ad fratres meos*; fuerunt tamen quidam qui propriè, ac non generali nomine dicti sunt eius fratres. Hi qui fuerint, docent Marcus cap. 6. & Matth. cap. 13. *Nonne hic est faber filius Mariae frater Iacobi, & Ioseph, & Iude & Simonis?* Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Hos autem constat ex Euangelio, non esse filios Ioseph, sed Mariae sororis B. Virginis, vxorisque Alphæi: Vnde Iacobus Minor dicitur, Matth. 10. & Mar. 3. *Iacobus Alphæi.* Legimus etiam Matth. 27. & Mar. 15. de mulieribus secutis Dominum in Passione, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph Mater, & Mater filiorum Zebedæi. Hanc Mariam fuisse Virginis Sororem patet ex Ioan. 19. vbi eandem rem narrans ait: *Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene.* Docent autem esse eandem; quod Iansenius pro aperto reliquit Hieronymo contra Eluidium, & super Matth. cap. 12. & 27. & in libro de viris illustribus, in vita Iacobi fratris Domini; & Beda super Marcum cap. 15. & S. Thomas super Ioan. cap. 19. lect. 4. Probatur etiam, quoniam præter matrem Domini non legimus in Euangelio nisi duas Marias inter eas, quæ Dominum sequebantur. Vnde Math. 27. Erant autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes contra sepulchrum. & cap. 28. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria:* Altera autem non dicitur, nisi de duabus. Quod si essent tres, non satis diceret Euangelista, quænam esset hæc Maria. Quæ sit autem altera hæc Maria, docet Marcus cap. 16. *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata:* Ergo Maria Iacobi erat soror matris Domini, & ita exponit Origenes tract. vultimo in Matth. versus finem; videlicet hanc esse, quæ dicitur altera Maria: nam Salome mater filiorum Zebedæi nunquam vocatur Maria in Euangelio: ergo isti, qui dicuntur fratres Domini, erant filii istius Mariae. Rursum Ioseph non poterat simul habere duas sorores: quoniam id expresse prohibebatur, Leui. 18. ergo isti non erant eius filii. Sed queritur, cur ista Maria Iacobi dicatur à Ioanne *Maria Cleopha?* Hieronymus contra Eluidium, putat dici Cleopha à patre, sive à familia: alij verò à viro, quem habuit præter Alphæum, qui dictus est Cleophas: ita Theophylactus, & Euthymius, & S. Thomas super Ioan. 19. Sed vt hæc & cætera omnia, quæ dicta sunt, apertiora fiant, notandum est, hunc fuisse Scripturæ, & Hebræorum morem, vt quando genitius nominis proprij ponitur post nomen proprium viri, subaudiendum sit filius; vt primo Machab. 1. *Et factum est, postquam percussit Alexander Philippi Macedo:* ita Matth. 10. & Marc. 3. dicitur, *Iacobus Alphæi, & Iacobus Zebedæi:* & Ioan. 13. *Vi traderet eum Iudas Simonis Iscariotes.* Quando verò genitius nominis proprij ponitur post nomen mulieris, subauditur mater: vnde B. Ignatius in epist.

Maria Al-
phæi soror
B. Virginis.

Maria Ia-
cobi soror
matris Do-
mini.

Fratres Do-
mini cuiusf-
nam Maria
filij.

epist. 2. & 3. B. Virginem semper vocat *Mariam Iesu*: hinc etiam dicitur *Maria Iacobi*. Ergo eadem ratione dicitur *Maria Cleopha*; scilicet, mater: erat enim Cleophas Discipulus, ut patet Lucæ ultimo.

Secundò notandum; apud Hebræos frates dici omnes consanguineos; sed eos præsertim; qui maximè propinqui sunt, ut Genes. 14. quod cùm audisset Abram captum, scilicet Loth, fratrem suum; qui tamen Loth erat filius fratri Abrahæ, ut patet Genes. 12. Et Genes. 29. Jacob indicavit Rachel, quod frater esset patris sui; id est, filius sororis eius Rebeccæ. Et ibidem ait illi Laban: Num quia frater meus es, gratis serues mibi? Vide de his Hieronymum contra Ouidium, & S. Thomam 3. p. Ideo igitur filij, & filiæ Alphæi dicuntur frates Domini, & sorores: quia erant eius consobrini. Immò, & apud Latinos patrules dicuntur frates; ut apud Ouidium 13. Metamorph. Ajax inquit de Achille.

Frater erat, fraterna peto.

Intèr hos autem potissimum Iacobus appellatus est frater Domini; quoniam facie erat simillimus Christo. Patet ex Ignatio Martyre in epistola 2. ad Ioannem Euangelistam; ubi ita ait: *Similiter & illum venerabilem Iacobum qui cognominatur Iustus, quem referunt Christo Iesu simillimum facie, & vita, & modo conuersationis, ac si eiusdem veteri frater esset gemellus.*

Et discipuli eius.] Scilicet cæteri præter filios Alphæi.

Et ibi manserunt non multis diebus.] Quoniam instabat Pascha, & necesse erat ire Hierosolymam. Recte autem conuenit ordo temporum: nam sexto die Ianuarij fecit miraculum in Nuptiis; deinde venit Capharnaum, & cùm ibi fuisset paucis diebus, instabat Pascha; id est, festum immolationis agni, quod celebrabatur decima quarta luna mensis Martij. Dicitur autem *Pascha Iudeorum*; iacto enim tempore, quo hæc scribebat Ioannes, celebrabatur à Christians alterum Pascha Passionis, & Resurrectionis Domini; ad cuius distinctionem dicitur *Pascha Iudeorum*.

Et inuenit in templo vendentes.] Satis constat ex ratione temporum bis Dominum eiecisse de templo vendentes, semel hic, cùm cœpit prædicare, & iterum instanti iam Passione; nunc in Pascha, tunc autem paulò ante Pascha. Ita docet Augustinus 2. de consensu Euangelist. cap. 67. & Chrysostomus, & Euthymius, super Math. cap. 21. & idem Chrysostomus, hic homil. 22. & Theophylactus, & Euthymius. Vnde, ut isti Sancti notant, nunc mitius illos reprehendit; quia minus notus erat; & illi minus obstinati, dicens: *Nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Postea autem acerbius; *Vos autem fecistis eam speluncam latronum.* Cæterum oves, & boues, & columbae vendebantur, ut haberent in propositu omnes, & præsertim qui ex aliis ciuitatibus veniebant, animalia, monstra, &c. *N* 2. *quæ aliquæ*

*Frates di-
cuntur om-
nes consan-
guines, apud
Hebreos.*

*Iacobus po-
tissimum
appellatus
frater Do-
mini, &
cur.*

*Pascha qua-
le festum, &
quo die cele-
braretur.
Pascha Ie-
deorum cur
dictum ab
Euangeli-
sta.*

*Bis elecit
Christus è
templo ven-
dentes.*

*Oves, boues,
& columbae
cur vende-
rentur in
templo.*

*Nūmularij
qui.*

*Et ad quid
offerent in
templo.*

*Colybista
quæ.*

*Colybus
pecunia
permutatio.*

*Nummula-
rī cur sic
vocati.*

*Templum
pro quo ca-
piatur, &
quomodo
dispositum.*

*Atrium
profanum
quod.*

*Ex quo tē-
plo eiecerit*

Christus

vendentes.

*Christus
cur eiecerit
vendentes.*

quæ in templo offerrent ad sacrificia. Erant ibidem nummularij, quos Matthæus vocavit Græcè *colybiſtas*; Iaones autem οναυβισδες, & κερ-
ματιδες. Erant autem utrique campores nummorum, qui permuta-
bant aurum argento, & magnam monetam minore, & peregrinam pro-
pria, vnde haberent omnes, vnde offerre possent, quod vellent, tam di-
uites, quam pauperes: & per hanc permutationem aliquid ultra sorte-
m exigeabant. Hoc indicant nomina ipsa: nam Χέγηα significat *aris*
minutias, sive *nummos æreos minutos*: vt cum ait statim; & *nummulariorum*
effudit as: vbi enim nos habemus as, Græcè est *cerma*: χάλκος autem
propriè significat *obolum*, aut similem monetam minimam: inde *colybi-
sta*, *commutator pecunie*; vt docent Euthymius, & Theophylactus, Matth.
21. & hic: sed apertius Theoph. Marc. 11. Vnde ipsa etiam permutation
pecunia dicitur *colybus*, vt author est Pollux in suo onomastico lib. 7.
versus finem. Quod autem aliquid ultra sorte exigeretur, intelligimus
aperte ex Cicerone in 5. Verrina, cuius verba sunt: *Ex omni pecunia, quæ
aratoribus soluere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant; primus
pro expectatione, & colybo; deinde pro nescio quo arario. Hac omnia, Iudices,
non rerum certarum, sed furorum improbisimorum sunt vocabula; nam coly-
bus esse qui potest, cum utantur omnes uno genere numrorum?* Inde etiam di-
cti sunt Latinè nummularij, quod nummulus haberent ad permutan-
dam pecuniam. Notandum est etiam, templum propriissimè dici inte-
riorem domum in qua erant sancta, & sancta sanctorum. Secundò aliquantò latius templum accipitur ita, vt includat etiam atrium Sacer-
dotum, in quod laici ingredi non poterant. Demum latissimè, vt com-
pleteatur præter atrium Sacerdotum duo atria exteriora; id est, atrium
Israël, sive mundorum, & atrium profanum. Ita loquitur Scriptura 3.
Reg. 6. & 2. Paralipo. 3. & 4. & vbi cumque de Templo loquitur; simili-
liter Iosephus 8. antiquitatum c. 2. & locis continuo citandis. Tertiò
est Notandum ex Iosepho lib. 6. de bello Iudaico c. 6. & lib. 15. antiqui-
tatum, c. 14. In spatio extimi atrij, quod profanum vocabatur, quia om-
nibus patet etiam immundis, & gentilibus, ea parte, qua ibatur ad
templum secundum; id est, ad atrium mundoru, fuisse cancellos saxeos
pulcherrimos altitudinis trium cubitorum, in quibus stabant colum-
nae; quæ habebant inscriptiones, aliæ Latinas, aliæ Græcas, prohi-
bentes alienigenas sub intermissione capitis ulterius transire. Post
hos cancellos ascendebant gradus quatuordecim, & post hos gra-
dus usque ad murum secundi templi, sive atrij erat spatium planum
trecentorum cubitorum. In hoc spatio vendebantur aues, & animalia
necessaria ad sacrificium, & ibidem erant mensæ nummulariorum,
vt rectè dicit historia Scholastica lib. 3. Regum. cap. 15. Ex hoc igi-
tur templo Christus eiecit vendentes.

*Omnis eiecit de templo.] Facto flagello ex funiculis, quos forte inue-
nit allatos, vt alligarentur animalia illa, eiecit omnes. Primum, vt
ostenderet, quemadmodum ait Euthymius Matt. 21. quam cura haberet
ornatus templi, & honoris Dei: secundò, vt ostenderet se esse Dominum
templi,*

templi, & Filium Dei; quod ostendit operibus, & verbis: nam ita in il-
lud ingressus est, vt pater familias in domum suam, & ea authoritate
illos eiecit; nec dixit *domum Dei*, sed *domum patris mei*. Præterea cruen-
ta illa sacrificia reiicienda esse: Oportebat etiam, quemadmodum ait
Chrysostomus, homil. 22. & Theophylactus, & Euthymius, vt suæ præ-
dicationis initio manifestum ficeret zelum diuini honoris, quem ha-
bebat; vt omnes intelligeret, se à Deo missum esse, eius gloriam qua-
rere, ac nullo modo illi repugnare, etiam sabbatis curaret, & alia fa-
ceret, quæ Iudeis videbantur esse in iniuriam obseruationis festorum.
Hoc loco, nescio quid in mentem venerit Caietano, & Iansennio, c.
19. vt dicentes, Dominum non eiecerent vendentes, sed tantum oves, &
boues: dicunt enim, non esse in Græco oves quoque & boues; sed eiecit
omnes, ovesque & boues; quæ verba addita putant, vt explicaretur, quos
omnes intelligeret. Sed dicimus, sine dubio omnes vendentes eiectos
esse. Id quoque constat tum ex simili facto Matth. 21. tum ex ipsis ver-
bis Ioannis: quid enim apertius, etiam si legatur, ovesque, & boues?
Præterea Chrysostomus, homil. 22. & Cyrillus, & Theophylactus, &
Euthymius aperte dicunt, vendentes ipsos eiectos esse: immò & Eras-
mus in paraphrasi, quem Caietanus, & Iansenius sape solent sequi.

*Vendentes
verè eieci.*

Recordati sunt.] Videlicet cùm factum illud viderunt, nec mirum,
audiebant enim passim Psalmos in templo, & in Synagogis.

Zelus domus tuae comedit me.] Sumptum est ex Psal. 68. qui de Chri-
sto ad literam loquitur. Zelus, vt híc ait S. Thomas, est quidam amor
intensus, quo nihil ferre possumus, quod amori nostro repugnet: vnde
mariti dicuntur *Zelotypi*: zelum igitur Dei habet, qui nihil ferre po-
test, quod sit contra honorem Dei, vt 3. Reg. 19. *Zelo Zelatus sum pro
Domino exercitum: altaria tua suffoderunt, prophetas tuos occiderunt, &c.*
Hic *zelus* dicitur etiam ab Interpretate *emulatio*, vt Cant. 8. *Fortis ut mors
dilectio, dura ut infernus emulatio: & ad Rom. 10.* *Æmulationem quidem
habent, sed non secundum scientiam.* Diximus de hoc Naum 1. in illis ver-
bis, *Deus emulator, & uicifens Dominus.* Pulchrit autem dixit, *comedit
me: nam intensus amor curas gignit, quæ homines exedunt, & cor-
pus attenuant; & tabefaciunt carnem,* Psal. 118. *Tabescere me fecit zelus
meus, quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

Zelus quid.

*Mariti un-
de dicti Ze-
lotypi.*

*Amor inten-
sus quas
curas gi-
gnat.*

Quod signum ostendis nobis?] Idest, Ede aliquod miraculum, vt cre-
damus te à Deo missum esse cum potestate hæc faciendi, sicut Moyses
fecit, Exodi 4. vt crederetur missus à Deo. Mos enim erat Iudeorum
signa petere, 1. Corinthi. 1. *Quoniam Iudei signa petunt & Graci sapien-
tiam querunt.* Chrysostomus homil. 22. *Nunquid signa opus erant, vt ea
qua male fiebant, cessare faceret? Nonne zelum tam accipere pro domo Dei
maximum signum virtutis erat?*

Solute templum hoc.] Promittit illis idem signum, quod Matth. 12.
vbi ait: *generatio mala, & adultera signum quarit, & signum non dabitur
ei, nisi signum Ione propheta: sicut enim Jonas, &c.* Hoc autem dicit pro-
phetice loquens, vt ait Euthymius; quasi dicat: *Soluetis templum*

hoc, & tribus diebus excitabo illud; id est, intra tres dies, vel die tertia; tu hinc intelligetis me habuisse diuinam potestatem: mos enim est Scripturae, signa promittere multò post implenda, ut Isa. 7. Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce virgo concipiet, &c. Diximus de hoc

Non est mendacium vnius verbi aequinoctialis, & quoniam. Naum 3. in illis verbis; sed & ipsa in transmigratione ducta est. Ex his patet, non esse mendacium, cum verbis utimur aequinoctialis, etiam si parientur, quem nos intendimus, & nos non dicamus animo decipiendo; quemadmodum videmus in verbis istis. Simile est etiam illud Ioh.

11. Lazarus amicus noster dormit: quod Dominus sciebat Apostolos esse intellecturos de somno. Ex his verbis acceperunt occasionem falsi testes Matth. 27. Hic dixit; possum destruere templum Dei, & post triduum readificare illud: quos meritò falsos testes vocat; quoniam Dominus non locutus fuerat de templo illo, in quo erant; sed de corpore suo, quod multò potiori in re templum dicitur; quoniam in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, ad Coloss. 2. id est, vere, absque umbra & absque figura.

Locus explicatus difficultatis.

Quadragesima annis edificatum est templum hoc.] De hoc loco pauca dicunt veteres expositores, immò Chrysostomus, & Augustinus, & Cyrillus nihil; Origenes tomo 12. putat esse inexplicabilem. Recentiores verò dicunt, Templum edificatum esse quadragesima & sex annis; sed quoniam hic numerus intelligatur, pauci ostendunt: Ad huius ergo rei intelligentiam notandum est, Templum ter fuisse edificatum; primò, à Salomone; secundò à Iudæis reuersis à captiuitate Babylonica, duce Zorobabele, & principe Sacerdotū Iesu filio Iosedech, prophetantibus Aggæo, & Zacharia: tertio, ab Herode, decimo octauo regni sui anno; ab Herode, inquam, magno, qui occidit Innocentes, quod latè narrat Iosephus 15. antiquitatum c. vltimo. Secundò notandum est, extra controversiam esse, hæc verba non intellegi de prima edificatione; quoniam illa septem annis absoluta est; ut aperte docet Scriptura, 3. Reg. 6. Quare non videtur dubium mendosus esse codices Chrysostomi, Theophylacti, & Euthymij; qui dicunt absolutam viginti:nam & LXX. similiter verterunt septem annis.

*Prima adi-
ficatio septem
annis abso-
luta.*

Et ita legit Origenes loco citato: nisi forte isti Patres computauerunt tempus, quo materia Templi parata est à Davide. Sed nescio unde probari possit, materiam tredecim annis fuisse comporratam. Quare nemo, quod sciam, de hac prima edificatione intellectus hæc verba. Nam Origenes, cui hanc sententiam tribuit S. Thomas, satis indicat, se non ita sentire: tantum enim dicit, si quis urgetur, dictum fore, quadragesita sex annos numerari à tempore, quo Davidcepit agere de templo edificando, si possit ita ostendere hunc annorum numeram.

*Tertia no-
uem annis.*

De tertia edificatione non possunt intelligi, quoniam absoluta est nouem annis & dimidio; ut ibidem ait Iosephus in fine: qua-

re

re communis omnium sententia est , tam veterum , quām recentiorum , intelligenda esse de secunda ædificatione : quæ cūm cœpta fuerit initio regni Cyri Regis Persarum , & à finitimi nationibus , præsertimque à Samaritanis diu impedita , tandem post Secunda
eà anno quadragesimo sexto absoluta est , quatuor annis aut sex . Ex quot.
quibus patet , omnino falsam esse Montani expositionem , qui ita
ait : prior ædificatio post transmigrationem Babylonicam producta est per
annos nouemdecim ; posterior vero illa illustris amplificatio , & exornatio per Herodes reges curata , viginti septem annos consumpsit . Sed hoc
vnde acceperit , nescio ; cūm post Herodem Magnum alter He-
rodes in Hierusalem non regnauerit : & ille nouem annis , & di-
midio absoluerit , vt diximus ex Iosepho . Tota difficultas est mo-
dò , in computatione horum annorum . Est autem hæc vera com-
putatio : Cyrus Persarum rex euersa monarchia Babyloniorum ,
regnauit Babylone ; & primo eius anno Iudæi recepta liber-
tate reuersi sunt in Iudæam , 1. Esdræ . Secundo anno eiusdem ia-
cta sunt prima Templi fundamenta , vt aperte docemur primo
Esdræ tertio ; vbi cūm loquuntur fuisse Esdras de altari , quod fe-
cerant anno primo aduentus sui in Iudæam mense septimo , dicit
ab eo tempore materiam Templo ædificando cœptam esse compor-
tari ; & anno secundo mense secundo cœperunt ædificare . Ex quo
falsum esse patet , quod aiunt Lyra hīc , & Iansenius c. 19. & alij
multi , fundamenta iacta esse primo anno Cyri . Quod igitur ibi
ait Esdras , Sacerdotes , & populum cum magna lætitia Deo gra-
tias egisse , & fleuisse seniores , qui prius Templum viderant ; intel-
ligendum est de Templi fundamentis : ea enim sola iacta sunt Cy-
ro viuente , vt ait Hieronymus Isai . 44. in fine , & in proœmio
Comment . Aggœi , & Zachariæ primo , in principio . Sed & ipse
Esdras aperte hoc docet : non enim dicit , factō templo , sed fundato . Ex fundamentis autem intelligebant Templum secundum mi-
nus faturum priore . Cūm autem cœptum esset ædificari Templum ,
hostes Iudæorum impedierunt eius ædificationem toto tempore Re-
gni Cyri , 1. Esdr . 4. Sed hoc factum est Cyro nesciente , vt potè
distracto in alia negocia : qui demum Massageticō bello periit , vt
ait Iosephus . 11. antiquit . c. 2. à Regina Massagitarum dolo in-
terfectus , vt refert Iustinus lib . 1. ad finem : idem ait Herodotus
lib . 1. in fine ; licet Herodotus dicat , bello Massageticō , sicut &
Iosephus : Iustinus autem , bello Scythico . Similiter impeditum
est opus toto tempore Regis sequentis , quem Esdras vocat Assue-
rum ; Iosephus verò Cambisem , qui filius Cyri fuit . Ac denique
mansit ita usque ad secundum annum Darij filij Histaspis , quo tem-
pore prophetantibus Aggœo , & Zacharia surrexerunt Zorobabel , &
Iesus Sacerdos ; & ædificauerunt Templum in Hierusalem . 1. Es-
dræ . 5. Cyrus tringita annis imperauit , vt ait Eusebius in chronicis ,

Secunda æ-
dificatio
quo tempore
cœpta .

Cyrus quo
in bello pe-
rierit .

& Iu

& Iustinus lib. 1. & Hieronymus Zachar. 1. in principio : quādū
Herodotus lib 1. in fine, viginti nouem annis imperasse dicat. Cambi-
ses eius filius omisso tempore , quo regnauit cum patre, regnauit
iuxta Ioseph. 11. antiquit. c. 3. sex annos : sed verius est, quod aiunt Eu-
sebius , & Hieronymus locis citatis , & Beda lib. 1. in Esdram c. 5. &
lib. 2. c. 7. videlicet regnasse octo annos. Quare falsum est , quod ait
Lyranus , regnasse decem. Huic succellere duo fratres Magi , qui
iuxta Iosephum ibidem, regnum tenuerunt anno integro, iuxta Euse-
biūm verò tribus mensibus : iis successit Darius filius Histaspis, cuius
secundo anno Templum cœpit ædificari; sexto verò absolutum est, vt
omnes tradunt. Sumimus igitur ex Cyro vigintinouem annos; quā-
doquidem non primo eius anno , sed secundo iacta sunt fundamenta
Templi: ex Cambise sumimus octo : nam tres menses Magorum , aut
in octo annis Cambisis includuntur, (vt dicit expressè Herodotus,
lib. 3. circa medium :) tradit enim regnasse Cambisem septem annos,
& menses quinque ; octauumque eius annum compleri addit tribus
mensibus Magorum ; aut non computantur : quia cùm anni tantum
numerantur, menses excludi solent : his addentes sex annos Darij, tan-
tum inuenimus tres & quadraginta annos. Quare dicendum est cum
Iosepho. 11. antiquitatum c. 4. opus non fuisse absolutum quatuor an-
nis, sed septem; idest, nono anno regni Darij vigesimotertio die men-
sis vndecimi. Atque ita conficiuntur anni sex & quadraginta; vt optimè
explicuit Doctor Vergara in quæstionibus templi q. 2. Itaque aliud
est dicere , Templum completum esse anno sexto Darij, quod verum
est, & Scriptura docet. 1. Esdræ. 6. aliud verò, quadraginta sex annos
completi sexto anno Darij , quod ferè omnes putant, & falsum est, vt
ostendimus: nam licet præcipuum ædificium domus absolutum fuerit
anno sexto ; tamen porticus , & ædificia exteriora Templi non sunt
perfecta usque ad annum nonum , vt docet Eusebius lib. 8. demon-
strationis euang. dæmon. 2. Ex his intelligitur, falsum esse, quod scri-
bit Eusebius loco citato, totum Templum cum exteriori ædificio ab-
solutum esse quadraginta sex annis : sed quadraginta sex, de quibus
loquitur Euangelista , completos esse sexto anno Darij ; quandoqui-
dem nos omnino eius computationem in chronicis fecuti sumus.

Secundò intelligitur , falsum esse , quod scribit Metasthenes in li-
bello annualium Persicorum in fine , Cyrum imperasse vigintiquatuor
annos; eius verò filium Assuerum, siue Artaxerxem viginti, quem nos
cum Iosepho vocamus Cambisem. Huius autem Assueri filii de re-
gno certantibus per septem menses, tandem viciisse Darium Longima-
num : nam cùm huius Darij sexto anno completum fuerit Templum,
quantum attinet ad interius ædificium , iam numerabuntur quinqua-
ginta anni , antequam omnino Templum absolutatur. Quare cùm
hunc Metasthenem sequantur Ioannes Anius, & Ioannes Lucidus lib.
4. de emendatione temporum c. 2. & Driedo lib. 3. de dogmatibus c.
5. prope finem secundæ partis , & alij; necesse est in multis falsam
esse

*Templum
secundum
edificatum
sex & qua-
draginta
annis.*

*Et quo an-
no comple-
tum.*

esse eorum Chronographiam: eum etiam sequitur Iansenius c. 19.

Sed queritur, quomodo Templum dicatur ædificatum quadraginta sex annis, cum septem tantum consumpti fuerint in ædificio: Respondetur; Iudeos, ut dictum Christi absurdius esse ostenderet, rem exaggerasse, quantum potuerunt: ideoque incluserunt tempus, quo cœpit ædificari sub Cyro, & totū tempus, quo interruptum est opus: id autē fieri potuit, quoniam, ut ait Iosephus 11. antiquitatum c. 4. fundamentis ita cœtis tempore Cyri superædificauerunt tempore Darij: & præterea toto hoc tempore, quo impediti sunt ædificare, semper, quantum poterant, agebant de ædificando Téplo. Vnde 1. Esdræ 5. Ducebant Darij filij Histaspis ita ad eum scribūt; Tunc itaque Sasabar ille venit (scilicet à Cyro missus) & posuit fundamenta Templi Dei in Hierusalem, & ex eo tempore usque nunc ædificatur, & neadum completum est. Est ergo, ac si dicerent, cum magni laboris, ac multi temporis sit Templi ædificatio, & propterea multa accidere possint, quæ eam interrumpant, sicut patribus nostris accidit, qui ante quadragesimum sextam annum perficere non potuerunt; quomodo audes dicere, te illud tribus diebus posse ædificare?

Postremò queritur; cur dicant Templum hoc, cum Templum quod tunc habebant, nouem annis & dimidio extructum fuerit ab Herode? Respondetur; vulgari consuetudine dictum esse Templum hoc; quonia in eodem situ, & eadem figura fundatum erat, qua illud prius: quemadmodum domus diruta, & reædificata dicitur eadem domus: & in Hierusalem, quæ nunc est, dicimus: Dominus predicauit, & passus est; licet illa penitus fuerit eversa. Et ita loquitur Scriptura 1. Esdræ 5. Et ædificamus Templum; quod erat extructum ante hos annos multos.

Et crediderunt scripturae. Id est, intellexerunt Scripturas, in quibus predicta erat Christi Resurrectio, & per id quod viderant, crediderunt eas esse cœpletas: huiusmodi Scripturæ sunt Psal. 3. & 15. & 20. & alij Psal. & Osee 6. & Ionæ 3. Vnde 1. Cor. 15. *Et quia resurrexit secundū Scripturas.*

In Pascha in die festo. Iansenius c. 19. exponit; id est, in die festo Paschæ: vult enim idem esse Pascha, & diem festum, significare totam illam solemnitatem Azymorum, quæ per septem dies celebrabatur. Id est sensit Lyra: sed mihi magis placet cum Caietano, diem festum esse diem primum azymorum, aut etiā ultimum: uterque enim erat sanctissimus, & celeberrimus, ut apud nos dies festi, & dies octauæ, ut videmus, Leui. 17.

Indorum
calliditas
ut Christū
absurdum
ostenderent.

Non credebat semetipsum eis. Chrysostomus hom. 23. & Augustinus tract. 11. & Cyrillus ita ferè intelligunt; nō confidebat eis quasi perfectis Discipulis, nec eis altiora mysteria comunicabat, vidēs eos imperfectè credere. Sed est hoc addendum isti sensui: licet multi crederent, & ad eum accederent; tamē ipse, qui ut Deus eorum corda cognoscebat, videbat multos eorum esse inconstantes, & facile moneri posse à Pharisæis, ut eum ante tempus traderent: & ideo non confidebat eis, nec volebat omnes comites suos esse, & suorū annorū consciens. Quod autē iam inciperent odia Pharisæorum in Christum exardescere, & his verbis significatum est, & ex eo etiam intelligitur, quod Nicodemus noctu ad eum venit, non ausus palam venire propter Pharisæos.

Azymorum
solemnitas
celebrata
per septem
dies.



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIUM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T III.

1.  Rat autem homo ex Phariseis, Nicodemus nomine, princeps Iudeorum. 2. Hic venit ad Iesum nocte, & dixit ei: Rabbi, scimus quia à Deo venisti magister: nemo enim potest hæc signa facere, que tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. 3. Respondit Iesus, & dixit ei: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei. 4. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? nunquid potest in venirem marcis suæ iteratè introire, & renasci? 5. Respondit Iesus: Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. 6. Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. 7. Non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuò. 8. Spiritus ubi vult, spirat: & vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu. 9. Respondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? 10. Respondit Iesus, & dixit ei: Tu es magister in Israël, & hæc ignoras? 11. Amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur, & testimonium nostrum non accipitis. 12. Si terrena dixi vobis, & non creditis: quo modo, si dixerim vobis cælestia, credetis? 13. Et nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit de cælo, Filius hominis, qui est in cælo. 14. Et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet Filium hominis: 15. Ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam eternam. 16. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam eternam. 17. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. 18. Qui credit in eum, non iudicatur; qui autem non credit, iam iudicatus est:

quia

quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. 19. Hoc est autem iudicium: quia lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erant enim eorum mala opera. 20. Omnis enim qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius. 21. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. 22. Post huc venit Iesus, & discipuli eius in terram Iudeam: & illic demorabatur cum eis, & baptizabat. 23. Erat autem & Ioannes baptizans in Aennon, iuxta Salim: quia aquæ multæ erant illuc, & veniebant, & baptizabantur. 24. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. 25. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudeis de Purificatione. 26. Et venerunt ad Ioannem, & dixerunt ei: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. 27. Respondit Ioannes, & dixit: Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de celo. 28. Ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: Non sum ego Christus: sed quia missus sum ante illum. 29. Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. 30. Illum oportet crescere, me autem minui. 31. Qui de sursum venit, super omnes est. Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur. Qui de celo venit, super omnes est. 32. Et quod vidit, & audit, hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit. 33. Qui accipit eius testimonium, signavit quia Deus verax est. 34. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non enim ad mensuram dat Deus spiritum. 35. Pater diligit Filium: & omnia dedit in manu eius. 36. Qui credit in Filium, habet vitam eternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.

IN CAPVT III. S A N C T I
IESV CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,
COMMENTARIA.

Erat autem homo ex Pharisæis, &c. Scimus, quia à Deo venisti magister.] Id est, scimus te à Deo missum, ut homines doceas viam veritatis: & idè ad tuæ doctrinæ confirmationem miracula operatur, & tibi semper assistit. Erat enim hic unus ex eis, qui

in Hierusalem crediderant in eum propter signa, ut dixit c. 2. licet eorum fides esset adhuc rudis, & imperfecta.

*Nicodemus
ad quid ve-
nerit ad
Christum.
Prima ian-
nua ad re-
gium Dei,
est spiritua-
lis regenera-
tio.*

Nisi quis renatus fuerit denuo.] Ex verbis Nicodemi patet, cu ad Christum venire, vt discat, quomodo peruenire queat ad regnum Dei. Ideo Dominus ostendit primam eius ianuam esse spiritualem regenerationem; id est, oportere, ut per baptismum homo Dei filius efficiatur. Quod dicit, quoniam per mortem suam instabat iam finis sacramentorum legalium. Ceterum, ubi nos habemus, denuo, in Graco est, avobet: quod ut notauit Chrysostomus, hom. 23. alij interpretantur, iterum, ut ipse Chrysostomus; alij vero, desuper, siue de calo, ut Cyrillus & Theophylactus, & Origenes super epistolam ad Roma. c. 6. Immò & noster Interpres aliquando ita interpretatur, ut Ioan. 19. Non haberes potestatem in me ullam, nisi tibi datum esset desuper: & in hoc cap. 3. Qui desursum est super omnes est. Verum hoc in loco certum est, significare, iterum, ut patet ex verbis Nicodemi, Numquid potest in ventrem matris sua iterato introire?

Quod natum est ex carne, caro est.] Docet, cur dixerit, necesse esse denuo nasci, quoniam quod ex homine natum est, homo est tantummodo, neque aliquid altius habere potest per illam natuitatem naturaliter, qui ex Spiritu sancto gignitur per spiritualem regenerationem baptismi, quae multò naturali præstantior est, ex carne efficitur Spiritus; id est, fit altioris ordinis, quoniam sit diuinae naturae particeps, & filius Dei; atque ita ius habet ad regnum Dei, cu sit Spiritus, & Deo similis, quia Deus spiritus est. Itaque carne, & spiritu accipit pro re carnali, & pro re spirituali.

*Generatio
spiritualis
multò pre-
stantior na-
turali.
Expositio
duplex.
Prima.*

Secunda.

*Spiritus
sanctus quo-
modo ve-
niat.*

*Spiritus ubi vult spirat.] Huius difficillimi loci duæ sunt celebriores expositiones: Prima est, ut Spiritus pro vento accipiatur, sumaturque à vento similitudo, ut sensibili exemplo erigatur Nicodemus ad intelligenda ea, quæ dicuntur. Hanc sequuntur Chrysostomus hom. 24. & Cyrillus & Theophylactus, & Euthymius, & ferè omnes Graeci. Sed eam Augustinus tract. 12. minime probat; quoniam homines sciunt unde veniat vetus, & quod vadat: utique quod Auster veniat à Meridie, & vadat in Septentrionem, quare ipse non de voto hæc dici putat, sed de Spiritu sancto. Eius sententiam sequitur Beda; & magis eam videntur probare S. Thomas & Lyra, & Caietanus. Est autē huiusmodi, ut à Beda expunitur: *Spiritus sanctus pro voluntate sua illustrat corda hominum, quos elegit, & vocē eius audis, cu te praesente loquitur is, qui Spiritu sancto repletus est; sed nescis unde veniat, aut quo vadat: quia etiā si te praesente quempiam Spiritus sanctus ad horam impleuerit, non potes videre, quomodo intrauerit, aut quomodo abierit; quia invisibilis est. Sic est omnis, qui natus est ex Spiritu. Nā & ipse agente Spi-ritu sancto incipit esse, quod non erat, ita ut infideles nesciat, unde veniat, & quo vadat: venit enim per gratiam regenerationis in adoptionē filiorū Dei; & vadit in perceptionem regni caelestis. Quamquam hæc expositio satis probabilis sit, videtur tamen illa prior Graecorū probabilior esse, & communior, quā sequitur etiā Iansenius c. 20. Titelmanus, Monta. & alij: immò & ipse Augustinus (si modò is author est) in questione Noui Testamenti, q. 59. Est ergo sensus: Ventus impetu suo fertur, nec potest ab ullo homine impediri, quin spiret, ubi voluerit, siue in terra, siue in mari, siue**

sue in altis locis, sue in imis; & tu quidem audis eius strepitum, sed nescis determinare, ubi genitus fuerit, aut ubi desiturus sit. Ita enim pro Chrysostomo responderet S.Thomas, & Lyra Augustino: *sic est omnis, qui natus est ex Spiritu: audis enim eius verba, & vides eum plane mutantur, sed unde venerit vis illa spiritus, qua eum mutantur, aut quo deinde transierit, non vides.* Vel, ut optimè exponit Lyra: *sic accedit omni, qui natus est ex spiritu: nam in hac nativitate est aliquid sensibile, et aqua, & verba; & tamen Spiritus sanctus, qui est principium huius generationis, & beatitudo eterna, qua est finis, non videntur.* Itaque perinde est, ac si diceret: tu miraris tecum, & perturbaris, quod hanc nativitatem spiritus non intelligis. Ne mirearis; sic enim viam venti, quem auditu, & tactu percipis, minimè nosti: quomodo Spiritus sancti operationem vis perscrutari? Atque ut ventus est, etiam si tu eius viam nescias; ita est spiritualis regeneration, etiam si tu ignores, quomodo esse possit. Dixi hanc expositionem videri probabiliorem; quoniam cum dicit, *sic est omnis*, &c. satis indicat se similitudine visum esse. Si autem spiritus non significat hic *ventum*, vix cernitur illa similitudo; quoniam is, in quem spirat spiritus, & qui natus est ex spiritu, idem sunt: hoc etiam patet in expositione illorum verborum, *Si terrena dixi vobis.*

Tu es magister in Israël.] Id est, non debueras haec ignorare, cum sis eximus inter magistros Israëlis (ponitur enim *Magister* cum articulo in Græco) quandoquidem multa in lege, & in Prophetis legere potueristi, quæ ad hanc regenerationem, & renovationem spiritus pertinent: ut Psal. 50. *Cor mundum crea;* &c. Et Ezech. 11. *Dabo eis cor nouum.* Et de aqua baptismi, Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam;* & Zach. 13. *Erit fons patens Domini David.* Denique Apostolus ait 1. Corinth. 10. *Et omnes in Moysè baptizati sunt in nube, & in mari.*

Sensibile
quid in ge-
neratione
spirituali.
Sæcetus Spi-
ritus non
videtur.

Multa in
lege & in
Prophetis,
qua ad re-
generatio-
nem spiritus
pertinent.

Quod scimus, loquimur.] Id est; horum, quæ loquor, quantumuis tibi difficilia videantur, testis oculatus sum, nec audita loquor, ut Prophetæ, sed visa. Scio Spiritum sanctum, & quomodo filius Adam regeneratur spiritualiter in filium Dei. Vtitur autem plurali numero, tacite subindicans, non se solum esse, qui haec testetur; sed Patrem simul testari, a quo missus est, ut bene notat Rupertus, quod cap. 8. palam profitetur. *In lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sem qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.*

Si terrena dixi vobis, &c.] Pluraliter loquitur; quoniam nec tunc Nicodemus integrè credebat, nec multi ex illis, qui eum audierant docentem in die festo. Est autem sensus; Si cum rerum sensibilium, & terrenarum similitudinibus utrū, ut generationis naturalis, & venti flantis, & aliis, quas in die festo proposui; minimè tamen creditis: quid fieri, si cœlestia ipsa suis verbis, absque illa terrenarum similitudine dixerit? Reprehendit his verbis eorum tarditatem, in intelligendo, & in credendo.

*Scriptura
quomodo
loquatur de
capite &
de membris.*

*Et possum
ornatus
causa.*

*Anima
Christi ele-
vata ad Dei
visionem.*

Et nemo ascendit in cœlum.] Augustinus tract. 12. exponit his verbis, non negari iustis ascensum in cœlum; quoniam Christo ascendente ipsi simul ascendunt, qui eius membra sunt. Scriptura enim modò seorsum loquitur de capite, & de membris, modò coniunctionem, ac si de uno homine loqueretur. Ita etiam exponit Glossa, Beda, Rupertus, S. Thomas, & alij. Sed obstat huic sententiae, quod ascendit non est praesentis temporis, sed præteriti, ut aperre patet ex Græco, vbi est *ανεβεβυχετ*. Possemus respondere, pro hac expositione; præteritum ponit pro futuro, more Prophetico: at cum id sit, sit ad ostendendam summam rei certitudinem, ut docet Tertullianus, lib. 3. contra Marcionem fetè in principio; quod tamen huic loco non bene contienit. Quare sine dubio præstantior est Græcorum expositio, Chrysostomi, hom. 26. Cyrilli, Theophylacti, Euthymij, quod sequuntur Caietanus, & Iansenius, cap. 20. & Montanus, & alij; minimè loqui Dominum de Ascensione sua in cœlum post Resurrectionem; nec de ascensione iustorum: sed ostendere his verbis, quam meritò sibi credi debeat, qui non ut Prophetæ loquitur audita, sed quæ vidit, & videt in cœlo. Ut sit omnino idem, quod Iohannes dixit c. 1. cum Christum omnibus Prophetis anteponebat; *Deum nemo vidit umquam, unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit*: Itaque aptius iam vult respondere, & pleniùs instruere Nicodemum. Sed, ut hæc intelligantur, nota coniunctionem, Et, hoc in loco non copulare præcedentia cum sequentibus; sed more Hæbreorum ponit ornatus causa in principio sententiae; ut videmus fieri in initis multorum librorum Scripturarum. Præterea Ascensus in cœlum hic non significat motum localis; sed id, quod ex motu illo sequitur; videlicet contemplationem rerum cœlestium, & visionem Dei, more etiam Hæbreorum, qui passim ponunt antecedentia cum sequentibus, & vice versa: ut cum paulo post dicit; *Hoc est autem iudicium: vbi iudicium ponitur pro eo, quod antecedit iudicium; id est, pro peccato, sive causa damnationis.* Atque hoc modo *ascendere in cœlum* magis conuenit Christo secundum humanitatem, ut recte ait Caietanus, quam secundum Diuinitatem, ut exposuit Iansenius, cap. 20. quia Christi anima recte dicitur elevata ad Dei visionem, Diuinitas autem non recte dicitur. Est ergo sensus horum omnium: Cum creditis Prophetis, qui Deum non viderunt, et si difficultas creditu doceant; multò magis mihi credere debetis, qui vidi omnia Dei arcana, & in terras descendit, ut vos docerem: atque ita descendit, ut locum non mutauerim, sed in cœlo adhuc sum: & modò etiam cum loquor vobiscum, videam, quicquid in Deo est, quasi Vnigenitus in sinu patris existens: Ac ut sciatis, quantum vestra referat, credere in me, mementote serpentis ænei, à Moyse exaltati in ligno, Numer. 21. ut enim serpentem illum æneum, qui venenum non habebat, sed similis erat serpentibus habentibus venenum, quicunque non aspicerent, perirent, qui vero aspiciebant, sanabantur à morsibus serpentium: ita quicunque in me exaltatum in Cruce per fidem

fidem viuam non aspicerint, peribunt; qui vero aspicerint, habebunt vitam eternam. Mirabimini fortasse, quod dixerim me de celo descendisse, ut homines docerem. Mirabile id quidem est, sed tantus est Dei amor erga homines, ut non dubitauerit dare illis filium suum Unigenitum, ut credentes in eum per fidem viuam, vitam eternam consequantur. Dixi, ut consequantur vitam eternam, quia Deus, cum Filium suum dat, minimè querit, ut ex eius aduentu homines damnentur; sed ut saluentur: quare illi demum damnabuntur, qui hoc Dei donum recipere noluerint per incredulitatem: Itaque qui credit, effugiet damnationem; qui autem credere noluerit, satis manifesta, & debita est ei damnatio, nec eget ut ad sententiam pronunciandam, eius merita examinentur; quoniam ipsum Dei filium contemnit, & reiicit a Deo missum. Ratio autem, propter quam iste iam *Damnationis* damnatus est, & res quae conuincit ipsum omni damnatione dignum esse, haec est, quod cum lux esset in mundo, & vltro se obtulerit hominibus, ut eos illuminet, ipse in tenebris infidelitatis manere maluit; non quod lucem esse non videret, sed ne peccata sua, & vita turpidinem relinquere cogeretur: quemadmodum & inter fideles fieri videmus; qui enim adulteri sunt, aut similia peccata perpetrant, lucem refugiunt, & noctem, ac tenebras amant, ne videantur eorum opera, & reprehendantur, ac vituperentur ab omnibus: qui autem recete, & vt statum suum decet, vivunt, in media luce, atque in conspectu omnium operantur; ut videant omnes opera sua facta esse in Deo; id est, per Deum, quod est Dei instinctus, & inspiratio: vel in Deo; id est, cum Deo, Deo assistente, & simul operante.

Est autem notandum, veritatem dici id, quod iuxta status sui rationem unusquisque facere debet: & ratio est, quoniam veritas est impletio promissorum, ut diximus cap. 1. in illis verbis, *Gratia & Veritas*, &c. Cum autem quis statum aliquem assumit, ut Sacerdotis, aut Religiosi, iam ipsa assumptione polliceri videtur, se facturum omnia, quae statum illum deceant: quare si facit, dicitur stare, aut ambulare in veritate; id est, implere, quod promisit, ut Ioh. 8. *Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit: & Ephes. 8. Veritatem autem facientes, per omnia crescamus in ipsum.*

Post hanc venit Iesus, & discipulie eius in Iudeam terram.] Cum colloctio cum Nicodemo habita fuerit in Hierusalem, Glossa, & Iansen. cap. 21. putant Dominum inde recessisse in Galileam, & post aliquod tempus rediisse in Iudeam. Sed quoniam id ex Euangelio colligi non potest, probabilius videtur, quod ait Lyra, profectum Hierusalem, venisse in alia loca Iudeæ: & ideo dicit in Iudeam terram; ita etiam intelligit Caietanus, & probat optimè, quoniam Hierusalem non *Ierusalem cuius Tri- bus.* erat propriè Tribus Iudeæ, sed Tribus Benjamin, ut patet Iosue 18.

Et baptizabat.] Non per se, sed per Discipulos suos, ut patet Ioh. 4. in principio. Ipse enim docebat, & alia maiora faciebat; baptizabant autem baptismō Christi, ut docet Cyrillus, & alij. Christus *Christus ad quid bap- zaret.* baptizat,

Dei amor erga homi- nes quan- tus.

Deus ad quid Fi- lium suum dederit.

Damnationis

Peccatores cur lucem refugiant.

Veritas di- citur id quod unus- quisque fa- cere debet.

Est impletio promissorum.

Ac s. Ioannem etiam.

baptizat, ut homines purget, & verum esse ostendat, quod Ioannes dixit de eius baptismo: *Ipsè vos baptizabit, &c.* Sed & Ioannes simul baptizat, ut homines mittat ad Christum, & ad eius baptismum disponat.

*Salmus que
verbis.*

*Aenon du-
plex.*

*Discipulo-
rum Ioannis
zelus.*

*S. Ioannis
modestia.*

In Aenon iuxta Salim.] Aenon, ut ait Brocardus, in descriptione locorum terræ Sanctæ, quatuor milliariis distat à Sichem, procedendo versus Orientem; id est, versus Iordanem: quare oppidum est Samariæ in sorte Tribus Ephraim. De Sichem autem dicimus cap. 4. Ex quo patet, *Salmus*, sive *Salem*, utroque enim modo dicitur, ut ait Hieronymus in Epistola, *Misericordia volumen*, ad Euagrium, esse non quæ postea dicta est Hierusalem, sed urbem proprie Sichem, de qua Gen. 33. *Transiitque in Salem terram Sichim*, quæ est in terra Canaan. Erat autem altera Aenon, prope Damascum, ut patet Ezech. 47. Et ideo additum est, *iuxta Salim*. Videtur verò Ioannem eo concessisse, ut celebriorem locum Iordanis Christo relinquere: & fortè ut Samaritani, audita fama baptismi, inciperent etiam disponi ad Baptismum Christi.

De purificatione.] Id est, de baptismo; quoniam Iudei quidā videntes signa Christi, & multitudinem ad eum venientem, cœperunt præferre baptismum Christi baptismo Ioannis: quod Discipulis Ioannis magistri sui gloriam quærentibus, vehementer doluit; eoque dolore, & zelo ad Ioannem veniunt, ut non patiatur sibi Christum præferri. Hoc autem narravit Euangelista, ut occasionem haberet memorandi illustre Ioannis testimonium de Christo.

Non potest homo accipere quicquam.] Id est; non potest homo usurpare honorem, quem Deus sibi non dedit: citò enim honore spoliabitur, & manifesta fiet omnibus eius temeritas; ita ego non possum illius ministerium, & autoritatem mihi arrogare, qui multò minor sum: sæpe ex me audistis, me non esse Messiam, sed Messiae Præcursorum: quare, et si ad Christum referri possent hæc, quasi diceret, non usurpat alienum officium, sed quod sibi à Deo dactum est: ut exponunt Chrysostomus hom. 28. & Theophylactus, & Euthymius. Tamen melius cum sequentibus conuenit ad Ioannem referri, ut aiunt Augustinus tract. 13. & Cyrillus.

*Sponsus Ec-
clesie cur
dicatur
Christus.*

Qui habet Sponsam, Sponsus est.] Id est, solus ille Sponsus est, cui Sponsa in coniugium destinatur; amicus autem Sponsi non quærerit sibi Sponsam, nec Sponso inuidet, sed stat, vel intendens nuptiis perficiendis, ut ait Euthymius: vel stat; id est, astat Sponso honoris causa, ad omne eius ministerium paratus; cùmque videt Sponsum venisse, & vocem præsentis audit, vehementer gaudet, quoniam videt iam fieri, quod ipse nunciauerat, & quod quærerat: ita ego, qui amicus eius sum, multum optaueram videre Christum desponentem sibi Ecclesiam per fidem, & eam alloquenter per prædicationem suam: quare tantum ab inuidia absum, ut maximè gaudeam, impletum esse hoc metum desiderium. *Sponsus Ecclesiæ* dicitur Christus; quia illam sibi intimè, ardenterissimoque amore coniunxit, qualis cer-

nitur

nitur inter nouum Sponsum & Sponsam. Et etiam , quia modò est Sponsa domi suæ ; id est , in hoc mundo , donec veniat tempus nuptiarum , quo ducetur in domum Sponsi ; id est , in cœlum : Et tunc dicetur vxor : Apocal. 19. *Gaudemus , & exultemus , & demus gloriam ei , quia venerunt nuptiæ agni , & uxor eius preparauit se.* Dicitur etiam *Sponsus* , vt intelligatur coniunctio ista fieri sine corruptione virginitatis Sponsæ ; Ioannes autem non se hic seruum vocat , sed amicum: quia in lœtitia nuptiarum , multò aptius est nomen amici , quām serui : plus enim gaudet amicus in nuptiis ; quām seruus , cūm hīc non quilibet amicus intelligatur; sed qui nuptiarum legatus , & paronymus fuit.

*Amicus
Sponsi cur
dicatur S.
Ioannes, non
seruus.*

Illum oportet crescere , me autem minui .] Illum oportet crescere , scilicet honore , dignitate , & autoritate apud homines , vt ipse Dominus agnoscatur : & ego seruus eius. Augustinus serm. 36. de Sanctis interpretatur hæc dicta esse; quoniam Ioannis Prophetia finita est , & Christi Euangeliū cœpit per orbem prædicari. Dicit etiam , hæc verba in genere mortis vtriusque vera fuisse ; Christus enim creuit extensus in Cruce ; Ioannes autem imminutus est capite absciso : impleta sunt etiam , vt idem ait , ser. 21. de Sanctis , in eorum nativitate : quoniam in nativitate Ioannis incipiunt decrescere dies : in Nativitate Christi incipiunt crescere.

Qui est de terra , de terra est .] Probat Christum non solum sibi , sed etiam omnibus hominibus præferendum , ab omnibusque audiendum esse : nam homo in terra natus non potest loqui , nisi quæ vidit , & nouit ; id est , terrena : quod si aliquid de cœlestibus dicturas est , necesse est edoceri ab eo , qui de cœlo venit , & res cœlestes oculis suis spectauit : quare nullus docto r cum hoc conferendus est , qui de cœlo venit : loquitur enim id quod vidit in cœlo , & quod Patre per se ipsum loquente audiuit , licet eius testimonium nemo accipit. Hoc autem dicit , quoniam paucissimi perfectè in eum crediderant. Ita exponit Chrysostomus , hom. 29. Vnde statim ait , qui autem accepit eius testimonium , &c. Iuxta regulam annotatam cap. 1. in illis verbis , quotquot autem receperunt. Quod autem dicit bis , super omnes est , amplificationis , & recordationis causa dicit , vt magis in animis auditorum infigatur ; hoc enim est , quod ipse maximè persuadere cupiebat. Illa autem repetitio , qui est de terra , de terra est ; multum habet elegantiae , & significationis , vt si dicas ; mulier ne pergas esse mulier , qui est de terra , de terra tandem est ; & hoc satis suis dictis , & factis ostendit.

Signavit quia Deus verax est .] Id est ; qui in eum credit , Deum honorat , & rem ei gratissimam facit : testatur enim credendo in eum , & profitetur Patrem , à quo missus est , vera , & salutaria homines docere. 1. Ioannis ; Qui non credit filio mendacem facit eum , quia non credit in testimonium , quod testificatus est Deus de filio suo. Et propterea , hīc adit , quem enim misit Deus , verba Dei loquitur ; id est , non sua verba lo-

Ribera in Euang. Ioan.

P quitur,

quitur, sed quæ illi dedit Deus. Ita Chrys. hom. 29. Quare, qui non credit in filiu, negat patrem esse veracem: signauit autem, non est significavit, vt putauit Lyra; sed sigillo suo, & chirographo suo obsignauit, (diolo firmado, de su nombre) quod manifestissimum ex verbo Græco ἐσοπάγιον.

Prima expositio.

Gratia datur Sanctis ad mensuram.

Sed Christo sine mensura.

Secunda expositio.

Prophetis datus est Spiritus ad mensuram.

Autoris sensus.

Deus per Filium copiosam dat rerum cœlestium intelligentiam.

Spiritus non datur Christo ad mensuram, cur.

Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.] Prima huius loci expositio est, per spiritum intelligi gratias, & Dona Spiritus Sancto, quæ Sanctis dantur ad mensuram, ad Ephes. 4. *Vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*, quia in uno Sancto gratia habet hunc effectum, in alio aliud; sed Christo data est sine mensura, quia in illo habet omnes effectus, & quicquid pertinere potest ad rationem Gratiae: ita Aug. tract. 14. quem lequuntur Beda, & S. Thomas hic, & 3. p. q. 7. art. 11. ad 1. & Lyra, atque idem plane videntur sentire Chrysost. hom. 29. & Theophylactus, & Euthymius. Secunda expositio est Cyrilli; vt, quoniam illa verba, *quem enim Deus misit, verba Dei loquitur*, etiam Prophetis conuenire poterant, nunc ostendat maiorem esse Prophetis, quia illis datus est spiritus ad mensuram: ita enim habent spiritum, vt aliis eum largiri non possint: Christus autem omnibus largitur, & ideo sine mensura accepit. Iuxta priorem interpretationem ita poterunt hæc verba cum præcedentibus copulari; *Verba Dei loquitur*, est enim in illo plenissime Spiritus sanctus, multò pleniùs, quam in aliis. Ego ita etiam intelligo: Prophetis dabatur Spiritus ad mensuram, quoniam quædam mysteria Deus per Isaiam hominibus manifestabat, quædam per Hieremiam, nec omnia per unum loquutus est. At nunc copiosam rerum cœlestium cognitionem hominibus præbet, loquens per filium suum, cui ostendit omnia, quæ hominibus nosse expedit in credendis, & in agendis, ita vt ea nemo intelligere possit, nisi ab ipso edocetus fuerit. Et hoc est quod Pater significauit Matth. 17. *Hic est filius meus*, &c. ipsum audite. Et hoc est, quod ipse Christus dixit, Mat. 23. *nec vocemini magistri, quia magister vester unus est, Christus*. Itaque Christo non datur spiritus ad mensuram; Primò, quia omnia cœlestia mysteria eū docuit Pater: Secundò, quoniam ita est in illo Spiritus, vt numquam ab eo recedat. Prophetis autem quædam tantum reuelabat, & modò in illis erat, & modò non erat, sed Prophetiæ spiritu destituebantur. Quæ expositio optimè conuenit cum præcedentibus & etiam cum sequentibus. Ideò enim ait, *Pater diligit filium*, &c. id est, ita enim Pater diligit filium, vt nihil eum celet in mysteriis, nihil ei subtrahat potestatis in faciendis; imò omnia dedit ei in manus, vt faciat, quicquid volet, & omnia gubernet, & regat, vt expedire videbitur. Ioan. 13. *Scitis, quia omnia dedit ei Pater in manus.*

Qui credit in filium.] Id est, quare credite in filium, à patre missum, per quem ipse loquitur, quem tantoperè diligit, cui omnium rerum cognitionem, & potestatē dedit: alioqui semper Patrem iratū & vltorem sentientis; qui autē in eum credit, ille iam se cœlestem beatitudinem possidere existimet; quoniam sine dubio ad illam perueniet, si in hac fide via, quæ per Charitatē operatur, permanserit, iuxta id, quod ait; *Hoc est via aeterna*, &c. quod in eodem sensu citatur à Chrysost. in hom. 30.

SAN

S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T I V.

1. **V**ergo cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes. 2. (Quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.) 3. Reliquit Iudeam & abiit iterum in Galilæam. 4. Oportebat autem eum transire per Samariam. 5. Venit ergo in ciuitatem Samariae, que dicitur Sichar: iuxta predium, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. 6. Erat autem ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic supra fontem. Hora erat quasi sexta. 7. Venit mulier de Samaria haurire aquā. Dicit ei Iesus: Da mihi bibere. 8. (Discipuli enim eius abierant in ciuitatem ut cibos emerent.) 9. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cùm sis, bibere à me poscis, quia sum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudei Samaritanis. 10. Respondit Iesus, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere: tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. 11. Dicit ei mulier: Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est: unde ergo habes aquam viuam? 12. Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filii eius, & pecora eius? 13. Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui biberit ex aqua hac, suiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in eternum: 14. Sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam eternam. 15. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam hic haurire. 16. Dicit ei Iesus: Vade, voca virum tuum, & veni huc. 17. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei Iesus: Bene dixisti, quia non habeo virum: 18. Quinque enim viros habuisti; & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc verè dixisti. 19. Dicit ei mulier: Domine, video quia Propheta es tu. 20. Paires nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus,

vbi adorare oportet. 21. Dicit ei Iesus: Mulier crede mihi, quia ve-
nit hora, quando neque in monte hoc, neque in Ierosolymis adora-
bitis Patrem. 22. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod
scimus, quia salus ex Iudeis est. 23. Sed venit hora, & nunc est,
quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.
Nam & Pater tales querit, qui adorent eum. 24. Spiritus est
Deus, & eos, qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet ado-
rare. 25. Dicit ei mulier: Scio quia Messias venit (qui dicitur
Christus) cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia. 26. Di-
cit ei Iesus: Ego sum, qui loquor tecum. 27. Et continuo vene-
runt discipuli eius: & mirabantur, quia cum muliere loquebatur.
Nemo tamen dixit: Quid queris, aut quid loqueris cum ea?
28. Reliquit ergo hydram suam mulier, & abiit in ciuitatem, &
dicit illis hominibus: 29. Venite, & videte hominem, qui dixit
mihi omnia quaecumque feci: numquid ipse est Christus? 30. Exie-
runt ergo de ciuitate; & veniebant ad eum. 31. Interea rogabant
eum discipuli, dicentes: Rabbi, manduca. 32. Ille autem dicit eis:
Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis. 33. Dicebant er-
go discipuli ad iuicem: Numquid aliquis attulit ei manducare?
34. Dicit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius,
qui misit me, ut perficiam opus eius. 35. Nonne vos dicitis, quod
adhuc quatuor menses sunt, & mesis venit? Ecce dico vobis: Le-
uate oculos vestros, & videte regiones, quia alba sunt, iam ad
messem. 36. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fru-
ctum in vitam aeternam: ut, & qui seminat, simul gaudeat, &
qui metit. 37. In hoc enim est verbum verum: quia aliis est qui
seminat, & aliis est qui metit. 38. Ego misi vos metere quod
vos non laborastis: aly laborauerunt, & vos in labores eorum in-
troistis. 39. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Sa-
maritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis:
Quia dixit mihi omnia quaecumque feci. 40. Cum venissent er-
go ad illum Samaritani, rogauerunt eum ut ibi mancret. Et
mansit ibi duos dies. 41. Et mulier plures crediderunt in eum
propter sermonem eius. 42. Et mulieri dicebant: *Quia iam*
non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiimus, &
*sci-
mus, quia hic est vere Saluator mundi.* 43. Post duos autem
dies exiit inde: & abiit in Galileam. 44. Ipse enim Iesus testimo-
nium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. 45.

Cum

Cum ergo venisset in Galileam, exceperunt eum Galilaei, cum omnia vidissent quæ fecerat Ierosolymis in die festo: & ipsi enim venerant ad diem festum. 46. Venit ergo iterum in Cana Galilææ, ubi fecit aquam vinum. Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. 47. Hic cum audisset quia Iesus adueniret à Iudea in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium eius: incipiebat enim mori. 48. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa & prodigia videritis, non creditis. 49. Dicit ad eum regulus: Domine, descendere prius quam moriatur filius meus. 50. Dicit ei Iesus: Vade, filius tuus viuit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, & ibat. 51. Iam autem eo descendente, servi occurserunt ei, & nunciauerunt dicentes, quia filius eius viueret. 52. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerit. Et dixerunt ei: Quia heri hora septima reliquit eum febris. 53. Cognovit ergo pater, quia illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus viuit: & credidit ipse, & domus eius tota. 54. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum venisset à Iudea in Galilæam.

IN CAPVT IV. SANCTI IESV CHRISTI EVANGELII SECUNDVM IOANNEM, COMMENTARIA.

Vergo cognovit Iesus.] Id est, postquam nunciatum est Iesu versari inter Phariseos hunc sermonem, occasione scilicet quaestioni exortæ inter Phariseos, & Discipulos Ioannis, de purificatione.

Quamquam Iesus non baptizaret.] Adnotant hic S. Thomas, & Lyra, doceri hinc Prælatos Ecclesiæ, vt quæ commodè per ministros fieri possunt, ea illis committant, vt possint ipsi maioribus rebus vacare, vt fecerunt Apostoli, Acto. 6. Nō est æquū, nos derelinquere verbum Dei, & ministriare mēsis, & 1. Cor. 1. nō enim misit me Christus baptizare, sed euāgelistare.

Reliquit Iudeam.] Declinans inuidiam Phariseorum, vt ait Cyrillus, & Passionem opportuno tempori reseruans.

Et abiit iterum in Galileam.] Semel venit à Iudea in Galilæam, cū fecit miraculum in nuptiis; secundū nunc: & ita omnes intelligunt. Ex quo patet, meritò reiectam esse à nobis c. 3. sententiam Iansenij, de secundo reditu in Galilæam, post colloquiū habitū cum Nicodemo: sed est magnum dubium; An iste secundus reditus sit idem, quē alij Euangelistæ memorant vincō iam Ioanne, videlicet Matth. c. 4. Marc. c. 1. Luc. c. 4.

Prælati quæ
commode
per mini-
stros fieri
possunt, ea
debent illis
committere,
vt grauiori-
bus vacent.
Eis venit in
Galilæam
Christus.

Iansenius cap. 22. & 23. docet, esse eundem, & Cajetanus, & idem videatur sentire hic S. Thomas, & Augustinus expressè dicit 2. de consensu Euang. c. 18. affirmat enim, primum aduentum in Galilæam prætermissum ab aliis Euangelistis, narratum esse à Ioanne c. 1. secundum autem à Ioanne, & à cæteris narrari. Hanc sententiam securus est Tatianus Alexadrinus in harmonia Euangeliorum c. 21. qui liber extat in secundo tomo Bibliothecæ Sanctorum; eamdem sequuntur fere omnes recentiores, qui de concordia Euangelistarum scripsere. Gerson in suo monosticharo c. 22. Villalolos in concordia Euangelistarū c. 7. Callistus Placentinus in supputatione temporis Christi; quæ est ante eius homilias. Petrus Durröchius in serie Euangeliorum lib. 1. c. 7. Gabriel à Puteo lib. 1. historiæ Euang. c. 18. Ioannes Bos lib. 2. vitæ Christi cap. vlt. sed habet profectò hæc sententia tantum difficultatis, ut vix sustineri posse videatur: Nam Euangelista apertè docere videtur, migrasse Dominum e Galilæa, cum Discipuli Ioannis, & Iudei contendebant de purificatione: inde enim fama venit ad Pharisæos Iesum plures Discipulos facere, quam Ioannem; & ut hoc cognovit Dominus, statim abiit in Galilæam. At inter hæc & vincula Ioannis, multò plus tēporis intercessisse videtur: tūc enim Ioannes baptizabat in Samaria, ut diximus, in Aenon; sed deinde videtur similiter baptizasse in Galilæa, cum vincetus est ab Herode: neque id paucis diebus: etenim Iosephus 18. antiquitatum c. 17. scribit, Ioannem vincutum esse ab Herode, quod magni ad eum concursus hominum fierent, timeretque ne ad defectionem eos authoritate sua conuerteret. Hoc autem non potuit fieri paucis diebus; præsertim cum legamus Luca 3. & Marci 6. à Ioanne sæpe reprehensum esse Herodem, sæpèque ab eo auditum esse. At verò fama illa de multitudine veniente ad Christum statim perlata est ad Pharisæos, & propterea Dominus statim recessit è Galilæa. Præterea cum venit in Galilæam tradito Ioanne, habitauit in Ciuitate Capharnaūm, & fecit multa miracula, & prædicauit, ut videmus Matth. 4. At Ioannes in hoc capite tantum narrat, in hoc secundo reditu venisse Dominum à Samaria in Canam Galilææ, & ibi curasse filium Reguli, & post hæc ascédisse Hierosolymam, ut legimus c. 5. Postremò in prologo huius Euāgelij probauimus ex Hieronymo de Viris Illustrib. & ex Eusebio lib. 3. Historiæ Eccl. c. 24. & ex Nicephoro lib. 2. c. 45. duos annos priores prædicationis Domini omislos esse à tribus Euāgelistis, qui exorsi sunt historiam suam à tempore, quo vincetus est Ioannes: ergo Ioannes vincetus est initio tertij anni prædicationis Domini. At cū modò Dominus rediit in Galilæam, multum aberat à fine secundi anni, ut ex contextu Euāgelistæ intelligimus. Vnde Iansenius in fine c. 35. post multa alia, quæ ab hoc reditu secundo facta sunt, dicit contineri, vsque ad id temporis acta vnius anni, & aliquot mensum, licet id colligat ex falsa temporis supputatione, quam confutauimus cap. 2. cùm agebamus de tempore miraculi nuptiarum.

Præter hæc argumenta mihi valde probabile est, hūc secundū reditū in Galilæam prætermissum esse ab Euāgelistis tribus, quemadmodū & primuna

S. Ioannes
cur cōiectus
in carcere
secundum
Iosephum,

primū. Itaque à Ioanne hic narratur secundus redditus: cæteri autē Euā-gelistæ narrat tertium, & quartū. Nobiscū sentit Bernardus in harmo-nia Euāgeliij c. 5. & latius & expressius Abulensis super Mart. c. 43. q. 63. & duabus sequentibus, vbi etiā impugnat Remigiū contrariū opinantē.

Oportebat autē eum transire per Samariam.] Ita legendū est, sicut habent Græci codices, & Græci expositores, & codices Latini emendatores: nō, per medium Samaria, vt habent multi libri Latini. Cū dicit trāsire, ostēdit non iuissē, vt ipsos doceret, ne faceret contra id, quod dixerat Matt. 10. in Cūnitates Samaritanorum ne intraueritis; sed necessariō per Samariam transeundū erat, & occasione illa iniuitus obiter prædicauit, vt ait Cy- rillus. Porr̄ Samaria aliquando totam prouinciā significat interiectā inter Iudæam, & Galilæā, vt hīc aliquando verò urbē eius metropolim, vt docet Hieronymus in locis Hebraicis, vt diximus Amos 3. ibi: Su-per monte Samaria, in Cūnitate, quæ dicitur Sichar. Hęc est, quę alio no-mine, dicitur Sichē, & à Græcis & à Latinis Sicima, vel Sichima, iuxta Hieronymū in locis statim indicādis, & iuxta omnes expositores. Eadē postea reædificata dicta est Neapolis, vt ibidē ait Hieronymus, & à Sa-racenis hodie dicitur Nablos: est autē, vt describit Arāda, in descriptio-ne Terræ Sanctæ tract. 2. c. 1. & 2. in magna quadā, & fertili valle, inter duos montes altos, & longos, quorū alter dicitur Garizim, alter autem iuxta Brocardū in sua descriptione dicitur Hebal. Iuxta illā est sepul-crū Ioseph, & puteus Iacob, qui distat à confinio Iudææ versus Galilæā vndeclim milliariis, vt ait Aranda, de qua diximus. Oſeæ 6.

Nablos ho-die, quæ olim Sichē.

De nomine autē controuersia est inter authores: quidam enim putat olim dictam esse Sichē, & postea Sichar, vt Lyra, & Arboreus: Alij verò duo nomina habuisse Sichē, & Sichar, vt S. Thomas, Caietanus, & Clau-dius: sed Hieronymi sententia præferēda est, quā sequitur Rupertus, qui in traditionibus Hebraicis in Genesim, propè finem, & in Epitaphio S. Paulæ docet, corruptè legi in hoc loco Ioānis Sichar pro Sichē, ipsūque Euangelistā scripsiſſe Sichē. Ex quo patet, ita habuisse vetustissimos co-dices: Eius verba in traditionibus Hebraicis sunt: Sicima iuxta Græcam, & Latinam consuetudinem declinata est, alioquin Hebraicē סיחֶ Sichē dicitur, vt Ioannes quoque Euangelista testatur, licet vitiosè, vt שיחֶ Sichar legatur, er-ror inoleuit, & est nunc Neapolis urbs Samaritanorum. Hīc obstat, quod in locis Hebraicis ponit Sichem, & postea Sichar: ponit enim, vt diuersa nomina explicet urbis eiusdem, vt ex locis citatis intelligitur.

Iuxta predium, quod dedit Iacob.] Conuenit inter Expositores tam Ge-nesis, quām huius Euāgeliij, hoc predium esse, de quo Iacob dicit Ioseph, Gen. 48. Do tibi parē una extra fratres tuos, quā in illo de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo: sed pugnant cum hac communi sententia duo: primū est, Sichē nō fuisse in terra Amorrhœoru, sed in terra Henœoru, vt ibidē Sichem en-notauit Caietanus, & patet ex Gen. 34. quā cū vidisset Sichē filius Hemor ins divisioni. Henæi. Immò terra Amorrhœoru erat trās Iordanē, vt ait Hieronymus, Amos 2. Sichem autem erat trans Iordanem. Secundum est, Iacob non possedisse hoc predium arcu, & gladio; id est, iure belli: sed emissé cen-tum agnis ab Hemor patre Sichem, Genef. 33.

Ad primū respondent Vatablus, & Honcala Genes. 48. Amorrhæos, & Cananæos aliquando generaliter dici omnes illas nationes, quæ possidebant Terram promissionis ante aduentum filiorum Israël: quod etiam confirmat Montanus, in libello de 12. gentibus cap. 9. quoniam Amorrhæi cæteris omnibus præstabant opibus, & multitudine, & fortitudine.

Ad secundum Respondet Chrysostomus, homil. 67. in Genesim, dici *ingladio, & arcu meo*; quoniam vrbs Sichem, expugnata est à Simeone & Leui eius filiis, ob stuprum Dinæ, Genes. 34. & deinde possessa est à Iacob, & data Ioseph. Quæ responsio licet probetur quibusdam; tacitè tamen reiicitur ab Augustino, & meritò, in quæstionibus super Genes. q. 167. Ideo Hieronymus in traditionibus Hæbrai. super Genes. duplicitè exponit, *in gladio, & arcu meo*; id est, *in fortitudine mea*; id est, *in pecunia*, quam multo labore, & sudore acquisiti: Secundo, *in arcu meo*; id est, *in mea iustitia*, per quam merui peregrinus, & aduenia interfecto Siché de periculo liberari. Hanc secundam expositionem sequitur Beda super Genesim cap. 48. & ibidem Abulensis, q. 2. & Honcala, & Rupertus hic. Exponunt autem Abulensis, & Honcala hic *gladium & arcum* significare arma spiritualia; id est, orationem; per quam obtinuit Iacob, vt hominibus regionis illius timorem Deus incuteret, vt & ipse liberaretur, & liberè prædium suum possideret. Et probant ex paraphrasi Chaldaica que sic habet; *quam tuli de manu Amorrhæi oratione mea, & deprecatione mea*. Videtur etiam hoc esse, quod Latine dicitur, atque etiam Hispànici, *meo Marte hoc feci*. Ego sanè non dubito, hoc prædium, de quo loquitur Euangelista, esse idem, de quo loquitur Iacob Genes. 48. & quod idem emit Genes. 43. quoniam & illud possederunt filij Ioseph, & ipse sepultus est, Iosue vltimo, *qua quoque Ioseph sepelierunt in Sichem, in parte agri, quem emerat Iacob à filiis Emor patris Sichem centum nouellis onibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph*. Quare rectissimè dicitur Sichimitas, à quibus emit Iacob, vocari Amorrhæos, quoniam hoc nomen generaliter usurpat Scriptura, vt Genes. 15. generatione autem quarta reuertentur *huc*, nec dum enim completae sunt iniquitates Amorrhæorum, & Amos 2. Ego exterminaui Amorrhæum. Sed mihi fit valde probabile, cùm è terra illa Iacob fugisset, Sichimitas iratos, retinuisse, atque occupasse agrum illum, quem vendiderant Iacob, eumque Iacob postea armis recuperasse; vt enim ibi ait Caietanus, multa fecere Patriarchæ, quæ non sunt scripta à Moyse. Hoc ipsum indicare videtur verbum *Tuli de manu Amorrhæi, siue cepi*, vt habetur in Hebræo, & in Græco, quasi contra ius sibi eruptum bello reuendicaretur.

*Amorrhæi
nomen ge-
nerale.*

*Multa fece-
re Patriar-
cha quæ non
sunt scripta
à Moyse.*

*Puteus om-
nis fons, sed
non omnis
fons puteus.
Fons quid.*

Erat autem ibi fons Iacob. Id est, puteus quem Iacob fodi iussit, cùm ibi habitaret, Augustinus tract. 15. Puteus erat, sed omnis puteus fons, non omnis fons puteus; fons enim dicitur, vbi aqua manat, si in promptu, & superficie sit; si autem sit in profundo, ita puteus vocatur, vt fontis nomen non amittat. Beda in libello de locis sanctis

cap. 15.

c. 15. ita ait; prope ciuitatem Sichem, quæ nunc Neapolis dicitur, Ecclesia quadrifida est; hoc est, in crucis modum facta, in cuius medio est fons Iacob quadrangula cubitos altus.

Sedebat sic.] Homil. 30. Chrysostomus; non in sella, non in loco honoriori, sed in terra, ut contingit. His verbis addēda est expositio Caietani, & Mōtani, sic id est, habitu, ac situ defatigati hominis; hoc est, ut sedere solēt homines defatigati, ipso corporis habitu defatigationē indicātes. Itaq; in dictione, sic, est mimesis, sive imitatio rei, quæ narratur, valde vīstat a est etiam apud profanos scriptores, ut apud Horatium.

Leporem, positum sic tangere noli.

Et apud Virgilium,

Sic oīc positum asfati discedite corpus.

Supra fontem.] Hebraicē dixit, pro iuxta fontem: ita enim sāpe capitur in Scriptura alibi; id est, super, ut Psal. 136. Super flumina Babylonis, &c. & Luce 4. Et stans super illam imperauit febri.

Hora erat quā sexta.] Hora meridiei signatur, ut ostendatur meritū fuisse defatigatus, & cibo indiguisse, non ut caloris vim indicet, ut videtur sentire Cyrus, & Iansenius, c. 23, cūm hoc contigerit quatuor mensibus ante messem, ut paulò pōst ait; *Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor mensēs sunt, & messis venit?*

Venit mulier de Samaria.] Non venit de Samaria: in ea enim erat, sed mulier de Samaria; id est, Samaritana.

Non enim contundunt Iudei Samaritanis.] Id est, vos Iudei nos Samaritanos profanos, & immundos iudicatis, nec dignamini ullum nobiscū habere commercium. Ratio huius est, quoniam translatis decem Tribubus de Samaria tempore Salmanasaris Regis Assyriorum missi sunt ab eo gentiles de Babylone, & de Cuta, quæ est regio Persidis, ut ait Iosephus 9. antiquitatum cap. vltimo, & de aliis prouinciis, qui incolerent Samariam: & ideo à Iosepho, & ab Hebræis dicti sunt *Cutai*. Itaque isti Samaritani, sive Cutæi nullo modo pertinebant ad genus Iudeorum, Matth. 10. In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatē Samaritanorum ne intraueritis; sed ite potius ad oves, quæ perierunt domus Isræl. Et samaritanī colebant Deum verum, ac etiā idola. licet Deum colerent, tamen colebant simul idola sua, ut latè videmus 4. Regum 17. & recipiebant libros Moysis; Prophetas autem reiiciebāt. Præterea obstiterunt Iudeis in ædificatione Templi; id est, Esdræ 4. & libros Moy- sis recipie- bant, non Prophetas. semper eis erant inimici. Erat etiam alia causa inimicitarum, de qua dicimus in illis verbis, *Patres nostri in monte hoc adorauerunt*. Refert autem hic Montanus ex libris Hebreorum, qui dicitur Misnaiot; id est, traditionum, in tractatu de benedictionibus, fuisse traditionem Scribarum, ut Iudei non iuuarent cibo, aut potu homines alterius religionis, nec ab illis iuuarentur: & emere quidem poterant Iudei à Samaritanis ea, quæ immunditia suspicione carerent; non tamen domo accipere, quia id iam esset couti: nec poterant bibere ex eodem poculo, quia vasa Samaritanorum immunda iudicabantur: Et propter has causas miratur mulier.

Ribera in Euang. Ioan.

Q

Si

Si scires donum Dei.] Id est, si scires, quām præclara sunt, quæ Deus hominibus donare potest, & quis tecum loqueretur; id est, ipsum, qui tecum loquitur, posse hæc donare; tu forsitan, &c. Ita Cyrilus: ita etiam possumus exponere; si scires quanto dono te Deus afficiat nunc, quod ego aliquid à te petere velim.

*Aqua vina
qua.*

Et dedisset tibi aquam vinam.] Aqua vina dicitur, quæ manat, & fluit, nec quiescit, sumpta metaphora à vinentibus; quorum proprium est, mouere se ipsa. Per hanc intelligit gratiam Spiritus sancti, ut optimè exponit Cyrilus, & ipse Euangelista expressit cap. 7. qui credit in me, flumina de ventre eius fluunt aqua vina: hoc autem dixit, de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: dicitur aqua, quod purget animum à fardibus peccatorum, & quod refrigeret æstui concupiscentiæ, & amoris rerum huius sæculi; ac mentem facundet, eo quod sitim rerum carnalium tollat, ut recte ait Iansenius, cap. 23. vina autem, quia numquam quiescit, sed semper in alia, atque alia virtutum officia hominem stimulet; ac denique fert, & rapit eum, per desiderium, & opera virtutum in vitam æternam: & ideo ait statim; sicut in eo fons aqua salientis in vitam æternam.

*Aqua cur-
dicatur Spi-
ritu san-
ctus.*

*Et aqua vi-
na.*

Nunquid tu maior es patre nostro Iacob?] Licet Gentiles essent isti Samaritani; tamen, ut ait Chrysostomus, homil. 30. & Theophylactus, & Euthymius, conabantur se insinuare in Iudaicam nobilitatem, & Iudeos cognatos suos vocabant; quoniam Israëlitarum terram tenebant, & quædam ex eorum lege recipiebant. Josephus 9. Antiquit. cap. vlt. & lib. i i. cap. 8. scribit, hos cum Iudei rebus secundis florebant, solitos fuisse dicere, se esse ex eorum gente; cum vero aduersis premebantur, negabant.

*Situ rerum
temporalium,
& gratia.*

Non satiet in eternum.] Non aduersatur huic illud. Eccles. 24. qui bibunt me, adhuc satient; loquitur enim Dominus hic de siti, & desiderio rerum temporalium, ut honorum, & voluptatum, &c. quæ siti paulatim extinguitur per gratiam; quoniam gustatio spiritu desipit omnis caro. Ecclesiasticus autem loquitur, de siti ipius gratiæ, & sapientiæ, quæ quod magis agnoscitur, magis desideratur. Quibus verbis tacite ostendit Dominus, id quod mulier rogauerat, se multo maiorem esse Iacob, &c.

Voca virum tuum.] Decet enim, ut virum omnium bonorum tuorum participes facias; præterea voca eum, ut ille tecum audiat, & melius intelligat, atque ab eo docearis; ut intellexisse videtur Cyrilus. Tertio, ut simul conversti mutuo vos iuuetis, nec ille tibi in bona vita impedimento sit.

Domine, ut video, Propheta es tu.] Est enim munus Prophetæ præsentia etiam, & præterita dicere, si occulta sint, ut videamus 1. Cor. 4. si autem omnes prophetent, &c. occulta enim cordis eius manifesta sint.

Patres nostri in monte hoc adorauerunt.] Chrysostomus, hom. 31. Theophylactus, & Euthymius putant hæc dici propter Abraham, qui in monte illo voluit immolare filium suum Isaac; sed longe ali-

ter habet communis opinio ; non enim voluit immolare Abraham filium suum in monte illo Samariæ , sed potius in monte Moria , in quo postea Templum ædificauit Salomon : vnde Genes. 22. vbi nos habemus ; *vade in terram visionis*; in Hebræo est , *vade in terram Moria*. Quare aliter est locus exponendus ; quoniam mulier Prophetam esse intellexit , occasione nocta querit ex eo solutionem questionis , qua maximè tunc versabatur inter Iudeos & Samaritanos , & quam ipsa propterea maximè cognoscere cupiebat. Est autem huiusmodi: Sanabætes quidam patria Cutæus , & Sattrapa Darij ultimi regis Persarum , qui victus est ab Alexandro , missus in Samariam , filiam suam collocauit Manazi Iudæo fratri ladi Pontificis ; in cuius Manasse gratiam templum ædificauit in monte Garizim , in cuius valle proxima est Sichem , quod erat simile Hierosolymitano , ut ibi hostiæ offerrentur , & ipse Manasses Pontifex fieret ; Iudei enim iubebant eum , aut vxorem gentilem repudiare , aut ad altare non accedere : configerunt autem ad eum multi Sacerdotes , qui similiter uxores ethnicas duxerant. Sanabætes enim præbebat eis & pecuniam , & agros ad colendum , & domicilia , ac modis omnibus generi sui ambitionem adiuuabat , ex Ioseph. 11. antiquit. c. 7. &c. Idem lib. 12. cap. 1. ait ; *seditiones tamen continua fuerunt inter eorum posteros*, & Samaritas. Dum Hierosolymitani suum templum sacrosanctum esse affirmant , & victimas à Iudeis non aliò mittendas ; Samarites contraria , in montem Garizim eas mitti debere contendunt. Huius templi meminit sacra historia 2. Machab. 6. quod post ducentos annos , ex quo extrectum est , euersum est ab Hircano principe Iudeorum , ut idem 13. antiquit. c. 17. Hæc igitur erat controværsia , vtrum in monte Garizim , an in Hierusalem essent victimæ immolandæ , & offerendæ. Argumentum Samaritanorum erat , quod in eo monte insisset Moyses Deuter. 17. legi benedictiones obseruantium legem ; quodque in eo Iacob altare erexit , Genes. 33. nam licet Scriptura ibi montis non meminerit ; tamen solebant patres in montibus adorare.

Veniet hora quando nec in monte hoc.] Non negat , Deum esse adorandum deinceps in Samaria , aut in Hierusalem ; sed hoc dicit , *non adorabitis* , ut modò adoratis existimantes in eo loco tantummodo hostias esse offerendas , nec alibi posse offerri. Cyrillus ; *non enim queretur locus* , vbi Deus habitet , *sed tamquam omnia replens* , atque conservans , *vbiique adorabitur* , ut quidam Prophetarum predixit 1. Malachias cap. primo. *Ab ortu enim solis usque ad occasum* , *magnum est nomen meum* , *in gentibus* , & *in omni loco sacrificatur* & *offertur* *nomini meo* *oblatio munda*. Cæterum vbi habemus veniet ; & vbi ait statim *veniet hora* , & *nunc est* ; & vbi ait , *scio quia Messias venit* ; in Græco semper est *ερχεται* : quod licet praesentis temporis sit , ad futurum etiam pertinet : quare in his locis possumus legere *venit* ; & dicitur *venire* , quoniam iam instabat tempus illud , quod est tempus promulgationis Euangelij.

*Abraham
voluit im-
molare filium
in monte illo.
in quo post-
ea adifica-
uit templum
Salomon.*

*Samarita-
nos inter &
Iudeos con-
tentiones , &
qua de cau-
sa.*

Vos adoratis quod nescitis, &c.] Quoniam paria fecisse videbatur loca adorationis Iudæorum, & Samaritanorum, ne mulier nihil differre putaret inter cultum, & religionem utriusque gentis, addit præfrendam esse religionem Iudæorum; *Vos enim, inquit, non cognoscitis Deum; quem adoratis:* Nam putatis eum non esse Deum universorum, sed huius terræ tantum, & illi æqualia facitis idola vestra, quæ simul cum eo adoratis; nos Iudæi credimus hunc esse Creatorem omnium, & solum esse Deum; ac Deos gentium esse Dæmonia: atque adeò verum est, nos habere veram Dei cognitionem, ut salutem totius mundi ex gente nostra Deus prodire decreuerit; quoniam ex genere Iudeorum nascetur Messias, & Iudæi prædicatores per totum orbem delaturi sunt prædicationem Euangelij per quam gentes saluæ fiant.

Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores, &c.] Id est, citò aderit tempus, & iam incipit: dicit autem iam incipit, propter Discipulos suos, & alios, qui iam incipiebant vero cultu spirituali Deum adorare: & huiusmodi vocat veros adoratores. Dicit etiam, *adorabunt patrem*, ut paulatim erigat animam mulieris, ut incipiat cogitare Deum habere Filium, ut notat Cyrillus. Deinde ut ostendat, in lege noua non adorandum iam esse Dominum in spiritu seruitutis, sed ut patrem. Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum firi-*

spiritus va-
riè accipi-
ritur.

liorum, in quo clamamus, Abba, pater. Ceterum Spiritus varie accipiatur, sed quomodo hinc accipiatur, cùm ait in Spiritu, & veritate, satis intelligitur ex eo quod sequitur. *Spiritus est Deus;* est enim argumentum à coniugatis, quasi dicat; Deus non est corpus, sed Spiritus; & ideo spiritu colendus est magis, quam corpore. Hoc autem dicit propter Samaritanos; & potissimum propter Iudeos, qui sacrificiis animalium, & externis ceremoniis Deum coli, & placari putabant; sed Deus cùm incorporeus sit, cultum internum animæ potissimum querit; id est, actus Fidei, Spei & Charitatis, & Pœnitentia, &c. ita ut sine his nihil moretur omnia sacrificia, & omnes ceremonias; quæ tamen ei valde placent, si ex his virtutibus oriuntur. Atque hoc est, quod passim reprehendit in Prophetis, ut Osee 5. *In gregibus suis & in armentis suis vident ad querendum Dominum, & non inuenient, ablatus est ab eis.* & c. 6. *quia misericordiam volui, & non sacrificium:* quo loco multa diximus de his. Hunc autem cultum interiore vocat etiam veritatem; quia per omnes illas corporales ceremonias, & iusticias carnis figurabatur: capitur enim *veritas* non ut opponitur falsitati, sed ut opponitur figure, & umbrae, ut diximus cap. 1. in illis verbis, *plenum gratia & veritatis:* & in illis, *gratia & veritas, &c.* Ita exponunt Chrysostomus, hom. 3. & Cyrillus; nec sensu differunt, licet verbis non nihil differre videantur. Ita etiam Euthymius & Theophylactus: licet Theophylactus alios etiam sensus afferat, sed minimè cum isto conferendos. Atque hunc sensum rectè explicat Iansenius c. 23. & Montanus. Et de hac re scripsit septendecim libros Cyrillus, qui nunc in lucem prodierunt, *de adoratione, & cultu in spiritu & veritate.*

Scio quia Messias venit.] Sciebant hoc ex lege, quam ipsi recipiebant, Deuter. 28. & quia nihil crebrius inter Iudæos audiebatur.

Quia cum Muliere loquebatur.] Non mirantur, quod loquatur cum muliere; sed quod loquatur cum Samaritana, & paupere. Ita Chrysost. Cyrillus: non enim, ut nonnulli, simulatione sanctitatis collocutionem cum mulieribus evitabat; sed misericordiam suam omnibus praebebat; &c. Mirantur igitur, ut aiunt isti Sancti, benignitatem Christi, & humilitatem. Augustinus, *Bonum mirabantur, non malum suspicabantur.* Hoc etiam admirauerunt Erasmus, Iansenius, Titelmanus, Montanus.

Nemo tamen dixit.] Videlicet propter reverentiam: videbant enim nihil enim facturum, quod non esset recte, & sapienter factum.

Numquid ipse est Christus?] Non dubitat ipsa, sed ex eius operibus prudenter rem alii reliquit iudicandam: non enim crederent, si diceret se inuenisse Christum, ut ait Cyrilus; sed inuitat eos ad videndum, quoniam inde credituros esse scit, ita Philippus Ioan. 1. *Veni,* & vide.

Ego cibum habeo manducare.] Id est, cibum præstantiorem, & mihi longe dulciorum manducaturus sum. Est autem phrasis Græca, quam & Latini imitantur, ut verbum ἔχω, id est, *habeo* cum infinitivo significit idem, quod *possum*, aut *debo*: ut *habeo ostendere*; id est, ostendendum mihi est. Sed nos melius imitamur; ita enim dicimus, *Ostro manjar tengo yo de comer.* Ita intelligitur illud Ioann. 16. *Multa habeo vobis dicere; muchas cosas os tengo de decir.* Vocat autem *cibum suum* glorifica- Cibus Christi- tionem Patris sui, & conuersationem animarum; quoniam illa delecta- si quia tur, & quasi alitur, & pingue scit.

Vt perficiam opus eius, &c.] Id est, ut perficiam id, quod per me fieri voluit, nempe salutem animarum.

Nonne vos dicitis, quod quatuor menses sunt?] Phrasis Hebraica est, *albuc quatuor menses*, &c. Id est, cum transierint quatuor menses, erit tempus metendi, ut Iona 3. *Adbuc quadraginta dies, & Ninive subuerteretur.* Ex hoc loco constat apertissime id, quod probauimus in illis verbis, & abit iterum in Galileam, nempe breuissimum tempus, & paucissimos dies interfluxisse inter aduentum Domini in Iudeam terram, de quo cap. 3. & eius redditum in Galileam, de quo cap. 4. ita ut redditus ille non potuerit esse, qui refertur, Matth. 4. post vinculum Ioannem: nam Dominus in Pascha fuit in Hierusalem; id est, mense Martij. Cum autem hic quatuor menses restare dicantur usque ad messem, videtur omnino profectus ex Iudea ad finem Martij, vel initio Aprilis: quare falsum est, quod scribit Iansenius, cap. 23. & 36. hoc quod modò, contigisse circa Decembrem, & Nouembrem: quoniam messem apud Iudeos fuisse inter Pascha, & Pentecosten dicit fatis constare ex Leuitico, & Deuteronomio, nec tamen loca indicat: quare existimat, post Pascha Dominum reuersum esse secundò in Iudeam, & ibi mansisse octo, vel nouem menses; id est, usque

que ad Decembrem anni sequentis. Idem sentit hic Caiet. & Claudius, & Hugo Cardinalis. Et idem omnino sentire videtur S. Thomas; quoniam existimant, hoc, quod modò dicitur, contigil se hyeme. Sed hoc, quod nos dicimus, confirmat Cyrilus; dicit enim, hoc tempus, de quo modò loquitur Ioannes, fuisse initium veris: & Albertus Magnus hic, ait fuisse circa Martium, vel Aprilem; quia Iunio, vel Iulio metitur in Terra promissionis, quæ est medij climatis. Montanus etiam dicit, hoc factum esse in fine Martij. Atque hoc ipsum aperte colligitur ex eo, quod tempore Paschæ frigus erat, & calefaciebat se ad prunas. Ioan. 18. non ergo erat ita calida hæc regio, ut isti autores putant. Et Hieronymus Aggæi 2. in illis verbis, Ponite corda vestra, docet Pascha Iudeorum celebrari incipiente veris exordio. Neque obstat, quod Leui. 23. mentio sit de messione segetum in festo Pentecostes: nam idem dicitur ibidem de Pascha, quo tempore fieri non poterat, ut segetes miterent; sed, ut ibi ait Lyra, tuac colligebant spicas magis appropinquantes ad maturitatem, quæ inueniebantur non ubique, sed in terra fortis Nepthalim iuxta Hebraeos. At vero aliter & melius respondendum est ex 23. cap. Exodi, ex quo melius omnia explicantur; tres ibi solemnitates præcipue commemorantur, prima; id est, Pascha tempore mensis nouorum; siue, ut vertit idem Interpres, Exod. 13. mense nouarum frugum, in Hebreo est mense abib: id est, mense, quo omnia iam virent: nam abib significat virens, ut Exod. 9. ed quod hordeum esset virens. Significat etiam hoc nomen culmum virenum cum spica: & ideo dicitur; mensis nouarum frugum; quia tunc iam culmi hordei habebant spicas, & ex illis spicis virentibus metebantur, quæ pleniores erant, torrebanturque igne, ut arcerent, ut docet Ioseph. 3. antiquit. cap. 10. Secunda solemnitas erat Pentecostes mense Maio, & tunc offerebantur primitæ omnium fructuum, & duo panes ex primitiis tritici; sed, ut ego arbitror, similiter torrebantur spicæ virides maturiores, ut in hordeo diximus: nam neque tunc esse tempus triticea messis constat ex eo, quod tertia solemnitas, quæ erat Tabernaculorum, fiebat in fine Augusti, siue initio Septembri; iuxta omnium sententiam. Et tamen de hac legimus, Exod. 23. Solemnitatem quoque in exitum anni, quando congregaveris omnes fruges tuas de agro. Per exitum anni intelligit finem Augusti; quoniam annus communis Hebreorum incipiebat mense Septembri; licet quantum ad solemnitates inciperet mense Martio, qui apud eos dicitur טבנָן. Ex his patet verè esse sententiam, & supputationem prædictorum authorum, quæ tota hoc fundamenta loci Leuitici nitebatur.

Lenate oculos vestros.] Id est, temporalis messis nondum tempus est, sed spiritualis messis iam tempus aduenit: considerate Samaranos, nunc ad me exeuntes, & videbitis iam homines maturos esse prædicationi Euangelij, sicut messes albæ aptæ sunt ad messem: ideoque nihil iam superesse, nisi ut operarij mittantur, qui metant. Ita accepit

*Metitur in
Iunio, vel
Julio in
Terra pro-
missionis.*

*Pentecostes
solemnitas.*

*At Taber-
naculorum.*

*Annus co-
muni apud
Hebreos in-
cipiebat
mense Sa-
ptembri.*

acceptit messem Matth. 9. *Messis quidem multa, operarij autem pauci.*

Et qui metit, &c.] Id est, non laborabunt sine mercede operarij: nam ut meliores fruges recondunt, quibus eo anno viuant: ita vos recondetis vobis fructus, quibus in æternam fruamini: nullo enim tempore peribunt, & est idem, quod dicit cap. 15. *Posui vos, ut eatis, & fructum afferatis & fructus uester maneat.* Atque ita intelligunt Chrysostomus hom. 23. & Cyrillus.

Vt & qui seminat, &c.] Cum fructus speratus colligitur, gaudet & qui seminavit, & qui merit: id est, gaudebunt Prophetæ, qui prima verbi Dei semina, in illo populo iecerunt; & Apostoli, qui fruges ex illo semine ortas messuerunt: & ideo ait, *alij laborauerunt & vos in labores eorum introiistis.* Ex quo patet, loqui Dominum hic de Iudæis, & de Samaritanis, qui etiam habebant legem, & multa de Messia audierant, sicut intelligimus ex verbo mulieris, *scio quia Messias venit:* sed ex hoc intelligi poterat, idem esse de cæteris nationibus sperandum.

In hoc enim est verbum verum.] Ut optimè ait Chrysostomus, hom. 33. tritum hoc erat proverbum inter Iudæos, quando alius labore, alius fructum reportabat, quod nunc in illis impletum dicit.

Saluator mundi.] Cum articulo est in Græco; id est, ille promissus, ut saluet, non unam gentem, sed mundum uniuersum. De sensu spirituali huius historiae vide Origenem, Augustinum, Bedam, Rupertum.

Ipse enim Iesus testimonium perlibuit.] Cum dixit, *exitus inde consequens videbatur ut diceret, & abiit in Nazaret patriam suam:* quia ramen non abiit; sed illa relista licet occurseret in via, transiit in Cananam Galilææ, quæ erat ultra Nazaret, tacitè redditus huius rei rationem; quasi diceret; noluit ire in patriam suam, sed per alios populos venit in Canam, quoniam ipse testatus est, se id facere propter incredulitatem Nazarenorum, à quibus contemnebatur. Quam rationem ipse postea reddidit eisdem Nazarenis, Lucae 4. *Vtique diceris mihi hanc similitudinem, &c.* ita intellexerunt hunc locum Cyrillus & Origenes tomo 17. & Chrysostomus hom. 34. & Euthymius, nisi quodd Chrysostomus, & Euthymius, patriæ Domini putat dici Capharnaum.

Propheta in sua patria, &c.] Intelligendum est hoc non semper, sed ut plurimum, ut ait Chrysostomus, hom. 34. Ratio autem huius contentus est Inuidia inter cines, qui dolent æqualem suum sibi præferri, tum etiam familiaritas: solemus enim, ut ait Cyrillus, quod tritum est, & quotidianum, etiam si magnum sit, pauci pendere. Vtraque ratio est Theoph. quod si aliquis in patria sua honoratur, minus honoratur, quam in aliena, ut aiunt Chrysostomus, & Theophylactus.

Excepérunt autem Galilei.] Non ergo post Pascha redicrat, ut Ianse-nius putauit.

Et erat quidam regulus.] Apud Græcos βασιλεὺς: id est, regius, sive regalis, & βασιλεὺς: id est, regulus; vna litera differunt: & ideo facile fuit variare Græca exemplaria, quæ nunc habent βασιλεὺς.

Tritum, &
quotidianū
parui pen-
ditur.

Vnde

Vnde multi vertunt, *quidam regius*, id est, de regia domo, sive Palatinus. Hieronymus, Isa. 65. in principio ait; *Regulus*, qui Græcè dicitur βασιλεὺς, quem nos de aula regia rectius interpretari possumus Palatinum: ita etiam legit Interpres Nicephori lib. 1. histor. c. 24. Vocat enim regium hominem, similiter Interpres Athanasij, in Synopsi diuinæ Scripturæ lib. 4. in principio: & Interpres Theophylacti, & Euthymius. In Origene, & Chrysostomo, & Cyrillo legimus Latinè *regulus*: sed non constat satis, utrum ipsi legerint, βασιλεὺς, an βασιλεὺς: licet Origenes & Chrysostomus magis videantur legisse βασιλεὺς: & ita legendum censem Caietanus, & Iansenius, cap. 24. Sed sine dubio in vetustissimis Codicibus habebatur sicut noster Interpres legit: non enim potuit rem apertissimam ignorare; id est, quomodo different hæc duo nomina Græca. Sed si in Græco sit βασιλεὺς, sive sit βασιλεὺς, optimè transtulit noster Interpres: utrumque enim vocabulum potest habere eundem sensum, quem significauit Evangelista: nam *Regulos* vocat noster Interpres, præfectos, & gubernatores prouinciarum, & urbium, quos Græci Persico vocabulo σάτραπας, appellant, vt Iosue 13. quæ in quinque regulos Philisthiim diuiditur, pro quo 70. vertunt in quinque Satrapias, & Iudic. 3. quos vocauerat regulos, vocat Satrapas, quinque Satrapas Philistinorum, cum in Hebræo idem sit vocabulum in his duobus locis, γένος σαρνε, iidem præfecti vocantur subreguli 3. Esdr. 6. 7. & 8. Præterea Chrysost. homil. 34. & Theoph. & Euthym. aiunt regulum, sive regium dici hunc, sive quod esset regij generis, sive quod aliqua principatus dignitate funderetur. Confirmatur ex translatione Syriaca, in qua pro regulo haberut *habet malcham*. Erat igitur iste præfetus, & gubernator urbis Capharnaum pro Herode Tetrarcha, & ideo dicitur *regulus*, quare nostram translationem sequuntur, non solum veteres Latini, vt Augustinus, Gregorius, homil. 28. in Euangelia, Beda, Rupertus, & S. Thomas; sed etiam Erasmus, & Pagninus vertunt, *regulus*: & ita etiam legisse videtur Eusebius Emissenus, in homiliis, quæ eius nomine circumferuntur. Ex quo patet, hunc fuisse non Ethnicum, vt Hieronymus existimasse videtur, Isa. 65. sed potius Iudeum, vt bene ait Iansenius, cap. 24, nam si Iudeus non esset, sed Ethnicus, non ita reprehendisset eum Dominus, quod modicam fidem haberet. Nonnulli putauerunt hunc esse Centurionem illum Matth. cap. 8. Quod sensisse videtur Irenæus lib. 2. contra hæres. cap. 39. quam opinionem hic meritò refellit Chrysostomus.

Nisi signa & prodigia, &c.] Credebat aliquo modo, alioqui non perteret ab eo salutem filio; sed non credebat perfectè, quia putabat necessarium esse, vt Dominus ad filium suum veniret, quasi non posset ibi eum sanare, ita Gregorius, hom. 28. & Beda, & alij, & propter ea dicitur postea, *credidit ipse & domus eius tota*; scilicet perfectè.

Filius tuus viuit.] Id est, sanus est, & mortis periculo liberatus: vt enim notant Montanus, & Iansenius, cap. 24. Hebræi, & Syri verbo,

verbo, viuendi, significant sanitatem, & restitutionem ex morbo, imò
vero significant liberationem à periculis, vt Psal. 68. *Querite Deum,*
& viuet anima vestra. Ezech. 16. *Dixi tibi, cum essem in sanguine tuo, vime.*
Inde *vinificare*, pro liberare, Genes. 12. *Et interficiet me, & te reseruabunt:* in Hebræo est, & *vinificabunt*: Psal. 40. *Dominus conservet eum, &*
vinificet eum.

Interrogabat ergo horam.] Videlicet, vt magis de miraculo constaret; nec videretur naturaliter factum: iam enim ipse crediderat, vt ait Euangelista. De sensu spirituali huius historiæ vide Origenem, Rupertum, & Gregorium homil. 28.

Hoc iterum secundum signum, &c.] Secundum signum fuit non simpliciter, sed in Cana: & ideo dicit, *Iterum*: dicit autem hoc, vt ait Chrysostomus, hom. 35. vt ostendat eorum incredulitatem, qui ad hæc signa non crediderunt, cum Samaritani crediderint sine signis. Quod si aliquis ex his verbis obiiciat, similiter debere intelligi illud cap. 2. *hoc fecit initium signorum Iesu*, videlicet non fuisse primum simpliciter, at primum in Cana. Respondetur; nos negare illud miraculum fuisse primum in Cana; sed dicimus fuisse primum & in Cana & simpliciter. Et ratio est, quoniam tunccepit esse hominibus ostendere: nec legitur usque ad id tempus aliud signum fecisse, nee opus erat. At hoc miraculum Regali fuit secundum in Cana: sed meritò fuisse negamus secundum simpliciter, quia ex cap. 2. &c. constat nobis, alia miracula fuisse facta in Hierusalem.

Ribera in Euang. Ioan.

R SAN




 SANCTVM
 IESV-CHRISTI EVANGELIVM
 SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T V.

1. **P**O ST hæc erat festus dies Indeorum, & ascendit Iesus Ierosolymam. 2. Est autem Ierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicæ Bethsaïda, quinque porticus habens. 3. In his iacebat multitudine magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. 4. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in piscinam; & mouebatur aqua. Et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ, sanus siebat à quacumque detinebatur infirmitate. 5. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate sua. 6. Hunc cum vidisset Iesus iacentem, & cognovisset quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri? 7. Respondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam: dum venio enim ego, aliis ante me descendit. 8. Dicit ei Iesus: Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. 9. Et statim sanus factus est homo ille: & suscepit grabatum suum, & ambulabat. Erat autem sabbatum in die illo. 10. Diebant ergo Iudei illi qui sanatus fuerat: Sabbatum est, non licet tibi tollere grabatum tuum. 11. Respondit eis: Qui me sanum fecit, ille mihi dixit: Tolle grabatum tuum, & ambula. 12. Interrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum, & ambula? 13. Is autem, qui sanus fuerat effetus, nesciebat quis esset. Iesus enim declinauit à turba constituta in loco. 14. Postea inuenit eum Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es: iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. 15. Abiit ille homo, & nunciauit Iudeis quia Iesus esset, qui fecit eum sanum. 16. Propterè persequebantur Iudei Iesum, quia hæc faciebat in sabbato. 17. Iesus autem respondit eis: Pater meus usque modo operatur, & ego operor. 18. Propterè ergo magis querebant eum Iudei interficere: quia non solum soluebat sabbatum,

sed

sed & patrem suum dicebat Deum, e qualis se faciens Deo. Respon-
 dit itaque Iesus, & dixit eis: 19. Amen, amen dico vobis, non po-
 test Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facien-
 tem: quemcumque enim ille fecerit, haec & Filius similiter facit. 20.
 Pater enim diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quae ipse facit:
 & maiora his demonstrabit ei opera, ut vos miremini. 21. Sicut
 enim Pater suscitat mortuos, & vivificat: sic & Filius, quos vult,
 vivificat. 22. Neque enim Pater iudicat quemquam: sed omne iu-
 dicium dedit Filio. 23. Ut omnes honorificant Filium, sicut hono-
 rificant Patrem; qui non honorificant Filium, non honorificant Pa-
 trem, qui misit illum. 24. Amen, amen dico vobis, quia qui ver-
 bum meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam eternam,
 & in iudicium non venit, sed transiit a morte in vitam. 25. Amen,
 amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando mortui au-
 dient vocem Filii Dei: & qui audierint, vivent. 26. Sicut enim
 Pater habet vitam in semetipso: sic dedit & Filio habere vitam in
 semetipso: 27. Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius
 hominis est. 28. Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes,
 qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei: 29. Et proce-
 dent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae: qui vero mala ege-
 runt, in resurrectionem iudicij. 30. Non possum ego a meipso facere
 quidquam. Sicut audio, iudico: & iudicium meum iustum est: quia
 non quero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit
 me. 31. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium
 meum non est verum. 32. Alius est, qui testimonium perhibet
 de me: & scio quia verum est testimonium, quod perhibet de
 me. 33. Vos misistis ad Ioannem: & testimonium perhibuit ve-
 ritati. 34. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed
 haec dico ut vos salvi sitis. 35. Ille erat lucerna ardens, & lu-
 cens. Vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. 36.
 Ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Opera enim, quae
 dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipsa opera, quae ego facio, te-
 stimonium perhibent de me, quia Pater misit me: 37. Et qui
 misit me Pater, ipse testimonium perhibuit de me: neque vo-
 cem eius umquam audistis, neque speciem eius vidistis. 38.
 Et verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem misit
 ille, huic vos non creditis. 39. Scrutamini Scripturas, quia vos
 putatis in ipsis vitam eternam habere: & ille sunt, quae testi-

monium perhibent de me : 40. Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis. 41. Claritatem ab hominibus non accipio. 42. Sed cognoui vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis. 43. Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me : si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. 44. Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis; & gloriam, que à solo Deo est, non queritis? 45. Nolite putare quia ego accusaturus sum vos apud Patrem, est qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. 46. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi : de me enim ille scripsit. 47. Si autem illius litteris non creditis : quomodo verbis meis creditis?

I N C A P V T V . S A N C T I
IESV CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,
C O M M E N T A R I A.

Posse hoc erat dies festus Iudeorum.] Inter historiam cap.4. & hunc ascensum in Iudeam multa Iansenius facta esse existimat, quæ undecim capitibus interponit in sua Concordia. Nec mirum : pugnacissimè enim tuetur & certum, atque præcipuum esse dicit hunc diem festum esse Pascha sequentis anni, ex quo Dominus docuit in Hierusalem, & collocutus est cum Nicodemo ; ntituit illo fundamento, quod iam subuertimus, historiam Samaritanæ contigisse mense Decembri. Idem affirmsat Rupertus, imò & Irenæus etiam lib.2. contra hæreses c.39. Alij putant hunc diem festum fuisse tempore hyemali, vt Caietanus, & Cano lib. i t. de locis, cap.5. ad 6. Probat Cano ex Ioan.3. Post hac abiit in Iudeam terram, & illuc morabatur cum discipulis suis : Quæ vox multorum dierum moram significat in Scriptura. Ergo non potuit redire in Galilæam, & venire in Iudeam ante Pentecosten. Sed Respondeatur, verbo *morandi*, etiam breuem moram intelligi in Scriptura, est enim in Græco verbum μαρτιβω, quod significat morari : id est, conuersari. Probatur ex Ioan. 11. vbi post consilium Iudeorum de Christo interficiendo secessit Dominus in Circuitum Ephrem : & addit Euanglista, & ibi morabatur cum discipulis suis, proximum autem erat Pascha Iudeorum, &c. & tamen ante sex dies Paschæ venit Bethaniam, vt videmus cap. 12. Dicendum est igitur, hunc diem festum fuisse Pentecosten, quæ celebratur die quinquagesimo à Pascha. Atque ita docent Chrysostomus, homil.35. Cytilius, Theophylactus, Euthymius, Albertus Magnus, S.Thomas, & Magister in historia Euang. cap.81. & Lyra, & Montanus, & ipse historiae contextus comprobant : post Pascha enim rediit in Galilæam offensus inuidia Iudeorum, & paulò post cum instaret dies Pentecosten

costes redit in Iudæam, ut ait *Cyrillus*, qui ita omnino computat tempora, ut nos. Ex quo patet, nihil esse interponendum inter historiam cap. 4. & c. 5. Ascendebat autem Dominus his diebus Hierosolymam, ut & legem impleret, iubentem ter singulis annis apparere masculos coram Domino, Exod. 23. id est, in Pascha, in Pentecoste, in festo Tarbenaculorum. Deinde etiam ut multitudinem vnde confluenter doceret, ut ibidem ait Chrysostomas.

Est autem Hierosolymis probatica piscina.] Græci codices, quos nunc habemus, ita habent: *est autem Hierosolymis in probatica piscina:* & ita legunt omnes Recentiores, Erasmus, Pagninus, Caietanus, Isidorus, Clarus, Iansenius c. 36. Sixtus Senensis, lib. 7. biblio. hæref. s. in ultima responsione, & Montanus hic: dicunt etiam posse verti ad probaticam, siue super probatica: quoniam haec tria significat apud Græcos præpositio επι, quæ est hoc loco in Græco. Tradit autem Brocardus in descriptione terræ Sanctæ, vnam ex portis urbis, quæ dicitur *porta vallis*, quia ducebat in vallem Iosaphat, distare à Templo ad iactum lapidis versus aquilonem, & eadem dicebatur *porta gregis*, quod per eam introduceretur greges in Templo immolandi. Itaque intrantibus hanc portam ad sinistram occurrit piscina probatiua, in qua lauabantur hostiæ in Templo immolandæ; ad dexteram verò ostenditur alia piscina grandis, quæ dicebatur *piscina inferior*, facta olim ab Ecclesia. Idem fere ait Montanus in libello de situ veteris Hierusalem: hanc *portam gregis* putant quidam dicti *probaticam*; id est, pecualem, ut Montanus hic: ορθοτονον enim Græce significat *onem*: Alij *probaticam* esse volunt locum, in quo greges immolandi seruabantur, ut Euthymius. At nec portam, nec locum dici *probaticam*, sed ipsam piscinam, ut habet nostra translatio, apertissime docet Hieronymus, in locis Hebraicis, ubi ita ait. *Betesda piscinam Hierusalem, que vocabatur probatica, & à nobis interpretari potest pecuialis*: Sicut habet nostra trāslatio, legimus in Chrysostomo, & in Cyrillo, licet ipsi non indicent, quid legerint: Theophylactus tamen apertissimè indicat, & legit ut nos. Cæterum pro *piscina* est in Græco χελυμβήτη, id est, *natatorium*, à verbo χελύμβητι, quod est *natare*, ut cap. 9. *Vnde in natatoria Siloe*; ubi in Græco est idem vocabulum. Quare in nomine *piscina* intuenda est res, quam significat; id est, *lacus*: non autem vnde impositum fuerit ad significandum enim habet pisces: *probatica* autem vnde dicatur, docet Hieronymus in locis Hebraicis: ostenduntur, inquit, gemini lacus; quorum unus hibernis planis adimpleri solet, alter mirum in modum rubens, quasi cruentis aquis, antiqui in se operis signa testatur; nam hostias in eo lauari à sacerdotibus solitas ferunt: vnde & nomen accepit. Hieronymum in hac re sequuntur omnes, qui nostram translationem sequuti sunt. Vnde falsum videtur, quod ait Sixtus Senensis loco citato, hanc piscinam extructam esse, ut esset receptaculum aquarum, quæ fundebantur ex mari æneo, in quo lauabantur Sacerdotes, & ex conchis, in quibus lauabantur victimæ, & veniebant per subterraneos meatus: nam si ita esset, cur potius diceretur *probatica*,

Porta val-
lis.

Quæ & por-
ta gregis.

quām sacerdotalis, aut alio nomine: Neque obstat rationi horū authōrū, decem conchas fuisse, in quibus lauabantur omnia, quæ offerenda erat in holocausto, 2. Paral. 4. Respōdetur enim ex Lyra hīc; prīmō ablūtas fuisse victimas in piscina, quæ erat extra templum, deinde in istis conchis, quæ erant in atrio Sacerdotum, in atrio offerendæ.

De nomine Hebraico maior est difficultas: nonnulli enim putant nō esse legendum Bethsāida, sed Betheder; id est, *domus gregis*. Interpres Euthymij legit Bethsāida; vt habent Latini codices, & interpretatur esse domum pīscationis, quoniam Βῆθσαΐδα significat Chaldaicē pīscationē: sed obstat, hoc nomen nō videri significare pīscationē, sed venationē, aut cibum. Vnde Bethsāida Cīuitas Petri vertitur *domus venationis*. Præterea cūm hāc pīscina nulos pisces haberet, ostendendum erat, quādam nomina apud Hebræos dici per antiphrasim. Nihilominus non est prorsū improbabilis hāc sententia, sed multō melius videretur mihi legendum esse Bethsāida; id est, *domus misericordia*: quoniam ibi homines sanabāntur; vt ait Montanus lib. de situ veteris Hierusalem: nam & nō men optimè conuenit, & Hieronymus legit Bethsāida: & ita habent Græci codices omnes. Significat autem בֵּת beth idem, quod *domus*; בְּתַד & besed idem, quod *misericordia*: nam prima litera huius nominis, quæ apud Hebræos dicitur בְּחֵת Chet, sāpē apud Græcos & Latinos vertitur in alīpitationem; vt videamus in nomine *Rahab*, & in *Bethlēhem*. De huius pīscinæ magnitudine frater Antonius Medina in lib. de terra Sancta scribit, longitudinem fuisse ducentorum ferē passuum, latitudinem sexaginta; profunditatem verò triginta pedum. Addit nunc continere aquam, quæ defluat per imum foramen, & ibi esse templum quoddam dirutum, habens septem annorum indulgentiam, traderéque indigenas Christianos post hunc paralyticum neminem ul̄trā fuisse in ea satum, nec descendisse præterea Angelū. Atque idē fortassis eius non ineminit Iosephus, quod iā pridem suo tempore defecerat: nam in Veteri Testamento arbitror propter eā eius mentionem non fieri, quod eo tempore nondum fuerit.

Aridorūm.] Id est mancorum: ἐγρῆς enim Græcc, quo vocabulo hīc vtitur Ioannes, *mancum* significat, quod manum habet inutilem, & quasi aridam.

Angelus autem Domini.] Cyrillus ait hoc fieri solitum die Pentecostes: sed Titelmanus, & Ianuenius cap. 36. probabilitus putant, Angelum descendisse non semel singulis annis, sed tāpius, & incertis tamen temporibus: & idē spectabat ægroti: nam si tempus illud suisset cognitū, & certum, non affuissent ægroti, nisi certo illo die, & iste paralyticus aut quæsuisset aliquem, à quo illo die mitteretur in pīscinam, aut non ad eam venisset; affirmat enim Chrys. semper ibi mansisse, quod etiam mihi videretur probabilitus, & ita ait Euthymius.

Vis sanus fieri?] Cur interrogat quod est apertissimum? Respondebat Cyrillus, prīmō vt cupiditate valetudinis ad petendum incenderet. Secundō, vt erigat eius animum ad credendū præstari id à Christo posse. Tertiō,

Tertiò, vt paratiorem ipsum reddat ad suscipiendum hanc gratiam.

Declinavit à turba constituta in loco.] Id est, in porticibus illis piscinæ; declinavit autem, vt aiunt Chrysostomus hom. 36. & Theophylactus, vt testimonium miraculi à paralytico reddendum minus suspectū fieret, absente eo, qui fecerat: deinde, ne præsentia sua magis irritaret inuidiam Pharisæorum: fecit etiam in exemplum laudis humanæ fugienda. In Græco est; *declinavit turba existente in loco: id est, quia multa turba erat in loco illo: vt plane exponit Euthymius;* nec aliter legisse videtur Cyrilus. Quare valde probabile est, quod ait Iansenius c. 36. præpositionem *A*, hoc in loco significare propter, vt sæpe notauiimus, *A propositio-*
vt Oſeæ, 9. *Ecce enim profecti sunt à veritate.* *propter.*

Inuenit eum in templo.] Scilicet gratias Deo agentē, vt probabile est. Ita Euthymius.

Iam noli peccare.] Hinc colligunt Sancti, morbos sæpe à Deo immiti propter peccata. Vide de hac re Chrysostomum hom. 37.

De hac historia, & quomodo piscina sit typus Baptismi, agunt hic omnes. Vide Cyrilum, Chrysostomum, & Augustinum, & Ambrosium, lib. de iis qui mysteriis initiantur cap. 4.

Pater meus usque modò operatur.] Quoniam Ioannes studet ubique Filij diuinitatem ostendere; ideo relictis responsionibus, quibus aliis temporibus usus est Dominus, cum ei violatio sabbati obiiciebat, hæc elegit, ex qua Iudæi intellexerè Christum affirmasse se esse æqualē Patri, vt notat Cajetanus, & Iansenius. Ostendit autem Dominus se non posse accusari, nisi simul quoque patrem suum accusare velint, & alludit ad rationem Exodi 20. non esse sabbato operandum, quia eo die requieuit Deus ab opere suo. Est igitur hæc responsio; si putatis me male fecisse, quoniā sabbato requieuit ab opere, male Scripturā intelligitis: requieuit enim à productione nouarū specierum, non ab administratione, & conseruatione earum, quas produxerat: nam in hac semper operatus est, & hoc ipso sabbato operatur: sole enim hodie oriti fecit, fontes fluere, plantas germinare. Cur igitur reprehenditis me, per quem hæc omnia Pater operatur? Ita Chrysostomus hom. 37. & Cyrilus, & August. tractatu 17. quos sequuntur recentiores. Sed est aliquid huic expositio ni addendū, quasi dicat: hoc opus non potestis negare diuinæ esse virtutis, quod à Patre meo factum est; cum igitur ille hodiè operatus sit, cur me reprehenditis qui simul cum illo operatus sum? Ita Montanus, & quidem optimè. Potest & aliter suppleri hæc ratio: Pater meus usque modò operatur, in conseruatione rerum creaturarum; & ego similiter feci, conseruans hunc hominem, & restituens ei salutem. Et ideo ex his verbis Iudæi intellexerunt acutissimè, & rectissimè, vt ait Chrysostomus, id, quod Ariani numquam intelligere potuerunt, Christum dicere se prorsus æqualem Patri esse. Primo, quoniam dicit, se operari omnia, quæ Pater operatur: secundò, quoniam dixit cum articulo *Pater meus*, vt notat Cyrilus, ostendens aliter vocare Patrem suum, quam patrem aliorum; & ideo ait, sed

Arianorum stupor, & heresis.

& Patrem suum dicebat Deus; nam ubi habemus suum, est in Greco istud est, proprium.

Soluebat sabbatum.] Luxta falsam eorum existimationem, &c.

Eiusdem eiusdem substantiae cum Pater. Non potest Filius a se facere quicquam.] Explicat, quod dixerat, se eadem operari cum Patre; quasi dicat; ne miremini, quod id dixi; nam si duo sint diversae naturae; etiam si coniunctissima inter se videantur, potest alterum ex vi naturae sue operari altero non operante, aut aliud operante: at ego, quia eandem habeo cum Patre substantiam, ab illo acceptam per aeternam generationem, non possum a me ipso quicquam facere; sed cum intimè penetrem Patris substantiam, video quicquid ipse facit, & ego idem similiter facio. Itaque, ut recte notant Chrysostomus, & Cyrillus, & Euthymius, istud non posse non est imperfectio in Filio, sed maximè indicat eius perfectionem, id quod sit eiusdem substantiae cum Patre: non enim dicit, ut notat Cyrius, non potest facere nisi quod Pater concederit, sed nisi quod viderit Patrem facientem: visio autem non maiorem potentiam praebet, sed tantum cognitionem indicat, &c.

Dilectio Patris quomodo ponatur pro causa demonstrandi filio omnia, quæ facit; pro causa demonstratur. In quibus explicandis, vehementer laborant autores. S. Thomas dicit non ponit dilectionem, ut causam, sed ut signum que facit.

Pater enim diligit filium.] Maxima hinc oritur difficultas, quomodo Patris dilectio ponatur pro causa demonstrandi filio omnia, quæ facit; & quomodo ei, qui nouit omnia ab aeterno, maiora opera sit Pater demonstratur. In quibus explicandis, vehementer laborant autores. S. Thomas dicit non ponit dilectionem, ut causam, sed ut signum à posteriori; quasi dicat, dilectio Patris erga Filium, est signum, quod illi Pater omnia demonstrat, & suam naturam & potestatem communicat.

Sed obstat, quod verè ponitur, ut causa: nam ait, *Pater enim diligit Filium.* Caietanus ita exponit: *In Deo non est causa & effectus, sed si esse posset, dilectio esset causa, quod pater omnia Filio demonstraret; id est, nihil faceret filio nesciente: sicut immutabilitas in Deo non est causa aeternitatis; sed si causam haberet aeternitas, ea esset immutabilitas.* Sed haec expositio non videtur vera; quoniam iuxta Augustinum tract. 21. & Cyrrillum, demonstrare Filio omnia, est dare illi suam essentiam per generationem: non potest autem dilectio intelligi ut causa huius donationis, sicut nec generationis ipsius. Propterè præter superiore sensum possumus alium afferre valde probabilem; ut haec omnia de Filio intelligentur, non solum quatenus Deus est, sed etiam quatenus humanitatem habet assumptam in unitatem personæ; ac si diceret: miramini, quod paralyticum sabbatho sanauerim: feci id, quod Pater & fecit, & per me fieri voluit; quoniam etiam Filius Dei sum ei consubstantialis, & mea humanitas est coniunctum instrumentum Divinitatis meæ, & ab ea regitur, & mouetur: nihil facere possum etiam quatenus homo, nisi quod video Patrem operari velle per me, & ita facio; cum enim Pater Filium suum hominem factum diligat, & ab omnibus agnosci, atque honorari cupiat, omnia, quæ facere vult ad ostensionem suæ maiestatis, & ad salutem hominum, ei demonstrat; id est.

id est, ostendit & velle se, ut illa eo tempore per ipsum stante. Et ita licet magna miracula à me fieri videritis his diebus; maiora tamen videbitis postea, cùm tempus venerit, quo Pater ea fieri velit per me, ut magis admiremini Filij maiestatem, adeò vt quomodo Pater suscitat mortuos tam corpore, quam spiritu, sic & Filius vivificaturus sit liberè, & pro voluntate sua, quos voluerit. Iste sensus videtur mihi commodissimus: Primum, quoniam illi non Deum calumniabantur, sed hominem, quod sabbatum solueret; & quod Deo se aequaliter faceret: & idē ad eorum accusationem fuit respondendum. Secundò, quoniam Christus ita frequenter loqui solet ad hunc sensum, quem diximus, vt cap. 7. *Mea doctrina non est mea, sed vices qui me misit:* & c. 8. *Et à me ipso facio omnino nihil, sed sicut docuit me Pater, hac loquor,* &c. Tertiò, quoniam de Patre loquens virtutem præterito tempore, cùm autem loquitur de se, vtitur præsenti: ita enim, *quacumque ille fecerit, hec similiter & Filius facit.* Quartò, quoniam haec verba, *videre, demonstrare, & docere*, ad hunc sensum, quem diximus, valde propriè accipiuntur: nam filium quatenus *Deum* doceri à Patre non ita propriè dici videtur. Et ita intellexit Interlinealis, cuius verba sunt: *Filius secundum hoc, quod est homo, nihil potest nisi quod Pater dat & docet.* Præterea satis ostenditur, haec de Christo homine dici, cùm ait: *omnia demonstrat ei, que ipse facit, & maiora his demonstrabit,* que non est dubium intelligi de operibus à Christo homine factis. Vnde Augustinus, tract. 21. fatetur, iam hic Christum loqui de se quatenus homo est: quare sicut intelligitur, *& maiora his demonstrabit*, ita intelligi debet illud, *omnia demonstrabit ei, & illud, non potest facere, nisi quod viderit Patrem facientem.* Quod est, maiora ei demonstrabit, maiora opera & mirabilia per ipsum faciet: docuit enim eum Pater ab initio suæ conceptionis, quid facturus esset per ipsum in salutem hominum, & quo tempore quidque esset faciendum. Itaque dicit, *demonstrabit*, quia tunc dicitur res fieri, cùm hominibus innoteſcit: licet enim ab initio conceptionis nosset illa omnia; quia tamen singula postea faciebat ex voluntate Patris, ita loquitur Scriptura, ac si tunc cognosceret Dominus Patris voluntatem. Itaque tempus futurum non ponit nouam cognitionem in Christo, sed significat nouitatem operum faciendorum: *Videre ergo patrem facientem, & cognoscere, que Pater facere vult in salutem hominum per filium suum, & quo tempore illum facere velit:* dicitur autem facere antequam faciat, quia vult facere; est enim ipsius voluntas certa, & immutabilis, & ideo reputatur perfecta: & ita loqui solet Scriptura, vt Actuum 13. *quia opus operor ego in diebus vestris; opus, quod nemo credit, &c. operor;* id est, operari decreui; & Ioan. 4. *Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam eternam;* id est, sine dubio accipiet; & congregabit. Atque ex his verbis iuxta hunc sensum similiter ostenditur consubstantialitas filij: nam si Christus quatenus homo non potest à se quicquam operari, nisi quod Deus operatur; hinc patet, personam operantem esse diuinam, & humanitatem assum-

Ribera in Euang. Ioan.

*Res atque
fieri, cùm
hominibus
innoteſcit.*

*Dei volun-
tas certa
& immuta-
bilis.*

ptam esse in unitate personæ; quoniam nullum opus exit ex ea, nisi operante diuina persona. Tota huius loci expeditio videtur etiam optimè probari ex eo, quod postea dicit; *opera enim qua dedit mihi Pater, ut perficiam ea, ipsa opera qua ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me*, quæ Cyrillus ibi docet de Christo homine posse intelligi.

Nec enim Pater iudicat quenquam.] Iuxta Cyrrillum non redditur nunc ratio proximorum verborum; *sicut enim Pater suscitat mortuos, &c.* Sed nouum argumentum assert Dominus, quo se verè esse Deum ostendat; quod omnem iudicandi potestatem habeat, quæ solius Dei, iuxta illud Psal. *Iudica terram, surge Deus: & Psal. 74. quoniam Deus index est, hunc humiliat, & hunc exaltat.* Mihi videtur ratio reddi eius, quod dixerat, *quos vult viuiscat*, quod quoniam de vita animæ maximè intelligitur ait nunc; *nec enim Pater, &c.* id est, dixi me viuiscare, quos volo, & dixi, quoniam Pater dedit mihi omne iudicium non solum extreum, sed etiam, quod in hac vita peragitur, ut quos voluerim, reliquam, & relinquam in infidelitate, siue in peccato non illuminando eos, quod fecit Pater, ut omnes intelligent, quantum Filio Dei indigeant, & quantum eum reuereri debeant, in quo sita est omnium hominum salus, & gloria Resurrectionis reddenda corporibus iustorum: voluit enim non minus honorari ab hominibus personam filij, quam sui ipsius personam: quare qui Filium non honorat, is neque Patrem honorat, quia in Filio posuit Pater potestatem suam, & salutem hominum, ut ab omnibus honoraretur. *Quod autem ait, Pater non iudicat quenquam*, intelligitur scorsum à Filio, ut ait Lyra; id est, non iudicat Pater solus, sed iudicium exequitur per Filium, ut ipse in forma hominis apprens omnibus videndus omnes iudicet, & Pater ratum habeat quicquid ipse fecerit. Ita exponit late Augustinus, lib. 1. de Trinitate c. 13. De hoc iudicio, quod in hac vita fit, scriptum est Micheæ 4. *Et inducabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes: & in hoc capite, quos vult viuiscat: subintelligitur enim, & quos vult reclinquit in morte:* Et postea, *& in iudicium non venit, sed transiet à morte ad vitam:* & Actu. 16. Tentabant ire in Bythiniam, & non permisit eos spiritus Iesi. Possumus etiam ita exponere cum Iansenio c. 37. nō est mirum Filium habere potestatem viuiscandi mortuos, quæ est propria Dei, ut sit argumentum à pari: sed mihi magis placet, quod anteā dixi.

Qui verbum meum audit, &c.] Exponit, quosnam sit viuiscaturus, credentes scilicet in se; quia enim ita, ut Christus vult, credit, habet vitam æternam; id est, accipit gratiam, quæ est certissimum pignus vitæ æternæ; quibus verbis tacite etiam subindicat, qui sint in morte relinquendi, ut auditores timeant, & credant.

Et in iudicium non venit.] Quamuis hoc intelligi potest de æternio iudicio, melius tamen, ut ipsa verba indicant, intelligitur de iudicio, quo homines increduli relinquuntur in sua infidelitate, & in tenetris peccatorum; & ideo ait statim, *sed transiet à morte in vitam;* id est, à peccato ad vitam gratiæ. In Græco est, *transit;* & ita legit Augustinus

stius, tract. 19. & nonnulli Græci; licet Euthymius videatur legisse in futuro: & ibidem Augustinus ita exponit, ut nos. Quæ expositio probatur aperiè ex 1. Ioan. 3. *Nos scimus, quia translati sumus de morte ad vitam; quoniam diligimus fratres: & ex verbis sequentibus, venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei.*

Quando mortui audient vocem Filij Dei.] Audient scilicet per fidem, Fides est initium salutis, & iustificationis; & quia iam hoc fiebat multis creditibus, ait, venit hora, & nunc est; id est, iam incipit hoc tempus. initium salutis, & iustificationis.

Viuem.] Scilicet vita gratiæ.

Sicut enim pater, &c.] De hoc diximus c. 1. in illis verbis, *in ipso vita erat.*

Et potestatem dedit ei iudicium facere.] Nonnulli volunt hic finiri sententiam, & nouam ita incipere, *quia Filius hominis est, nolite mirari hoc, &c. vt Chrysostomus, hom. 38. & Theophylactus, & Euthymius;* quoniam Paulus Samosatenus affirmans Christum esse purum hominem, terminabat sententiam in illis verbis, *quia Filius hominis est.* Est itaque sensus iuxta ipsos, & quidem satis probabilis; licet videatis ipsum esse Filium hominis; id est, hominem, nolite mirari datam illi esse potestatem iudicandi: nam ita est Filius hominis, vt sit etiam Filius Dei. Vnde statim ait, *audient vocem Filij Dei.* Sed sine dubio optime fit distinctio vt habemus in codicibus Latini, *potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est:* ita legit Cyrillus, & Augustinus, tract. 19. & 1. de Trinitate c. 13. & Beda, & Rupertus, & Glosa vtraque, ac denique communis opinio Latinorum. Exponit autem Augustinus locis citatis, & Cyrillus, & ceteri authores accepit potestatem iudicandi, *quia Filius hominis est:* nisi enim factus esset homo, non indigueret a Patre accipere, cum ipse quatenus Deus, & Patri æqualis eam habeat, vt si diceremus, Christus, quia homo est, visibiliter apparebit in iudicio; quoniam nisi homo esset, non posset oculis corporeis videri. Accepit autem hanc potestatem iudicandi, quia oportet, iudicem ab omnibus, qui iudicandi sunt, videri: & mali non possent eum videre, nisi esset in forma corporea, & visibili. Caieranus, & Iansenius exponunt ita, cum dicit, *potestarem dedit ei iudicium facere;* loquitur de iudicio sensibili. Tota enim Trinitas iudicabit authoritatem, vt ait Lyra, & solus Christus executiū; quare tale iudicium non potest fieri, nisi per Christum; quia solus ex tribus personis est homo, & solus videri potest ab omnibus iudicandis, quæ expositio optima est. Illa autem quorundam explicatio, *quia homo fieri voluit, ideo dedit ei Pater potestatem iudicandi,* non est recipienda: nam Filius Dei ex eo, quod homo fieri voluit, nihil mereri potuit, sed postquam factus est homo.

Nolite mirari hoc.] Scilicet datam esse mihi hanc potestatem iudicandi, vt plerique dicunt: vel, vt ait Montanus (& mihi magis placet) iustificandi animas per peccatum mortuas, quoniam potestatem habeo, uno verbo excitandi omnes mortuos in extremo iudicio, & reddendi unicum iuxta opera sua. Hoc saepe repetit, vt ait Chrysostomus, vt ipsos exterreat, & ad credendum adducat.

Audient vocem Filij Dei.] Videlicet quā per Archangelū edet 1. ad Thes. 4. *Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce. Archageli, & in tuba Dei descendit.*

det de celo. 1. Corin. 15. In momento, in iectu oculi in nonissima tuba: Matt. 24. Mittet Filii hominis Angelos suos cum tuba, & voce magna.

Resurreccio duplex.

In resurrectionem vite.] Tam boni, quam mali resurgent, sed valde dispari sorte. 1. Corinth. 15. *Omnis quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur:* ideo in Scriptura ponitur duplex Resurrectio, altera bonorum, & haec dicitur *Resurrectio vite;* id est, vitalis, semper viuens, & nihil habens admixtum mortis & doloris: nam Resurrectio malorum vitam quidem habet; sed vitam omni morte deteriore, & acerbiorum. Atque iuxta hanc phrasim fortassis dictum est. 1. Ioan. 2. *Superbia vite;* id est, superbia semper viuens, quae nullis calamitatibus frangitur, aut humiliatur: dicitur etiam haec *Resurrectio iustorum; Retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum.* Altera dicitur *Resurrectio iudicii;* id est, damnationis, hoc est, quae semper in damnatione, & poenis manebit. Ex his intelligitur optimè illud Ps. 1. *Ideo non resurgent impi in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum:* non enim negat malos resurrecturos esse: sed resurrecturos in resurrectione iustorum.

Non possum ego à me facere quicquam.] Nec verò putetis, me in hoc iudicio viuificandi animas, & mortuos excitandi, & iudicandi omnium merita, male iudicaturum, aut per affectus humanos, aut per ignorantiam: nihil ex me facio, sed omnia ex voluntate, & consilio Patris, sicut ille me docet, & sicut ab ipso audio, ita nunc iudico merita hominum, & ita postea iudicaturus sum; atque ideo errare non possum, quia sequor in omnibus regulam veram; id est, Dei voluntatem. Haec dicit, ut per terrorem eos adducat, cum videant habere eum plenam scientiam, & iustitiam, & potestatem ad iudicandum.

Si ego testimonium de me ipso perhibeo, testimonium meum non est verum, &c.] Quoniam grandia, & magnifica dixerat, ostendit irrefragabilibus testimoniosis vera esse omnia: non enim, inquit, ego de me testificor, sed alias testificatur de me; id est, Ioannes: & ideo ait statim; *Vos misstis ad Ioannem.* Cyrillus de Patre intelligit, & possumus rectè intelligere de trôque. Sed illud est difficilius, quomodo testimonium Christi de se possit non esse verum, præsertim cum contrariū dicat c. 8. *Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est.* Respôdetur; duplēcē esse sensum huius loci: prior est; vos dicturi estis falsum esse, quod de me dico, quia meum est testimonium, quasi me laudare velim: ita enim dixerunt c. 8. *Tu de teipso testimonium perhibes, testimonium tuum non est verum:* probabo igitur aliorum testimoniosis. Itaque suū testimonium dicit non esse verum, iuxta eorū opinionem, licet in se verū esset. Ita Chrys. hom. 39. Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, S. Thomas, Interlinealis, Lyra, Titelmannus, Iansenius, c. 36. & alij. Posterior sensus est, si ego loquerer à me ipso; id est, quasi purus homo, non audiens prius à Patre, nec accipiēs ab eo, quod dicturus sum, nec querēs eius voluntatē, & gloriā, non esset verum testimonium meū. Ita exponit Caiet. & mihi videtur iste sensus probabilissimus: colligitur enim ex verbis Domini c. 8. *Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est Pater meus, qui glorificat*

me: & ibidem: *Si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui misit me Pater: & in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater. Quibus verbis rationem reddit illius dicti: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum verum est: Quasi dicat; propterea testimonium meum verum est, quia non loquor a me; sed loquor, ut Pater meus docet me loqui. Praterea aliud est loqui de se, aliud loqui a se. De se non solum Christus, sed etiam multi verè loqui possunt, a se autem nullus verè loquitur. Vnde Ioan. 8. ait Dominus, *Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur: quod ita ibi exponitur a S. Thoma; Solus Deus loquendo ex propriis, loquitur veritatem; veritas enim est illuminatio intellectus, & Deus est ipsum lumen, a quo omnes illuminantur. Vnde & ipsa veritas, & alij non loquuntur veritatem, nisi in quantum ab ipso illuminantur; & ideo omnis veritas, a quocumque dicatur, a Spiritu sancto est.* Atque ira conciliantur haec loca Ioannis.*

*Vos misistis ad Ioannem.] Quasi dicat, atque ita non potestis negare existimasse illius testimonium magni ponderis esse, & magnæ autoritatis. Ille igitur rogatus a vobis quis esset, testificatus est veritatem: respondit enim se non esse Messiam, sed Praecursorem Messiae iam inter vos versantis. Ego autem reduco vobis modò in memoriam testimonium hoc Ioannis, non ob meam utilitatem, quia nullius hominis ego testimonio, cum claritatem habeam apud Patrem, prius quam mundus fieret; sed, ut vos salvi sitis, & per eius verba manuducamini ad cognoscendam veritatem, sine qua salvi esse non potestis. Erat quidem ille magnus vir, quem vos merito magni fecistis: erat enim lucerna quædam, non suo, sed Dei lumine accensa, ardens per internam charitatem, & lucens per exteriorem doctrinam, & virtus exempla: vos autem exultastis, & lætati estis ad eius lucem; id est, eò quod tantus docto, & Propheta vobis datus esset, sed ad horam exultastis: citò enim eum contemnere cœpistis, dicentes dæmonium habere, & verbis eius minimè credidistis, Matth. 11. *Venit enim Ioannes, nec manducans, nec bibens, & dicunt, dæmonium habet: atque ideo recessit Ioannes ex Iudea, & venit in Samariam, & deinde in Galileam, quia iam Iudei parum recipiebant eius testimonium. Ita haec verba ultima intelligunt Chrysost. hom. 39. & Cyrillus, & Iansenius, & alij. Vide Cyrrillum lib. 3. c. 1. hic, ubi optimè haec exponit in laudem Ioannis Baptiste, affirmatque de eo dictum esse illud, Psal. 131. *Paravi lucernam Christo meo.* Vnde lucerna cum articulo ponitur in Græco, ut non quæuis, sed eximia lucerna significetur.**

*Ego autem habeo testimonium maius Ioanne.] In Græco est, *maius Ioannes:* quoniam illi genitiuis vntunt pro ablatiuis: & ita etiam legitur in nonnullis codicibus, & subauditur testimonio: & idem est sensus, etiam si legatur Ioanne, id est: *Habeo testimonium maius eo, quod reddi potest a Ioanne.**

Ipsa opera, que ego facio.] Non est inutilis repetitio; sed est ac si di-

Veritas illu-
minatio in-
tellectus.

Veritas à
quocumque
dicatur, à
Spiritu san-
cto est.

S. Ioannes
Baptista lu-
cerna quæ-
dam fuit,
Dei lumine
accensa.

cat, opera, quæ per me Pater fieri voluit in salutem hominum, quæ ego ita omnino facio, ut ille fieri voluit, &c. hoc testimonio operum quoniam efficacissimum est, saepe, vtitur, vt cap. 10. & 15. vii de illo dicemus; ait enim cap. 15. *Si opera non fecissem in eis, &c.*

Ipsæ testimonium perhibuit de me.] Videlicet in Iordanæ, cum audita est vox; hic est filius: nam Transfiguratio, ad quam etiam alij referunt, nondum facta erat.

Neque vocem eius audistis.] Hunc Patrem meum vos, quantumvis iactetis Deum vestrum cile, minimè cognoscitis, nec eius verba intelligitis: nam si illum cognosceritis, videritis me similem ei esse, & semper eius voluntatem exequi, nec possetis dubitare, me ab eo misum esse. Atque id etiam fieret, si verba eius per Scripturas sparsa supra de me loquentia intelligeretis. Hæc omnia ex similibus verbis Domini facile intelliguntur, vt cap. 8. *Neque me scitis, neque Patrem meum; si me sciretis, forsitan & Patrem meum sciretis: & postea; Si Deus pater vester esset, diligenteris vique me: ego enim ex Deo processi, & vent;* quare loquelam meam non cognoscitis. Ibidem est, *Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, & non cognovistis cum: ego autem cognoui eum, &c.*

Scrutamini Scripturas, &c.] Communis huius loci expositio est, vt ait Cyrillus, scrutamini verbum esse imperantis, atque ad diligens Scripturarum studium mittentis. Atque ita intellexerunt Chrysost. homili. 40. Theoph. Euthymius, Beda, S. Thomas, Lyra, Titelmannus. At Cyrillus docet, nullo modo ita esse accipendum; sed vt sit indicatiui, vt aperte ostendunt verba sequentia: & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me, & non vultis venire ad me, &c. vt sit sensus; quid vobis prodest, quod Scripturas scrutamini, cum illæ testifcentur me esse vitam, & salutem hominum; & vos nolitis ad me venire, vt hac vita potiamini? Ratio huins varietatis est, quod tam verbum Latinum *scrutamini*, quam Græcum ἐρευνᾶτε, ambiguum est, potestque imperatiui modi esse, & indicatiui. Iste sensus Cyrilli, licet prior sit magis probabilis, mihi magis placet propter eamdem rationem: dicuntur autem habere vitam æternam in Scripturis per earum intelligentiam, & fidem, atque observationem. 2. ad Timoth. 3. *Et quod ab infancia sacras literas nosti, qua & possunt instruere ad salutem.* Iuxta priorem sensum exposuit Chrysostomus: *Putatis vos habere in illis vitam æternam, sed falsò putatis: nihil enim prodest Scripturas legere, nisi fides accedat, & observatio.*

Claritatem ab hominibus non accipio.] Hic locus potest ita exponi: Non hæc dico, vt à vobis inaniter lauder; nec enim ego laudatione vestra indigo, aut mihi quicquam ex ea accedere potest; sed video vos non habere dilectionem Dei: & ideo ea dixi, vt credentes in me veniatis ad Dei dilectionem. Secundò, & melius; Claritas, quam habeo, & gloria, non ab hominibus accepta est, sed à Deo per Scripturas, & miracula; & tamen cum tantus sim, non vultis ad me venire, quia non

non diligitis Deum; & ideo eius quoque verba, & opera contemnitis. Utrumque sensum affert Iansenius; sed posterior placet etiam Montano, nec ab eo aborrere videtur Chrysostomus, hom. 40.

Ego veni in nomine Patris mei.] Id est, in virtute, & potentia Patris mei, & cum eius autoritate: hæc enim significat nomen, in Scriptura, ut Psal. 117. *Benedictus, qui venit in nomine Domini:* id est, ab eo missus, & eius potestatem, & autoritatem habens: & Psal. 43. *In te nimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.*

*Nomen in
Scriptura
quid signi-
ficiet.*

Si altius venerit in nomine suo.] Id est, alius veniet non à Deo missus, & propria autoritate, & hunc recipietis. Hoc de multis Pseudo-prophetis intelligi potest, qui à Iudeis recepti sunt, ut de Theuda, de quo Iosephus 20. Antiquitat. c. 3. & de Bencuciba Ægyptio, de quo idem in eodem lib. c. 6. & lib. 2. de bello c. 12. De utroque vide Galatinum lib. 4. contra Iudeos c. 21. Sed omnino intelligendum est de Antichristo, quem Iudei recepti sunt, ut docet Chrysost. homil. 40. & Cyrillus, & Theoph. & Euthymius, & alij. Et ita Cyrillus intelligit dictum esse de Iudeis illud, 2. Thessalon. 2. *Et quod claritatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet ills Deus operationem erroris, ut credant mendacio, &c.* id est, quia noluerunt recipere Christum, recipient Antichristum.

Quam vos potestis credere, &c.] Id est, si quereretis apud Deum nobiles esse, & laudari potius, quam apud homines, crederetis in me: sed quoniam putatis dedecori vobis futurum, si pauperi hominis discipuli esse dicamini, & hominum gloriam, & honores fugiatis; ideo non creditis. Simile est illud cap. 12. *Et ex principibus multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaos non confitebantur, ut ex Synagoga non esserentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei.* Cyrillus hic lib. 3. cap. 7. *Quasi enim natura, necessarioque accidit omnibus, qui gloriam hominum venantur, ut gloriam Dei amittant, & à solo Deo decident.*

Nolite putare, quia ego accusaturus sum vos.] Non negat se accusatum esse; ait enim Matth. 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo:* Sed est sensus, etiam si ego tacerem, solus Moyses sufficeret, ut accusatione sua vos damnaret: & quandoquidem dicitis; *Nos Moysi discipuli sumus, & scimus, quia Moysi loquutus est Deus,* Ioann. 9. accusabit igitur vos, quod scriptis suis non credideritis, in quibus multa de me prædicat. Ita Cyrillus; quasi dicat: *Nequaquam opus erit, ut ego accusem vos.* Et est similis locus Ioan. 16. *Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis; ipse enim Pater vos amat, &c.* Id est, orabo quidem pro vobis; sed etiam si ego tacerem, Pater ipse vobis beneficeret. Sed queritur, ubi scripsit Moyses de Christo? Respondeatur, libros Moysis ubique Christum personare, partim ad literam, ut Genes. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes:* & cap. 49.

*Moses quo-
modo ac-
cusatus in-
davit.*

*Libri Moysis
ubique per-
sonat Chri-
stum.*

Non

Non auferetur sceptrum, &c. Et Deuter. 18. Prophetam de gente tua, &c. De quo loco Deuteronomij praelate loquitur hic Cyrillus lib. 3. c. 9. partim in sensu spirituali; *fins enim legis Christus*. Roma. 10. Vide de his Augustinum, 16. contra Faustum a cap. 15. usque ad finem; vbi ostendit, multa scriptis Moyten de Christo contra Faustum, qui dicebat se nulla inuenire potuisse; ut patet ex eodem lib. c. 2. & nonnullis sequentibus. Et idem dicebat Faustus, non dicta esse a Domino haec, quae hinc scribit Ioannes. Augustinum refert, & sequitur Sixtus lib. 7. Biblioth. haeres. 5. in 3. obiectione, & eius responsione.

Si enim creditis Moysi, &c.] Quaritur; quomodo fieri potuerit, ut Moysi non crederent; de quo dicebant: *Serimus quia Moysi loquuntur est Deus?* Et augetur difficultas, quia illi credebant Prophetam venturum esse, & reliqua, quae de eo Moyses scripsit: sed Moyses non dixit hunc hominem esse illum Prophetam, qui licet illum non recipierent, non propterea non credebant Moysi. Ad hoc posset responderi; licet non omnes, eos tamen, quibus Christus loquebatur tunc, non credidisse, quae de Messia venturo Moyses predixerat. Sed hoc non videtur probabile, cum Messiam omnes audie expectarent, & prophetias de illo scriptas memotiter tenerent, cum miserint ad Ioannem, ut interroga- rent, an ipse esset Messias? Cum Christo ipsis dixerint cap. 10. *Usquequo animam nostram tollis?* Si tu es Christus, duc nobis palam. Propterea respondeo, & responsio est multum notanda aduersum Haereticos hu- tus temporis, verbum credendi ita usurpari a Domino, ut non solum fidem, sed etiam opera fidei illi respondentia complectatur. Ut Mar. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, Ioan. 3. qui credit in filium, habet vitam eternam, & cap. 5. qui verbum meum audit, & credit ei, qui misit me, habet vitam eternam. Mar. 1. *Panitemini, & credite Evangelio.*

Atque hoc non solum in aliis locis, sed etiam in Fide, quam exigit in miraculis, verum est, ut Mar. 9. *Si credis, omnia possibilia sunt credenti*, &c. nam ibi praeter Fidem exigit fiduciam, & venerationem tantæ Ma- iestatis illi fidei congruentem. Ita igitur accipitur hic: nam isti Phari- sei, qui principes erant Iudeorum, videbant verba Moysis in Chri- sto impleti, ut confessi sunt, Matth. 21. *Hic est heres, venite, occidamus eum*: Sed propter superbiam, & vita turpitudinem nolabant eum re- cipere in Messiam: dicuntur igitur *non credere Moysi* quia tum hoc, tum alia multa in lege præcepta facere nolabant; ut latè colligitur ex ver- bis Cyrilli, & Chrysostomi: est enim usitata phrasis Scripturarum, ut latè ostendimus Amos. 2. in illis verbis; *Vt polluerent nomen meum*: id de aliquo dicere, quod ex eius operibus intelligitur: qui enim viderent hos nihil facere ex iis, quae præcepta sunt a Moysè, dicerent eos Moysi non credere: & ita nos vulgo loquimur: dicimus enim confi- lia nostra non recipienti, non *vis mihi credere*. Cùm ergo ait; *si crede- retis Moysi*, &c. Sensus est; si ea, quae Moyses scripsit, vos ita credere- tis ut obseruaretis, recipieretis me, & crederetis mihi: ille enim iussit, ut mihi crederetis, & pareretis. Sed queritur, quomodo dicat, *cre- deretis*

Credendi
verbi vis.

Pharisei
cur nolue-
rint Chri-
stum reci-
perere in Mes-
siam.

deretis forsitan & mihi? nam Erasmus, & Caeteranus dicunt déclendum esse, forsitan; quoniam non est in Græco: sed Interpres sine causa dubium fecit. Respondetur; in Græco pro forsitan esse coniunctionem à, quæ coniunctio cùm verbis adiungitur, sive præponatur, sive posponatur, potentialis est: id est, ponit actionem illam in potentia, & in ambiguitate quadam; vt docent qui de Grammatica Græca scripsierunt, vt Theodorus Gaza, & Urbanus in fine suarum Institutiorum linguae Græcae, & Virgara lib. 3. cap. 28. præsertim in scholiis, & Budeus in Commentariis linguae Græcae: hæc autem potentialitas, & ambiguitas in vsu est omnibus linguis; etiam si certum sit, quod dicitur; sed dicitur potentialiter: quoniam aliquo casu id impedit poterit. Vnde ista coniunctio an aliquando non vertitur, aliquando vertitur affirmatiuè, aliquando per dubitationem; quæ tamen æquivaler affirmationi, vt Psal. 50. Quoniam si voluisses sacrificium, dedisset utique: & Psal. 54. Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuerit utique: & si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondisset me forsitan ab eo. Ioan. 4. Tu forsitan petiſſes ab eo, & dedisset tibi aquam vinum: & cap. 8. Si me sciretis, forsitan & patrem meum sciretis. In omnibus his locis, vbi nos habemus utique, & forsitan, in Græco est à: & vbi ait, & dedisset tibi, pòst dedisset, est etiam à. Et ideo tam expositores Græci quām Nonius, qui hexametris versibus Græcè scripsit Euangeliū Ioannis, omnia hæc loca intelligunt affirmatiuè sine vlla dubitatio-ne. Ita etiam nos loquimur; nam etiam si rès sit nobis certa, solemus dicere; Silo supiera pudiera ser quo lo biziera. Ad hoc adducit Budeus locum elegantem Synesij Græci authoris, cuius verba ita vertit; Et si non fecit, est tamen eiusmodi ingenio, ut fecisse credi possit: in Græco est, et si non fecit, fecit an, & statim; et si non confinxerunt, idonei tamen sunt, qui confinxisse existimentur: in Græco est, et si non confinxerunt, confinxerunt an, &c. si autem illius literis, &c. Argumentum est à maiori ad minus; quoniam illi pluris faciebant Moysen, quām Christum, tum etiam argumentum sumitur à literis ad verba; quoniam plus authoritatis habent apud omnes scripta, quām dicta, &c.

Noniuver-
sibus hexa-
metris scri-
psit Græcè
Iosannus
Euange-
lium.



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SEC V N D V M IOANNEM.

C A P V T VI,

1. **D**O S T h̄ec abiit Iesus trans mare Galilæa, quod est Tyberiadis: 2. Et sequebatur eum multitudo magna, quia videbant signa, que faciebat super his qui infirmabantur. 3. Subiit ergo in montem Iesus: & ibi sedebat cum discipulis suis. 4. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaorum. 5. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut manducent hi? 6. Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. 7. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat. 8. Dicit ei unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri: 9. Est puer unus hic, qui habet quinque panes ordeaceos, & duos pisces: sed h̄ec quid sunt inter tantos? 10. Dixit ergo Iesus: Facite homines discubere. Erat autem fænum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. 11. Accepit ergo Iesus panes & cum gratias egisset, distribuit discubentibus: similiiter & ex pisibus quantum volebant. 12. Ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite que superauerunt fragmenta, ne perireant. 13. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus ordeaceis, que superfuerunt his qui manducaverant. 14. Illi ergo homines cum uidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Quia hic est verè propheta, qui venturus est in mundum. 15. Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent ut raperent eum, & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. 16. Ut autem factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. 17. Et cum ascendissent nauim venerunt trās mare in Capharnaū: & tenebra iam factæ erant: & nō venerat ad eos Iesus. 18. Mare autem vento magno flante, exurgebat. 19. Cum remigas

remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta, vident Iesum ambularem supra mare, & proximum nauis fieri, & timuerunt. 20. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. 21. Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant. 22. Altera die, turba qua stabat trans mare, vidit quia nauicula alia non erat ibi nisi una, & quia non introisset cum discipulis suis Iesus in nauim, sed soli discipuli eius abiissent: 23. Alio verò superuenierunt naues à Tyberiade, iuxta locum ubi manducauerant panem, gratias agente Domino. 24. Cum ergo vidisset turba quia Iesus non esset ibi, neque discipuli eius, ascenderunt in nauiculas, & venerunt Capernaum querentes Iesum. 25. Et cum inuenissent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? 26. Respondit eis Iesus, & dixit: Amen, amen dico vobis: queritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducasti ex panibus, & saturati estis. 27. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus. 28. Dixerunt ergo ad eum: Quid faciemus ut operemur opera Dei? 29. Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille. 30. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signum ut videamus, & credamus tibi? quid operaris? 31. Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: Panem de celo dedit eis manducare. 32. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Non Moyses dedit vobis panem de celo; sed pater meus dat vobis panem de celo verum. 33. Panis enim Dei est, qui de celo descendit, & dat vitam mundo. 34. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. 35. Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vita: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiatur umquam. 36. Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis. 37. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet: & eum, qui venit ad me, non eiiciam foras: 38. Quia descendit de celo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. 39. Hec est autem voluntas eius, qui misit me, Patris: ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. 40. Hec est autem voluntas Patris mei, qui misit me: ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam aeternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 41. Murmurabant ergo Iudei de illo, quia dixisset: Ego sum panis viuus, qui de celo descendit, 42. Et dicebant: Non-

ne hic est Iesus filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem, & matrem? Quomodo ergo dicit hic: Quia de celo descendit? 43. Respondit ergo Iesus, & dixit eis: Nolite murmurare in inuicem: 44. Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 45. Est scriptum in Prophetis: Et erunt omnes dociles Dei. Omnis qui audiuit a Patre, & didicit, venit ad me. 46. Non quia Patrem vident quisquam, nisi iste, qui est a Deo, hic vedit Patrem. 47. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me, habet vitam eternam. 48. Ego sum panis vite. 49. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. 50. Hic est panis de celo descendens: ut si quis ex ipso manducauerit, non moriatur. 51. Ego sum panis viuus, qui de celo descendit. 52. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in eternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. 53. Litigabant ergo Iudei ad inuicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 54. Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 55. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam eternam: & ego resuscitabo eum in nouissimo die. 56. Caro enim mea vere est cibus: & sanguis meus vere est potus. 57. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. 58. Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me. 59. Hic est panis, qui de celo descendit. Non sicut manducauerunt patres vestri manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in eternum. 60. Hac dixit in synagoga docens, in Capharnaum. 61. Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? 62. Sciens autem Iesus apud se metipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? 63. Si ergo videritis Filium hominis ascendenter ubi erat prius? 64. Spiritus est, qui vivificat: caro non proficit quidquam: verba, que ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. 65. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab initio Iesus qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. 66. Et dicebat: Propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a Patre meo. 67. Ex hoc multi discipulorum eius abierunt retro: & iam non cum illo ambulabant.

68. *Dixit ergo Iesus ad duodecim: Numquid & vos vultis abire?*
 69. *Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vita eterna habes.* 70. *Et nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus Filius Dei.* 71. *Respondit ei Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi: & ex vobis unus diabolus est?* 72. *Dicebat autem Iudas Simonis Iscariotem: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.*

IN CAPVT VI. S A N C T I
 I E S V C H R I S T I E V A N G E L I I
 S E C V N D V M I O A N N E M,
 C O M M E N T A R I A.

Post hac abiit Iesus, &c.] Ad rectam huius miraculi intelligentiam duo sunt explicanda, tempus, & locus: Tempus ostendit Euangelista, cum ait: *Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudeorum.* Cyrillus videtur omnino existimare, hunc diem festum esse festum Tabernaculorum, cuius cap. 1. meminit Euangelista: nam post Pascha celebrabatur Pentecoste; & postea mense Septembri Scenopegia, seu festum Tabernaculorum. Suspicio autem Cyrillum non legille Pascha; sed tantummodo; *Erat dies festus Iudeorum:* atque ita consequens erat, ut esset festum Tabernaculorum. Sed sine dubio hoc festum erat Pascha, ut omnes expositores, & codices ostendunt. Nec potuit esse Scenopegia, si considerentur alii Euangelistæ. Ex his patet primo, esse hoc Pascha tertij anni prædicationis Christi, in quo iam cum Ianuenio, & aliis conuenimus; & secundum Pascha post miraculum nuptiarum. Patet etiam valde probabiliter dici, quod est apud Augustinum, sermo 3. Epiphaniæ, eodem die contigisse hoc miraculum panum, quo miraculum nuptiarum, licet non eodem anno. Secundò patet ex dictis in principio cap. 5. Euangelistam transire à Pentecoste secundi anni, ad Pascha tertij: transiit etiam à Iudea, ubi erat præcedente, ad Galilæam, ubi erat, cum fecit hoc miraculum: *abiit enim trans mare Galilæa.* Causa horum est, quod usque ad finem 5. capituli narrauit Ioannes, quæ omissa fuerant ab aliis Euangelistis, & inde ipsi incipiunt: quare post hunc sermonem cap. 5. cum Iudeis habitum sequitur statim, quod scribit Matr. c. 4. & alii: *Cum autem audisset Iesus: quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæam, & relicta civitate Nazareth, venit & habitavit in civitate Capharnaum maritima, &c.* Et sequuntur multa miracula facta in variis oppidis Galilææ; & sermo habitus in monte, qui 5. & 6. & 7. capite describitur à Matthæo, & electio Apostolorum, cum segregati sunt à turba Discipulorum: tunc etiam Ioannes cum esset in vinculis in Galilæa, misit Discipulos suos ad Christū; & deniq; facta sunt omnia, quæ

*Tabernacu-
lorum fe-
stum.*

narrantur ab Euangelistis, vsque ad miraculum quinque panum, quod narratur Matth. 14. Quod simul cum cæteris Euangelistis narrat Ioannes; quæ omnia Ioannes prætermittenda putauit, quod essent ab aliis Euangelistis diligenter narrata. Itaque ab hoc c. 6. describit acta vltimi anni, sicut & alij; sed omittens ferè, quæ ab eis conscripta sunt; & scribēs, quæ ipsi omiserūt, præsertim verba Domini, quæ maximè pertinebāt ad suū institutū; id est, ad ostensionē Diuinitatis Christi: & idèò hoc miraculū panū nō præteriit propterea quod aptissimum signū erat Diuinitatis Christi: sed præsertim, quoniam ex eo occasio nata est multa de sacra Eucharistia differēdi, & lōgi sermonis Christi. Pater etiā ex his probabiliter dici, quod est apud Augustinū in sermone 1. Epiphaniæ, eodē die cōrigisse miraculū panū, quo miraculū nuptiarū, licet nō eodem anno: inquit enim Ioannes, proximum fuisse Pascha Iudaorum: quare aut illo die factū est, aut certè non multò pōst. Tertiò patet, post narrata in c. 5. vinctum fuisse Ioannem, & iam fuisse decollatum, cùm factum est miraculum panum, vt ostendit Matt. c. 14. Sed tamen diligenter notandum est, hoc miraculum non fuisse factū continuò post Decollationem Ioannis, vt putauit hīc Caietanus, immò & Aug. 2. de cōfess. Euang. c. 45. quod etiam non obscurè indicant Hier. Matth. 14. & Chrysostomus ibi hom. 50. & alij: nec leuiter moti sunt isti authores; quoniam apertissimè colligi videtur ex Matt. 14. ita enim ait, Discipulos Ioannis sepelisse magistri corpus & venientes nuntiasse Iesu; eo subdit statim; *Quod cùm audisset Iesus, secessit inde in nauicula, &c.* vbi incipit miraculum panum. Ex qua sententia sequebatur, Ioannē non fuisse decollatum extremo Augusto, vt celebrat Ecclesia; sed prope Pascha. Verū hæc sententia nullo modo videtur recipienda: vt enim ait Ianuenius c. 57. Ioannis decollati historia per parenthesim interponitur à Matthæo, & Marco; non quod eo tempore gesta fuerit, sed occasione verborum Herodis, qui cùm audisset famam Iesu, dicebat: *hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis*: ex quo constat, antè fuisse occisum, eo scilicet tempore, quo eius Decollatio celebratur ab Ecclesia. Et id quod ait Matt. *quod cùm audisset Iesus, &c.* non esse referendum ad Decollationem Ioannis, quæ tota per parenthesim legenda est; sed ad id, quod præcesserat; videlicet dixisse Herodem: *hic est Ioannes Baptista, &c.* quæ admodum ibi exponit Theophylactus: sed non est opus authoribus: perspicuè enim intelligitur ex aliis Euangelistis. Siquidem Marcus, c. 6. post Decollationem Ioannis simili occasione interpositam ita ait: *Et conuenientes Apostoli ad Iesum renuntiarunt ei omnia, quæ egerant, & docuerant;* scilicet cùm missi sunt per ciuitates Israël, quo tempore verba illa dixerat Herodes. Et addit statim: *Et ait illis: Venite seorsum in desertum locum, &c.* quod adhuc cernitur apertiùs Lucæ 9. cùm enim c. 3. narrasset mortem Ioannis, c. 9. scribit, missos esse Apostolos ad prædicandum, atque interea dixisse Herodem, *Ioannes surrexit à mortuis, &c.* & subiungit, *& reuersi Apostoli narrauerunt illi quacunque fecerunt; & assumptis illis, secessit seorsum in desertum locum.* Possemus autem conciliare istos autores

S. Ioannes
Baptista
quo tempore
decollatus.

thores, dicentes cum Euthymio Matth. 14. quod etiam sentire videtur Beda Mar. 6. & Lucæ 9. vtrumque sūmul auditum esse à Domino; id est, verba Herodis, & mortem Ioannis; licet vtrumque non eodem tempore factum sit, & vtriusque causa Dominum secessisse in desertum.

Secunda difficultas est, de loco, in quo factum fuit hoc miraculum. Ratio dubitandi est; quoniam Ioannes scribit factum fuisse trans mare Tyberiadis; Lucæ autem 9. legimus: *Secessit in desertum locum, qui est Bethsaïda*: at Bethsaïdam non est dubium, non esse trans mare, sed citra: vnde Marcus narrato miraculo ait; *Et statim coegerit Discipulos suos ascendere nauim, ut præcederent eum trans fretum ad Bethsaïdam*; quoniam Bethsaïda erat in litore aduerso loco, in quo factum est miraculum: immo & Brocardus in descriptione terræ Sanctæ ait, hoc miraculum factum esse in eo monte, in quo Dominus prædicauit, Matth. 5. qui est citra mare, distatque ab ipso ad iactum lapidis. Ad huius rei intelligentiam, explicandum est, quid sit *mare Galilæa*. Est autem notandum ex Iosepho lib. 3. de bello Iudaic. c. 18. quem sequuntur authores statim indicandi, & multi alij, Iordanem fluuim, qui terminus est Orientalis terra Sanctæ, ortum non ex fonte Paneade, vt Plinius & alij multi putauerunt, sed ex alio fonte super Paneadem, qui à rotunditate *Phiale dicitur*, per tres lacus transire. Primus dicitur *Semeconites*, qui Iosue 11. vocatur *merom*, ubi ait, *ad aquas Merom*. Significat autem *merom* ab altitudine, eò quod aquæ illæ sint altiores aquis maris Galilææ. Secundus lacus, per quem transit, dicitur *lacus*, sive *stagnum*, sive *mare Genesareth*; distatque ab aquis *merom* centum viginti stadii. Deinde per multam solitudinem exit in tertium lacum, qui dicitur *mare mortuum*, seu *mare salis*, seu *mare salissimum*, & Græcè dicitur *ἀροάτης*, à copia bituminis. Lacus secundus dicitur *mare Galilæa*; quoniam vt adnotat Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genes. in principio, & Ezech. 47. propè finem, iuxta proprietatem linguae Hebraicæ, omnis congregatio aquarum, sive saltæ sint, sive dulces, vt aquæ huius lacus, vocatur *mare*, Genes. 1. Congregationesque aquarum appellantur *maria*. Mare autem Galilææ dicitur à provincia, in qua est; atque vt totum *mare* dicitur *Galilæa*, à provincia; ita eius partes cognominantur à ciuitatibus maritimis; vt mare Capharnaum, mare Bethsaïda, mare Tyberiadis; quemadmodum mare nostrum vniuersum *mare Mediterraneum* dicitur; partes tamen eius à diuersis provinciis adiunctis varia habent nomina, vt *mare Adriaticum*, *Ionicum*, *Ægyptiacum*, *Lybicum*: dicitur idem *Genesar*, sive *Genesareth*, non à generandis auris, quibus frequenter agitatur, vt putauit Ægesippus lib. 3. de excidio Hieroselymitano c. 20. & Beda super Lucam c. 5. in principio, quem secutus est hic S. Thomas: non enim est Græca dictio, vt isti authores crediderunt, sed Hebraica. Vera ratio redditur à Iosepho loco citato his verbis: *Lacus autem Genesar quidem à terra continente appellatur:*

*Iordanis
terminus
Orientalis
terra san-
cta. Et un-
de ortus.
Lacus Se-
meconites.*

*Mare Gene-
sareth.
Mare mor-
tuum.*

*Mare Me-
diterraneū,
& eius
partes.*

& in fine, longitudo autem regionis secundum litora cognominis lacus triginta stadiis extenditur, & latitudo viginti: dicitur etiam mare Cheneret, Num. 34. Deuteron. 3. Iosue 11. quamvis in Hebraeo semper est חַנְרֵת Cheneret: sed L X X. ita scribunt, ut nos. Dicitur & mare chineret, Iosue 13. & vocatur ita authore Montano in libello de 12. gentibus cap. 6. à forma cythare, quam refert, quæ Hebraicè dicitur כִּנּוֹר chinor. Sed falsa videtur hæc ratio Montani: nam neque ita pingitur, neque cythara formam habere dicitur ab authoribus. Ratio vera est, habere hoc nomen, & vocari ita à ciuitate Cheneret, quæ est in eius litore, cuius meminit liber Iosue c. 19. & ibi hoc docet Vatablus; & hæc est eadem, quæ postea dicta est Tyberias. vt iuxta multorum opinionem docet Hieronymus in locis Hebraicis; quam opinionem sequitur ipse Ezech. 47. in illis verbis; Porro plaga orientalis; vbi exponit, ad mare Cheneret usque ad stagnum Tyberiadis. Quid si aliquis obiiciat, Iosue 19. hanc ciuitatem vocari Cheneret. Respondetur, mutari E in A, propter finem periodi more Hebraeorum. Vnde male vertit Interpres Vatabli, scribens Chenaret: & melius noster Interpres, & L X X. verterunt Cheneret. Potest etiam aduersus hoc obiici, non solum vocari mare Cheneret, sed etiam Cheneroth. Sed respondetur, eandem urbem habere hæc duo nomina Cheneret, & Cheneroth: Vnde tam in Hebraeo, quam in Graeco indifferenter ponitur utrumque nomen ad rem eandem significandam. Ex quo fit valde probabile, falsum esse quod aiunt Ianuenius cap. 26. & Montanus loco citato, Genesar idem esse, quod Cheneret corrupto vocabulo: nam, vt videmus, Cheneret est nomen vnius urbis; Genesar vero non est nomen urbis, sed terræ illi stagno adiacentis, cuius longitudinem, & latitudinem ex Iosepho ostendimus. Quod autem Chaldaeus Paraphrastes per Cheneret vertit Guinesar, nihil nobis aduersatur: respondendum enim est, nomina esse diuersa, & diuersis rationibus idem mare significare: sed quoniam iam eo tempore notius erat apud omnes nomen Genesar, quam Cheneret, eo potius vtendum putauit Chaldaeus: forte enim iam urbs illa euerfa erat.

De hoc mari ita scribit Plinius lib. 5. cap. 15. de Iordanie loquens: ergo ubi prima conuallium fuit occasio, in lacum se fundit, quem plures Genesaram vocant, sedecim mille passuum longitudinis, sex mille latitudinis, amoenis circumscriptum oppidis, ab Oriente Iuliade, & Hippo; à meridie Tarichea, quo nomine aliqui lacum appellant. Iosephus vero loco citato, ait eius longitudinem esse centum stadiorum, quæ continent duodecim milia quingentos passus. Aranda in descriptione terræ Sanctæ tract. 2. cap. 4. dicit, longitudinem esse duodecim millium passuum; latitudinem vero octingentorum: sed Aegesypus lib. 3. cap. 26. quem sequitur Beda super Lucam cap. 5. & in libello de locis sanctis cap. 11. tribuit huic lacui eandem latitudinem, quam Iosephus, nempe quadraginta stadiorum, quæ continent quingentos passus; longitudini vero addit quadraginta stadia supra centum. At vero in hac re Iosepho potius assentiendum est, ut testi oculato, & indigenæ.

Vrbes in huius lacus litore citeriori ab Occidentali eius parte maximè celebres sunt, in superiori eius parte Capharnaū, ita dicta à fonte quodam eiusdem nominis vberrimo, cuius meminit Iosephus lib. 3. de bello c. 18. Igitur Capharnaū est Bethsaïda patria Petri, & Andräæ, & Philippi Apostolorū, cui cùm prius vicus erat, Philippus Tetrarcha vrbis speciem addidit, & in honorem Iuliæ filiæ Cæsaris Iuliadē nun-
*Capharnaū
undes sic dicitur
Ita.*
cupauit, vt refert Iosephus. 18. Antiquitatum c. 3. Post Iuliadē est cur & a Magdalum, & postea Tyberias in inferiori lacus parte, quam Herodes Tetrarcha à se conditam in honorem Tyberij vocavit *Tyberiadē*; vt quo sic vocata. *Act Tyberias.*
author est ibidem Iosephus. Ex quo colligitur; planè aliud esse Cheneret, & aliud *Genasaret*: nam fons Capharnaū est super ipsum lacum; & tamen ponitur à Iosepho 3. de bello c. 18. in terra Genasar. Et cùm ibi dicat longitudinem illius terræ esse triginta stadiorum, constat Cheneret; id est, Tyberiadē non posse esse in terra Genasar, cùm sit in inferiori parte lacus, cuius lacus longitudine minimum est centum stadiorum. Respondeatur ergo ad difficultatem in principio proposi-
Julias urbe
cur & a
quo sic vocata.
Act Tyberias.
tam, nullo modo posse dubitari, quin factum fuerit hoc miraculum trans mare Galilæa; cùm hoc aperte dicant Euangelistæ: siquidē Ioannes ait: *Abiit trans mare Galilea, & Matthæus, Secessit in nauiculam in mon-*
tem desertum: Et postea; cùm transfretassent venerunt in terram Genesar: id est, in Capharnaum, vt ait Ioannes. Idem cum Matthæo scribit & Marcus. Quod ergo ait Lucas, *in locum desertum, qui est Bethsaïda;* in-
telligentium est, desertum illud etiam si esset trans lacum, fuisse in agro Bethsaïda, vt ibidem ait Caietanus, & Hieronymus, & Iansenius c. 57. & videretur idem dicere Comestor in historia Euangelica c. 74. Vel, vt ait ibidem Iansenius, dicitur *desertum Bethsaïda;* quia erat ex oppo-
sito Bethsaïda: qua sententia si vera sit, dicendum est, mare Tyberia-
dis non dici ab Euangelista, quod erat ad litus Tyberiadis; sed totum
mare Galilæa dici Tyberiadis, ab urbe celebriori: quod ego etiam ve-
rūm arbitror: nam & nonnulli expositores ita intelligunt. & Euange-
lista satis indicat, cùm ait, trans mare Galilea, quod est Tyberiadis: quare
vtrāque responsio probabilis est: immò vtrumque videretur verum, &
fuisse in agro Bethsaïda desertum illud, & fuisse illi oppositum. Et pro-
batur; quoniam cùm Bethsaïda sit mari quamproxima, &, vt scribit Brocardus, sita in angulo maris, & iuxta Iosephum 18. Antiqui-
tatum c. 3. sit in ripa ipsius lacus, iure illi datus est ager trans mare,
quem citra habere non potuit. Possemus etiam dicere, ita secessisse
Christum in desertum Bethsaïda, vt ait Lucas, sed inde mox, vt remo-
tior esset consensa nauicula, venisse trans mare Galilæa, vt aiunt cæ-
teri. Sed mihi maximè omnium probabile videtur, quemadmodum
duplex fuit Iulias, altera citra lacum, altera ultra, quarum meminit Iosephus 18. Antiquitatum c. 3. ita duplicitem fuisse Bethsaïdam, alteram
citra lacum, quæ erat patria Apostolorum; alteram ultra lacum, in *Bethsaïda*
cuius desertum factum est hoc miraculum, iuxta Lucam. Probatur ex *an duplex.*

Ribera in Euang. Ioan.

V Ioanne

Ioanne 12. Accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilæam; ergo erat altera Bethsaida extra Galilæam, de qua loquitur Lucas; alioqui quid necesse erat addere Galilæa: Docet hoc Scriptura consuetudo, quæ nominibus ciuitatum non addit nomina Provinciae, aut Tribuum, nisi, ut ab aliis eiusdem nominis distinguantur, vt Matth. 2. *Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudeæ; & Et tu Bethleem terra Iudeæ;* quia erat altera extra Iudeam in terra Zabulon; & Ioan. 2. *Cana Galileæ,* quia erat altera Canæ, vt diximus: Ita dicitur Cæsarea Palestina, vt distinguatur à Cæsaræ Philippi, quæ erat in Galilæa: & Ramot Galaad dicuntur, quoniam erat altera Ramot extra terram Galaad in tribu Isachar. Hic obstat, quod in hoc loco Ioannis dicit Caietanus additum esse Galilæa, quoniam gentiles illi forte in Galilæa morabantur: nam cum constateret, Bethsaidam esse in Galilæa, nisi esset altera extra Galilæam, nihil adderetur: aut certè satis esset dicere ad Philippum, qui erat à Galilæa. Præterea, vt ait Iansenius, c. 111. si isti Gentiles essent Galilæi, aut Galilæis vicini, facile Iesum videre potuissent in Galilæa, immò multò facilius, quam in Hierusalem. De hac multititudine ita scribit Matth. c. 14. *Et cum audirent turbe, secuti sunt eum pedestres de ciuitatibus.* Vbi meritò queritur, quomodo pedestres sequi potuerint, cum Dominus abierit trans mare? Propter hæc verba Beda Marc. 6. dicit, Dominum non transisse in alteram maris ripam, sed transito aliquo freto, aut stagno proxima eiusdem regionis loca adiisse, quod turbæ pedibus peruenire potuerunt. Sed hoc iam ostendimus planè aduersari tribus Euangelistis. Posset aliquis respondere, turbas istas fuisse ex ciuitatibus, quæ erant trans lacum. Sed hæc responsio refellitur ex verbis Marci, dicentis: *Et viderunt eos abeuntes, &c.* Si enim loqueretur de iis, qui erant trans lacum, dicendum erat, *viderunt eos venientes.* Quare vera responsio videtur, cum Dominus, & discipuli se ad nauigandum comparabant, cognouisse hoc multos ex vicinis ciuitatibus, qui aderant; quandoquidem iuxta Marcum tot ad eum veniebant, vt ne manducandi quidem spatium haberet; qui, quoniam tantæ multitudini nauiculæ inueniri non poterant, & quam celerrimè potuerunt Iordanem transmisso licet longiori via, celerius tamen in locum destinatum venere, quam Dominus, & Apostoli. Ita ferè responderet Iansenius, c. 57. cui in hoc minimè assentior, quod putat Dominum ē Capharnaum soluisse, & venisse in desertum oppositum Bethsaidæ: nam potius videtur soluisse ē Tyberiade, & in deserto ipsi Tyberiadis opposito fecisse miraculum, vt indicat Ioannes in hoc c. cum ait; *Aliæ verò superuenierunt naues à Tyberiade iuxta locum, ubi manducauerant panem.* Ex quo loco videtur refellenda illa responsio, quam heri probabilem esse diximus, miraculum factum esse in deserto pertinente ad Bethsaidam, & ipsi Bethsaidæ oppositum. Quare cum Tyberias sit in inferiori parte lacus, facile potuerunt turbæ transire Iordanem: nec verò erat tunc Dominus in Capharnaum, vt ex Euanglio colligi posse

posse putat Iansenius; sed egressus Nazarei circuitabat Castella docens; vt ait Marcus c.6. atque ita venit Tyberiadem.

Subiit ergo in montem Iesu.] Recte, & Latinè satis dicitur subire, pro ascendere, vt apud Plinium lib.4. c.11. Hæmi excelsitas sex millia passuum subitur.

Et ibi sedebat.] Scilicet vt turbas sequentes expectaret, & laborem eis adimeret vltierius progrediendi.

Erat autem proximum pascha.] Tempus significat, vt historiæ ordinem teneamus, & vt conueniens tempus intelligatur educendi populum in desertum, quod nec nimiris frigidum esset, nec calidum. Præterea, vt intelligatur, quod ait, *erat fænum multum in loco.* Deinde propter spiritualem sensum, quoniam Pascha transitus est, & qui cœlesti cibo reficiendus est, transcat oportet à mundi desideriis, ad Cœlestia, vt latius expouit Beda.

Pascha quid.

Dicit ad Philippum.] Cyillus ait, Philippum interrogatum esse potius, quam alium; quoniam descendit cupidus erat, sed tardiori ingenio: quod patuit ex illo Ioan. 14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* Multò magis mihi placet ratio Chrysostomi homil.41. & Theophylacti & Euthymij, id fecisse Dominum; quoniam nouerat, qua doctrina quilibet ex discipulis magis indigeret: videbat autem minorem esse Philippi fidem eo tempore, vt ex eius response patuit: & ideo addidit Euangelista *temans enim*, id est, volens experiri, quantum fidem haberet.

Philippum cur allocutus Domini.

Vnde enim panes?] Cæteri Euangelistæ dicunt, Apostolos Dominum orasse, vt turbas dimitteret, quo sibi cibum quisque ex proximis oppidulis quæreret: Ioannes autem ait, Dominum dixisse, *vnde enim panes?* Sed utrumque factum est, vt hic ait Chrys. & Aug. 2. de consensu Euang. c.46. prius enim Apostoli accesserant ad Dominum: deinde ipse interrogavit Philippum: atque hoc modo concilianda sunt alia ex eisdem Euangelistis, quæ non lati videntur cum verbis Ioannis consentire. Vide de his Augustinum loco citato.

Ducentorum denariorum panes.] Denarius (qua voce licet Latina sit, Græcè vtuntur Euangelistæ) decem æreos asles habet, atque ab hoc numero denarius dicitur, cuius quarta pars sextertius dicitur. Ita Vitrinius lib.3. in principio. Vide de hoc Budæum lib.2. de Aſſe, prope principium. Sed quæritur, quomodo Apostoli dixerint apud Marcum; *euntes emamini diuenteris donaris panes, & dabimus illis manducare;* cùm Apostoli denarios illos non haberent, quod his verbis significare videatur. Philippus? Respondetur; non esse intelligendum ex his verbis Marci, Dominum, & Apostolum habuisse ducentos denarios: nam Theophylactus, & Euthymius ibi, per interrogationem legunt hæc verba Marci, dicuntque verba esse eorum, qui se grauari queruntur: idem ait ibidem Caietanus; & haec interrogatione significari impossibilitatem: Sed vt ait Iansenius c.57. melius leguntur sine interrogatione, eo quod sint aoristi subiunctiui modi pro imperatiuis politi.

Denarius quid, & unde dictus.

Exponit autem ipse, dicta esse hæc per ironiam, & cum nimio stupore: stupebant autem, quod Dominus illis dixisset, date vos illis manducare. Sed mihi non videtur probabile, Discipulos huiusmodi ironia uti cum Domino loquentes: nec verba talem ironiam indicant. Quare arbitror dixisse se empturos ducentis denariis panes; non quod ipsi ducentos denarios haberent, sed quod in illa turba multi essent boni viri, & studiosi Christi, à quibus denarios illos possent accipere: quasi dicerent; non deerunt inter hos nonnulli, qui saltem ducentos denarios nobis largiantur; quemadmodum statim dicunt apud Lucam; non sunt nobis plusquam quinque panes & duo pisces: hoc autem dicunt, non quod ipsi habeant, sed quod habebat puer sibi notus, qui libenter eos esset daturus. Quare durum admodum est, quod ait Ianseniūs, posse intelligi hunc puerum fuisse unum ex Apostolis, præcipue cùm sit in Græco pedarion; id est, puerus. Post hæc verba dixit Philippus, ducentorum denariorum, &c. Ceterū Montanus Marc. 6. dicit, se obseruasse in lib. misnaiot, vno denario illis temporibus, & in illa regione potuisse emi panes, qui sati essent decem hominibus pascendis: Poterant igitur tantum bis mille homines pasci ducentis denariis. Vnde cùm essent quinque mille, exceptis sceminiis, & pueris, rectè dixit Philippus; non sufficient, ut unusquisque modicum quid accipiat.

Sed hæc quid sunt inter tantos?] Tantus apud Latinos non solùm pertinet ad magnitudinem, sed etiam ad numerum: & est idem, quod tam multus, vt apud Plautum in Bacchide vi coactus reddidit ducentos & milie Philippum: tantum debuit? tantum. Quod si vidisset Caietanus, non tam facile corrigeret inter tantos, pro inter tot.

Erat autem fanum multum in loco.] Fanum pro viridi herba passim ponitur, vt Isa. 40. Omnis caro fanum; & statim; exsiccatum est fanum, & cecidit flos, atque ita Hieronymus accipi ostendit nomen Græcum chortos; quod significat herbam: vnde & Marcus ait; super viride fanum.

Quasi quinque millia.] Quomodo hic accipiatur, quasi, diximus supra c. 2. ferò in principio.

Et cùm gratias egisset.] Iuxta alios Euangelistas; accipiens panes suscepit in cælum, & benedixit: quæ benedictio non ad Patrem refertur, sed ad panes, & pisces: & manifestè exprimit Lucas, dicens; Respexit in cælum, & benedixit illis. Itaque aliud est hinc, gratias agere: aliud, benedicere: quamuis Cyrillus idem esse credidit. Gratias egit Patri pro amore, quo humanum genus prosequebatur, volens ad eius salutem tantum miraculum edere: nam quoniam multum Christus homines amabat, ita Patri gratias agebat de donis hominibus collatis, ac si sibi ipsi collata esissent. Deinde vt ostenderet, se à Patre missum esse. Vtrumque explicat ipse Ioannes, 11. Prater gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstet dixi, vt credat, quia tu me misisti; deinde benedixit panibus. Hæc autem benedictio, vt rectè ait Ianseniūs c. 57. & Montanus, breuiter subindicat Lucæ 9. fuit impre-
cato

Gratias
egit quid.

catio quædam diuinæ gratiæ , efficiens panum benedictorum multiplicationem; quasi diceret, per tuam gratiam , Pater, benedicantur, & multiplicentur panes isti. Similiter intelligi debet illud, quod ante tremendi Mysterij consecrationem dicitur : *Elevatis oculis ad celum ad te Deum Patrem suum omnipotentem tibi gratias agens benedixit , fregit , &c.* egit gratias Patri pro cœlesti cibo, quem hominibus præbebat , & benedixit pani ipsi, ac si diceret ; Per virtutem tuam, Pater, panis iste benedictionem accipiat, ut in corpus meum transubstantietur: nam istæ benedictiones , quæ iam Crucis signo fiunt , postquam Crux ex corpore , & sanguine Domini virtutem sanctificandi adepta est, ante Passionem non signo , sed verbis siebant ; ut videmus in benedictionibus Iacob, Genes. 27. & 48. & alibi saepè.

Colligite, &c.] Ut certa fides miraculi esset, viderentque omnes non fuisse phantasiam , ita Chrysostomus , & Cyrillus , & alij.

Duodecim cophinos.] *Cophinus Latinè corbis*, vas estrusiticum ex viminibus contextum, vel ex simili materia ; sive, ut Montanus lib. de arcano Sermone , cap. 93. est *porta* , qua operarij ministrant commodam materiam ædificatoribus : & ideo ministerium , & seruitus hoc vocabulo indicatur in Scriptura , vt Psal. 80. *Manus eius in cophino seruerunt.* Euthymius ibi : Cophinus canistri genus, in quo lutum, & lateres ferebant, ut ciuitates Pharaoni ædificarent : & similiter explicat eundem locum Beda hîc. De hoc miraculo extat apertum vaticinium Sybillæ apud Lactantium lib. 4. c. 15. quod ita reddi Latinè potest:

*Cophinus
quid.*

Tanibus ex quinis , ex pisciculisque duobus,

In deserto hominum saturabit millia quinque:

Quaque superfluerunt capiens post fragmina cuncta,

Sex in spem multis cophinos totidemque replebit,

De eius spirituali sensu vide Cyrillum lib. 3. cap. 17. & 18. Augustinum tract. 24. Hieronymum Matth. 14. Rupertum, & Bedam.

Hic est vere Propheta.] Ille videlicet , qui promissus est , Deut. 18. ponitur enim Propheta cum articulo.

Cum cognouisset.] Quemadmodum docent Matthæus , & Marcus, facto miraculo statim compulit Discipulos ascendere in nauiculam , & præcedere se trans fretum , donec dimitteret turbas : & dimissa turba ascendit in montem solus orare : ut discarnus , sicut ibi ait Chrysostomus , doctori Euangelij nec semper cum multis esse conuersandum , nec semper multitudinem esse fugiendam : sed utrumque suo tempore esse faciendum ; ut scilicet à concionibus, & à turbis, ad orationem , & ad Deum configiamus. Sed Ioannes addidit , quod illi omiserunt , causam scilicet alteram , propter quam in montem ascenderat : hoc est , ne rex crearetur : non enim erat regnum eius temporale , & ideo uetus est verbo *fugiendi* , quo illi non vñ sunt. Dicit autem , iterum ; quia iam semel eò ascenderat miraculum facturus.

Vi autem sero factum est.] Priùs Discipuli descenderunt in mare , ut patet ex aliis Euangelistis , & postea ipse ascendit in montem:

sed dixit id Ioannes præoccupando ordinem rei gestæ, vt ait August. 2. de consensu Euang. c. 47. quemadmodum, & statim venerunt trans mare in Capharnaum, &c. mare autem vento magno flante exurgebat, &c. Pius enim, & orta, & sedata est tempestas, quām venirent Capharnaum.

In Capharnaum.] Quæritur, quomodo venerint in Capharnaum, cùm scribat Marcus, & statim coegerit discipulos suos ascendere nauim, vt precederent cum trans fretum ad Bethsaïdam, & inde in Capharnaum. Caietanus ait, Capharnaum fuisse à mari remotam, & ideo portus non erat Capharnaum, sed Bethsaïda: quare idem est, *venire in Capharnaum;* & *in portum Bethsaïda.* Sed falsa est eius responsio: nam licet aliquantulum distet à mari Capharnaum; adhuc tamen dicitur esse in litore, & habet proprium portum. Vnde Marc. 2. cùm Dominus esset in Capharnaum egressus in mare, & cùm præteriret, *vidit Matthæum in tælonio:* tælonium autem erat ad mare, vt vestigalia à nauis exigerentur, vt aperte indicat Ambrosius Lucæ 5. in vocatione Matthæi. Recipienda est ergo Iansenij responsio, quæ ex dictis vera esse intelligitur: nam cùm Apostoli soluerint è litore opposito Tyberiadi, quæ est in inferiori parte lacus, vt dictum est, prius venturi erant Bethsaïdæ, quām Capharnaum, quæ est supra Bethsaïdam in superiori lacus parte. Sed Marcus nominat Bethsaïdæ, quoniam reverè ad eam primū appulerunt: Ioannes autem Capharnaum nominat; quia non steterunt Bethsaïdæ, sed continuè venerunt Capharnaum. Conuenit autem optimè, quod Matthæus, Marcusque scribunt, *venisse in terram Genasar;* quoniam in ea erat Capharnaum, vt dictum est.

Quasi stadia vigintiquinque, aut triginta.] Scriptores sacri quædam humano more loquuntur; id est, dubitando, quoniam nihil ex suo, sed ex Spiritu sancto accipiunt, scribunt: qui quædam quoniam ad rem non pertinebant, sub dubitatione relinquere solet. Vtrum vigintiquinque stadia fuissent, an triginta; Ioannes memoria tenebat eiusmodi esse distantiam, quæ non esset minor vigintiquinque stadiis; nec maior triginta. Postea cùm scribebat, docuit eum Spiritus sanctus, ita esse, nihil præterea definiens; quoniam hanc distantiam, vt ab Euangelista expressa est, cognosci oportebat, vt videremus, multum eos laborasse, & periclitatos fuisse; disceremusque, non esse desperandum, si cum laborare, & periclitari incipimus, Dominus continuò non subuenit. At vigintiquinque ne stadiorum fuérit, an triginta, nihil nostra referebat. De huiusmodi dubitationibus diximus Ioëlis. 2. in illis verbis; *Quis seit, si conuertatur?* Quod si aliquis dicat, quomodo Ioannes dicit, cùm remigassent quasi stadia vigintiquinque, aut triginta; cùm Matthæus, & Marcus dicant, fuisse in medio mari, cùm venit ad eos Dominus? Non enim est latitudo huius maris nisi stadiorum quadraginta. Respondetur, non fuisse rectam navigationem, sed transuersam: non enim venerunt Tyberiadem, sed Bethsaïdam, quæ est

est supra Tyberiadem versus superiorum partem lacus.

Ambulanter super mare.] Hoc fecit ut ex hoc miraculo inteligerent, quorum miraculum panum fecisset, videlicet ut significaret; nunquam se defuturū Ecclesiā suā, & quārentibus se in necessitatibus, & periculis: non enim hoc satis intellexerant ex miraculo panum: nam ut scribit Marcus; *Non intellexerant de panibus, erat enim cor eorum excacatum.*

Voluerunt ergo accipere eum in nauis.] Matthæus, & Marcus aiunt, Domum in nauim introiisse. Propter quæ verba, & alia quæ videntur dispare, Chrysost. homil. 40. putat non esse hanc tempestatem, de qua Matthæus scripsit: sed eadem est sine dubio, ut videmus apud Aug. 2. de consen. Euang. c. 47. quod etiam confirmat Euthymius, & communis sententia veterum, & recentiorum: & obiectiones eius facile soluuntur. Prius timuerunt, & phantasma esse putauerunt: deinde locutus est eis, *ego sum, &c.* vt loqui solent, qui se agnoscí volunt à suis; deinde Petrus dixit: *Domine, situ es, in te me venire ad te, &c.* postea voluerunt eum accipere in nauim, vt ait Ioannes. 1. *Orauerunt ipsum, ut in nauim ascenderet: & ingressus est,* vt aiunt Matthæus, & Marcus: *& statim nauis delata est Bethsaidam:* id est, velocissime, & quasi momento temporis; cum tamen multum maris restaret nauigandum. De sensu spirituali huius miraculi, vide Cyrillum lib. 3. cap. 23. & 24. Augustinum tract. 25. Bedam hic, & Marci 6. Iansenium cap. 58.

Altera die.] Id est, die continuò sequente multi ex illa turba, quæ dimissa fuerat à Domino die præcedenti, redierunt, ut ipsum quarerent, & Regem facerent; eoque non inuenio mirabantur: viderant enim ibi die proximo tantum fuisse nauiculam, qua Apostoli relicto Domino nauigauerant; licet autem cum ipsi redierunt, essent ibi naves quædam, illæ superuenerant tunc à Tyberiade in locum ipsum, vbi factum fuerat miraculum. Itaque nulla earum vti potuit Dominus ad nauigandum; suspiciati ergo miraculum, illis nauiculis mare traiecerunt, & inuenierunt eum in Capharnaum. Cæterum vbi habemus, *gratias agentes Domino;* in Græcis codicibus, *gratias agente Domino;* id est, vbi Dominus gratias egerat Patri, & miraculum fecerat. Ex Chrysostomo, & Cyrillo, & Augustino non constat, quid legerint. Euthymius ita legit, ut habent Græci codices: atque ita legendum videtur, ut etiam ait Iansenius, cap. 59. quoniam facilius verba Latina vitiani potuerunt litera, *S,* tantum addita, quam Græca, in quibus plura mutanda fuerant, licet utraque lectio sit satis probabilis: & erit sensus alterius, vbi turbæ gratias agentes Deo, & eum laudantes manducauerant.

Quando huc venisti?] Id est, heri te vesperi trans mare reliquimus, hodie manè te quæsuimus, quando huc venire potuisti? Chrysostomus, homil. 42. operæ prætium autem hoc in loco considerare instabilem multitudinis voluntatem: qui enim paulò antè dixerant; *bis est verè Propheta,* qui eum rapere, & facere regem volebant, iam refrigue

refrigeruerant, & obliti miraculi non amplius admirabantur; sed quærebant, arbitror, alias cibum accipere, &c. Hoc intelligitur ex responsione Christi.

Amen, amen dico vobis.] Quæritur, cur bis dicat; *Amen*, cùm rem dicat, quam ipsi veram esse sciebant? Respondetur; quoniam multi videbantur sibi Domini amore, & deuotionis affectu venisse, eùm tamen reverè propter cibum venirent.

Non quia vidistis signa.] Si quærunt eum, quia manducauerunt ex panibus in deserto, ergo propter signa quærebant: quomodo ergo dicit; *non quia vidistis signa?* Respondetur; hunc esse sensum: si rectè, & eo affectu, quem ostenditis, me quæreretis, proprieà quærere debbatis, quòd tot signis visis debebatis quærere me; & quærere me, ut doceremini viam salutis: at id contemnit, & tantùm me quæritis, ut iterùm vos exsaturem cibis. Augustinus tract. 25. *Quaritis me propter aliud, querite me propter me:* vnde subdit statim, *operamini.*

Operamini non cibum qui perit.] Id est; nolite curam, & sollicitudinem ponere in cibo corporis quærendo, qui in ventrem vadit, & in secellum emititur; sed in quærendo cibo animo, qui non corruptitur, sed perducit comedentes in vitam æternam. Hunc cibum operamini; id est, laborate, & omne studium adhibere, ut eum comparatis. Quæ verba Chrysostomus, & Cyrillus, & Theophylactus generaliter intelligunt; ita ut diximus. Augustinus verò tractatu 25. intelligit de Eucharistia; nos vtrumque intelligamus: nam de omni cibo spirituali loquitur, sed potissimum de sacra Eucharistia. Cùm autem dicit, operamini non cibum, &c. non docet non esse laborandum ad quærendum cibum corporis; vt hinc colligebant Massaliani hæretici, vt ait Theophylactus, seu potius Massaliani, qui Psalliani dicuntur ab Augustino, in lib. de hæres. cap. 57. Vide Castro lib. 9. contra hæres. in principio. Contra hos disputat Chrysostomus homil. 43. & Theophylactus: sed hoc tantùm dicit Dominus, potissimum curam esse debere salutis animæ, atque ideo reprehendit istos, qui totam in cibo ponebant; & idem docuit eleganter Matth. 6. in fine: etenim bonum esse, ac Deo gratum labore manuum viëtum quærere, sæpe docet Pau. 1. Thessalonic. 4. *Et operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis:* Ephes. 4. qui furabatur, iam non furetur, magis ausem laboret operando manibus suis, &c. Et ipse similiter fecit Actu. 18. & 20. & 1. Corinth. 4. Adnotat autem Chrysostomus Dominum asperius respondere, vt humanam gloriam contemnere, & salutem eorum tantùm curare ostendat; atque: *Non semper clemens utendum est, & lenitate, sed ignarus discipulus, & ingenio pinguior acrioribus magistri stimulis ab ignorantia excitandus est;* Quem morem, & hinc, & alibi sæpe numerò Dei filius seruavit.

Postremò obseruandum est, hanc esse Christi consuetudinem, vt à rebus corporalibus, de quibus homines loquuntur, arrepta inde occasione per similitudinem eos inde citò attollat ad res spirituales,

vt in

vt in sermone illo habitu cum Samaritana perpetuò fecit, & Lucæ 13. putatis, quod nunc Galilai, &c. ita nunc à cibo corporis transit ad cibum animæ.

Hunc enim pater signat Deus.] In Græco est ἐπειγόντες, quod verbum significat sigillo ob-signare, authoritate sua comprobare, & confirmare: nam σημαῖς, idem est quod *sigillum*. Est ergo sensus; hunc enim Deus pater testimonio vocis sua, & Prophetarum suorum, & miraculis declarauit, & comprobauit, mitti à se in salutem mundi; quæ expositio est Chrysostomi hom. 43. & mihi cum Titelmanno, & Ian-senio cap. 59. videretur cæteris omnibus præferenda. Eodem verbo usus est cap. 3. Qui accepit eius testimonium, signavit quia Deus verax est.

Quid faciemus, vt operemur, &c.] Rectè, vt mihi quidem videtur, intellexerunt Domini verbum: quod & ex responsione Christi intelligi potest. Aiunt ergo; quandoquidem præcipis nobis quærere cibum animæ; id est, opera Deo grata, quæ Deus docuit, & fieri iussit à nobis, (hæc enim sunt opera Dei) dic nobis, quæ sint opera hæc vt faciamus. Cæterum ubi habemus, quid faciemus; in Græco est, quid facimus: & idem verbum ponitur cap. 11. ibi; quid facimus, quia hic homo, &c. Est autem notandum, hanc esse consuetudinem Scripturæ, præsertim in interrogationibus, vt præsens pro futuro ponatur, vt significetur summa certitudo; id est, paratiissimos esse qui loquuntur ad faciendum, quod interrogant: quod maiori energia significatur in præsenti, quam in futuro: vt, quid facimus, quia hic homo multa signa facit? id est, videte quid factò opus est, & continuò sine mora faciemus. Et Lucæ 22. Domine si percutimus in gladio? Eandem vim habet tempus præsens, cum ponitur post verbum volo, aut aliud simile interrogando, vt Matth. 23. Vis imus, & colligimus ea? Et Lucæ 9 Vis dicimus, vt ignis descendat de celo, & consumat eos? Sed nostra translatio aliquando phrales Hebraeorum relinquit, vt erant; aliquando more Latinorum conuertit: & ideò dixit hic, quid faciemus? Quare nihil erat, quod hic corrigerent Erasmus, & Cajetanus.

Præsens pro
futuro in
interroga-
tionibus
præsertim.

Patres nostri, &c.] Non hoc dicunt, quasi signum illud prius satis non fuerit; sed simulant sibi satis non esse, vt iterum à Domino pascantur: volebant enim otiosi pasci à Christo more veterum Patrum, cum erant in deserto. Alludunt autem ad illud Psal. 77. Et pluit illis manna ad manducandum, & panem celi dedit eis. Manna cur dicatur, habemus Exo. 16. Quia dixerum filii Israhel admirantes manu; id est, quid est hoc? Quam interpretationem, quia non est in Hebreo, quidam ex Hebrais minime recipiunt; quibus assentiuntur Pagninus in Thesauro, verbo manna, & Vatablus Exod. 16. aiunt enim, manna, siue man significare donum, à verbo מִנְחָה manah; quod est donare, quasi dixerint filii Israhel manhu; id est, donum hoc scilicet est Dei: nā Hebraicē man nō significat quia, sed ma. At verò non solùm Hier. ita intellexit, vt habet nostra translatio; sed etiam L X X, qui ita vetterunt: Quod cum vidissent filii Israhel, dixerunt ad inicem, quid est hoc? Et similiter intellexit, qui

Manna nā
de dictum.

*Man dictio
vstatu
Chaldeis,
& Hebreis.* Chaldaicam paraphrasim vertit in Latinam : & meliorem esse hanc interpretationem docent etiam verba sequentia : *ignorabam enim quid esset.* Est igitur sciendum , *man* esse dictionem vstatam Chaldaicis , & Hebreis , & idem esse quod *quis*, aut *quid*; vt Dan. 3. *Si quis autem non prostratus adorauerit*, &c. & ibidem, *quis est Deus*, qui eripiet vos de manu mea ? Et Psal. 60. *Materiam, & veritatem eius quis requiret*? Vbi similiter interpretati sunt L X X .vt videmus. Denique vt arguantur recentiorum Hebræorum ignorantia , Ioseph 3. Antiquitatum c. 1. ita ait: *hoc Hebrei manna vocant: nam hec non man in nostra vernacula est percunctatio, quid hoc est?* interrogans. Ex his patet, literam N, non esse adiectiōrem syllabicam, vt putauerunt Exodi 16. Caiet. & Lipom. in Cathena, & Iansenius c. 59. sed esse ex literis nativis ipsius dictionis *man*.

Non Moyses dedit vobis panem de calo.] Id est, panis, quem vobis dedit Moyses, non fuit propriè de cælo: nec enim in cælum ille ascendit, vt inde deferret Patribus vestris; sed panis cæli dicitur, quia in aëre factus est, sumpto cælo pro aëre: vt cùm dicimus, Volucres cæli; At panis corporis mei, quem vobis pater meus datus est, ille est verè de cælo, quia de cælo propriè dicto descendit , & est panis verus cum arriculo; id est, eximius inter omnes panes, quia viuiscat, & reddit homines incorruptiles: non est iste panis Moysis, sed panis Dei , qui est in cælo , & dat illum , vt dævit vitam mundo ; id est, non solis Iudæis , vt manna; sed vniuersis hominibus, qui eo vesci voluerint : capitur enim mundus, vt cap. 3. cùm dixit ; *sic Deus dilexit mundum*, &c.

Panis vita.] Id est, viuiscans.

Non esuriet. &c.] Petierant hunc panem, & quasi desiccare posset, aut vim non haberet perpetuam nutriendi, addiderunt; *semper da nobis panem hunc*, idèò hoc meru eos liberat, si velint ad se accedere per fidem, & opera; promittitque non solum cibum, sed etiam potum; id est, corpus, & sanguinem, quo nunquam esurient, neque sient: atque hoc ita intelligendum est, vt illud c. 4. *Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sient in eternum:* docet autem, quomodo venturi sint ad se; id est, credendo: in quo fides, & opera intelliguntur, vt cap. 5. explicuimus.

Sed dixi vobis, quia & vidistis me, & non creditis.] Ita legendum ; non autem credidistis; id est, vos non vultis huius vita participes fieri, quia vt iam vobis dixi, *vidistis me, & non creditis*; id est, vidistis me operari talia miracula, ac tanta, vt facile ex illis me cognoscere possetis, & credere in me. Videre rem dicitur more Scripturæ, & vulgaris, qui eam habet ante oculos; & facillimè posset cognoscere, licet plenè non cognoscatur, vt Matth. 13. *Ideò in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audiētes non audiunt;* & adimpletur in eis prophetia Isaia dicentis : *Auditus audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis.* Sed vbi hoc Dominus dixit ? Cyrillus dictum putat per Isaiam, in verbis modis citatis c. 6. Iansenius autem c. 89. Respondet, vel fuisse dictum, & non esse scriptum : & ita respondet Euthymius : vel dixisse in illis verbis; *Queritis me, non quia vidistis signa; sed quia manducaſis ex panibus.*

Vtraque

Veraque responsio est satis probabilis; sed posteriorem sequitur Montanus, & ea mihi videtur probabilior.

Omnē quod dat mīhi pater.] Tacitē eos terret, docens abiiciendos esse, nisi credant, & alios pro eis credituros esse; eos scilicet, qui à Patre dati sunt Filio; id est, prædestinatos, quos Pater Filio commendauit, ut per eius Passionem, & merita bona vitam aeternam consequerentur, quasi diceret; parum refert, si vos non credatis: multi alij credent, & venient ad me, & ego eos amplectar, ac fovebo, ut ne vnuis quidem ex eorum numero pereat. Quare cūm cæteri omnes sint perituri, qui ad me non venerint, videte, quid vobis vtile sit. Cæterū *omne* dixit, ut doceat, neminem prorsus ex prædestinatis esse peritum, & ut neminem excludat: genus enim neutrum aptius videtur ad comprehendendum multa: similiter hic comprehendit mares, & foeminas; Iudeos, & Gentiles; doctos, & indoctos; & quidquid comprehendendi potest. Ita Philosophi vniuersam creaturarum collectionem vocant Græcè τὸν οὐρανόν Latinè *universum*: ita etiam loquitur Dominus, c. 12. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum:* Et Apostolus 1. Corinth. 11. *Nam licet mulier de viro ita, & vir per mulierem; omne autem ex Deo.*

Non eiiciam foras.] In nonnullis codicibus Græcis legitur; non eiicio: sed Chrysost. & Cyrillus aperte legisse videntur, non eiiciam; & apertius Theoph. qui ait: *Non eiiciam; id est, non perdam sed saluabo; & magna cura illum refocillabo.* Atque ita legendū est: facilius enim hic vitiari potuerunt Græca, quam Latina, addita litera L, vel detracta, vbi plures erant mutandæ: si enim legatur εὐθέλλω cum duplice, L L, est præsentis temporis; si autem cum simplici, L, est futuri temporis. Ex his patet, plus dixisse hit verbis, quam significare videtur; iuxta Regulam traditam à nobis Michæl. 2. in principio. Aug. tract. 25. *Quale est intus illud, unde non exiit foras: magnum penetrare, & dulce secretum. O secretum sine odio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum & dolorum?* Nonne illud secretū est, quòd intrabit ille, cui dicturus est Dominus seruo bene merito: *Euge serue bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Mat. 25:1

Sed resuscitem illum, &c.] Loquitur de resurrectione gloriofa, ut nolat Chrysostomus, quam, cap. 5. vocavit *Resurrectionem vita*. Dixit autem, non perdam omne; id est, nihil perdam, iuxta phrasim Hebraeorum, ut Abac. 2. *Omnis spiritus non est in eo, ut ibi notauiimus.*

Hec est auem voluntas patris mei.] Iterum repetit, vt & magis confirmet, & explicet, qui sunt dati sibi à Patre: hi autem sunt, qui vident Filium; id est, qui recte cognoscunt, & percipiunt Doctrinam veritatis, & credunt in eum. Ita Cyrillus. Cæterū tam hīc, quam in priori sententia, vbi habemus: *Hec est enim voluntas eius, &c.* Græci codices habent; *hec est autem.* Augustinus in priori legit; *hec est autem:* in secunda; *hec est enim:* & ita se reperisse dicit Iansenius in antiquis Bibliis manuscriptis. Sed nihil refert, cūm in sensu nihil varietur, iuxta lectionem, quam nos habemus, quæ communior est, cūm dixisset, *non eiiciam foras,* redditur pro causa: *Hec est enim voluntas eius,*

*Pater commendauit
Filio præde-
stinaros.*

eius, &c. quasi diceret : si enim ego non recepero, sed foras eiecerō, perdetur omnino. Deinde hoc ipsum magis explicaturus ait ; *hac est autem voluntas, &c.*

Nolite murmurare inuidem.] Reddit rationem, cur murmurare non debeant, cūm dicit, *nemo potest venire*, &c. quasi diceret; non est cur murmuraretis: si enim hoc vobis falsum, aut incredibile videtur, non est propterea quod falsum sit; sed quod vos increduli estis, & non intelligitis, quia Pater meus non traxit vos propter duritiam cordis vestri & obstinationem. Ne igitur mihi imputetis, quasi male dixerim; sed vobis imputate, qui duritiae vestra resistitis Patri trahere vos cupienti; sed vae vobis, quos mors æterna manet, nisi veneritis ad me : ego enim resuscitaturus sum venientes ad me. Cæteri autem in mortem æternam mittentur.

*Manichæ-
rum haer-
ses, tollen-
tium libe-
rum arbi-
trium.
Trahi pro
amore duci.*

*Rerum ter-
renarum
contemptus.*

Traxerit eum.] Stultissime Manichæi ex his verbis tollebant libertatem arbitrij, quasi nō trahatur nisi qui vi ducitur, cūm sit & in Scriptura, & in profanis authoribus vistissimum, *trahi*, pro eo, quod est amore, & vehementi animi inclinatione duci. Prou. 7. Et statim sequitur eam, quasi vos ductus ad victimam, & nescit quod ad vincula stultus trahatur. Cant. 1. Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum, in funiculis Adam trahā eos, in vinculis charitatis. Apud profanos authores, vt apud Cicer. I. off. prope principium : *Omnis ducimur, & trahimur ad cognitionis, & scientia cupiditatem.* Et pro Archia Poëta. *Trahimur omnes laudis studio, & optimus quisque maximè gloria ducitur.* Et quod ex Virg. citat Aug. tract. 26. *Trahit sua quemque voluptas.* Intelligitur igitur nomine tractionis hoc loco, vis quedā maximè suavis, & voluntaria, qua Deus intus erudiens homines, quam amanda sint cælestia, quā contemnenda terrena, quantū Deo debeat pro beneficiis acceptis, & accipiens, efficit, vt omnia relinquat, & vnum Deum toto corde amplectatur: quod præclarè describitur illis verbis Oseæ. 2. Ecce ego lactabo eam, & ducam in solitudinem, & loquar ad cor eius. Et hoc significat Dominus, Ioan. 12. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Denique Dominus ipse explicat apertissimè, *trahi à Patre nihil aliud esse, quam hanc supernaturalem cognitionem, & motionem voluntatis à Patre accipere*, cūm ait : *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me;* & postea : *sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt, &c.* propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo. Nec tamen sequitur hinc, excusari debere eos, qui non credunt, quandoquidem non trahuntur : nam ipsi suis peccatis obstant diuinæ vocationi, & rebellēs sunt lumini, vt isti, quos ideo Dominus reprehendit, & comminatione æterni supplicij territ.

Et scriptum est in Prophetis : Et erunt omnes docibiles Dei.] In Prophetis; id est, in uno Prophetarum, more Hebraeorum : alludit autem ad verba Isa. cap. 54. *Ponam vniuersos filios tuos doctos à Domino;* vt ibi ait Hieronymus. Quamuis nihil vetat intelligere de aliis etiam Prophetis, in quibus hæc eadem sententia aliis verbis legitur,

vt Hieremias 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, &c. Et Isa. 2. & Mich. 4. Et docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius.* Sed, vt ad verba Isaiae redeamus, vnde hæc præcipue desumpta sunt, docet Prophetæ, omnes filios Ecclesiæ interius docendos esse à Deo, & mouendos, vt veritatibus fidei, & morum ab Ecclesiæ propositis assentiantur, & ita ad Christum veniant, & per eum Deum quærant. Atque idem est, quod Dominus his verbis significauit, quæ eleganter explicat Augustinus lib. 1. de gratia Christi contra Pelagium, & Celest. c. 12. & 13. dicit hanc doctrinam esse, qua vera cognoscuntur, & cognita amantur, cámque à Deo altius & interius infundi, non solum per Prædicatores, sed etiam per seipsum occulte operantem. Sic enim inquit, docet Deus eos, qui secundum propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quod sciunt agere. Et adducit illud 1. Thessa. 4. *Decharitate autem fraternitatis non necesse habemus scribere vobis. Ipsi enim vos à Deo didicistis, vt diligatis inuisum.* Atque vt probaret eos à Deo didicisse, subiunxit; *Etenim illud facit in omnes fratres in vniuersa Macedonia.* Sed circa verba ipsa notandum est, vbi nos habemus docibiles, in Hebreo esse לְמַדִּים limudim, quod significat doctos, sive eruditos, sive discipulos. Et propterea noster Interpres ibi vertit doctos à Domino; c. autem 8. eiusdem Prophetæ ait: *Signa legem in Discipulis meis;* id est, in eis, qui à me doccebuntur. Et c. 50. Dominus dedit mihi linguam eruditam: in Hebreo est linguam לְמַדִּים limudim: id est, eruditorum. Est ergo sensus, vniuersos filios tuos, ô Ecclesia, Dominus docebit, ipse magister eorum erit, & ipsi erunt discipuli. Quod si quærat aliquis, quomodo dicat, vniuersos filios? Respondetur, Augustinum loco citato intelligere de prædestinatis: sed possumus etiam de cæteris, qui sunt in Ecclesia intelligere, si ita exponamus, vt exposuimus illud c. 1. *Erat lux vera, qua illuminat omnem hominem, &c.* Quod autem transtulit ibi, doctos à Domino; hic vertitur docibiles Dei; id est, discipuli Dei, qui ipsum audient, & ei se dociles discipulos præstabunt. Et ita vbi habemus 1. Thessalon. 4. *Ipsi enim à Deo didicistis;* in Graeco est: ipsi enim διδάσκαλοι εστις; id est, Dei discipuli εστις, & ab eo edociti. Sed docibiles & passiuè capi potest, vt hic; & actiuè pro eo qui aptus est ad docendum alios, vt 2. Timoth. 2. *Seruum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, &c.* Docibilem; id est, potius paratum ad docendum alios veritatem quam nouit, quam ad contentiosè litigandum. Hæc autem diuersitas significationis intelligitur ex nominibus Graecis diuersis: nam in hoc loco Ioannis, & etiam Isaiae 54. apud LXX. est in Graeco διδάσκαλος, quod non est participium, sed nomen verbale significans eum, qui ab alio docetur, quod etiam in loco Pau. cit. 1. Thessalon. 4. videre licet. In hoc autem loco 2. Timoth. 2. non est διδάσκαλος, quod passiuè accipitur; sed διδάσκαλος, quod accipitur actiuè; id est, aptus ad docendum: vnde 1. Timoth. 3. vertitur doctor: oportet enim Episcopum irreprehensibilem, &c. hospitalem, doctorem: nec est hoc nouum in hoc nomine docibilis; quandoquidem

Omnies filii
Ecclesia in-
terius do-
cendi à
Deo.

sunt nonnulla eiusmodi nomina apud Latinos; sicut *sensibile* dicitur, quod sentitur; & quod sentit; *penetrabilis*, quod penetratur, & quod penetrat.

Non quia patrem, &c.] Tacite obiectioni responderet: putare enim possent eos qui à Deo docentur, vidisse ipsum Deum, præsertim Prophetas; & ideo retinet Dominus authoritatem, & prærogatiuam suam, docens se solum inter omnes homines, qui ad docendum missi sunt, Deum vidisse: quod latè explicuimus c. i. in illis verbis; *Deum nemo vidit inquam.*

Habet vitam æternam.] Id est, habet certissimum eius pignus, quod est quodammodo, habere vitam ipsam æternam, seu beatitudinem. Notandum est autem, crebrò repetere Dominum in hoc capite se esse panem vitae, & præbere vitam æternam comedenti; nec posse habere vitam, qui non manducauerit hunc panem: & alia huiusmodi, ut maiorem dictis certitudinem, & similitatem addat, magisque ea in animis auditorum insigat.

Patres vestri manducauerunt manna, &c.] Ab effectu docet, quantum præstantior sit panis iste cælestis manna illo. Sed est insignis difficultas in hac ratione; nam si loquitur de morte corporis, etiam omnes qui edunt Eucharistiam moriuntur; si autem de morte animæ, non omnes, qui comedenter manna, mortui sunt Moyses, Iosue, Aaron, & alij: sed neque omnes, qui Eucharistie participes sunt, consequuntur beatitudinem. Augustinus tract. 26. Responderet, Dominum non loqui de omnibus, qui comedenter manna; sed de malis: & ideo ait, *patres vestri murmuratores, quorum vos filii, & imitatores estis, similiter murmurantes.*

Illi igitur perierant, quia non intellexerunt, nec crediderunt, quod per manna significabatur; id est, verum panem vita: boni verò viuificati sunt, quia sub illo cibo visibili spiritualiter manducauerunt verum panem vitae per fidem, quem & nos edendo viuiscamur: eadem verba sunt in Beda, & in Glossa; & ita etiam videtur intelligere S. Thomas. Hanc tamen expositionem Iansenius c. 59. reiicit tanquam coactam, & literæ non conuenientem: ratio eius est, quoniam ita non constituitur differentia absolute inter manna, & panem vitae; sed tantum respectu malorum. Mihi verò videtur, nec respectu malorum constitui, quoniam mali, & increduli, nec per manna viuiscati sunt, nec modò per Eucharistiam viuiscantur. In hoc igitur tantum differentia constituitur iuxta hanc opinionem, quod manna significabat tantum verum panem; id est, corpus Christi; Eucharistia verò significat id, & verè continet; & ita omnino explicuit S. Thomas. Ex qua sequitur altera, manna non viuiscasse ratione sui, sed ratione fidei eius, quod significabat: Eucharistia verò viuiscat ratione sui. Ex autem differentia eti. veræ sunt, non tamē videtur ylo modo conuenire verbis Domini, dicentis; *mortuos esse, qui manducauerunt manna; non mori autem, qui manducant Eucharistiam.* Dicendum est igitur cum Caietano, constituit differentiam inter manna, & panem vitae, non secundum idem omnino;

Mali & increduli non viuiscantur per Eucharistiam.
Differentia inter manna & Eucharistiam.

sed

Per manna significabatur verus panis vita.

sed secundum idem proportionaliter ad hunc modum; manna est panis
aledo corpori datus; Eucharistia datur alendae animae, estque eius pa-
nis. At Eucharistia panis animae est, ideoque est multo praestantior, &
animae non solum alimentum praebet ad tempus, sed etiam vita in eternum. Est
autem huic expositioni addendum, hoc etiam Eucharistiæ esse melioræ man-
na, quod Eucharistia non solum animæ, sed etiam corpori ipsi vita praebat
eternam, & ideo toties Dominus dicit, *& ego resuscitabo eum.* Itaque man-
na licet ad tempus nutrire corpus, nullum tamè in eo relinquebat se-
men immortalitatis, quia res erat vita caretus, nec poterat ultra substan-
tiam suam operari. At vero corpus Christi relinquunt in anima semen
quoddam, & virtutem quandam immortalitatis effectricem, quia in eo
datur vita ipsa, de qua dicitur, *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum;* ex
qua vita anima virtute accipit ad semper viuedum vita supernaturali; de
hac enim loquimur, non de naturali, quam ammittere non potes, cu[m] sit im-
mortalis & ex hac vita animæ cu[m] per gloriam perficitur, redundabit suo
repose in corpus, cu[m] quo iterum non recessura copulabitur, & cui ratione
istius vitae debetur illa copulatio, vita gloriosa iuxta illud, Angustini
epist. 56. ad Diocorum; *Tan potenti enim natura Deus fecit animam,* ut ex
eius plenissima beatitudine, que in fine temporum sanctis promittitur, redundet
etiam in inferiorem naturam, quod est corpus non beatitudo, qua fruens, & in-
telligentis est propria, sed plenitudo sanitatis; id est, incorruptionis vigor. Quod
statim Dominus explicat: constituta enim hac differentia, quam di-
ximus, continuo reddit rationem; *Ego sum panis viuus, qui de Cœlo desce-
di;* si quis manducaverit ex hoc pane, viuet in eternum; quasi dicere; manna
erat panis quidam vita expers, & de aere missus; ego sum panis, qui ha-
bet in seculo vitam; qui non de aere veni, sed celo; nec missus sum tamè
quam res inanimis, sed descendens, ut viuens, & ideo possum vitam imper-
tiri manducanti me, quod manna efficere non poterat, cum esset sine
vita. Quare cum dicit; *Patres vestri manducaverunt manna, & mortui sunt;*
significat, per hoc manna non consecuti sunt, ut semper viuerent: At
qui me edunt, per me consequuntur, ut licet ad tempus corpus moria-
tur, resurgat tamen virtute huius panis vita, & in eternum viuat. Hoc
tamen intellexisse Cyrillum constat ex eius verbis: *mortui ergo sunt, in-*
quit, qui manna manducaverunt, quia nullam inde vita perpetua virtutem
aceperunt: non enim viuiscabat, sed famem solunmodo corporalem re-
movebat. Denique ideo etiam addidit, *in deserto,* iuxta Chrysostomum, & Theophylactum, ut ostenderet, manna non diu durasse,
nec in Terram promissionis cum eis venisse; at vero virtus istius pa-
nis durat in eternum, & eo iam reuelato vescuntur in vita eterna.
Quod si adhuc aliquis obiciat, multos vesci hoc pane, qui tamen
damnantur: Quomodo ergo dicit; *qui manducat hunc panem, viuet in*
eternum? Responderetur; huiusmodi propositiones, quibus virtus, &
efficacitas alicuius rei explicatur, intelligendas esse per se, quantum
est ex virtute ipsius rei, nisi aliquid per accidens obliteret;

Eucharistia
dat vitam
eternam
corpori &
anima.

Beatus
fruens &
intelig-
entia est pro-
pria.

verbi

veebi gratia, pharmacum bene temperatum dicitur excernere noxios humores, & restituere sanitatem: sed si quis eodem die crassis, & non centibus cibis se ingurgitet, nihil efficiet pharmacum; ita panis iste celestis, &c. Eodem modo dixit Dominus in hoc c. qui credit in me, habet vitam eternam.

Pro mundi vita.] Rectè ait Lyra: sicut vita naturalis est in membris, eo quod vniuntur capiti, à quo accipiunt influentiam sensus, & motus sic in fidelibus, qui sunt membra Christi, vita spiritualis conseruatur, eo quod vniuntur capiti Christo per sacramentum amoris.

Nisi manduaueritis carnem, &c.] Non docet id, quod ipsi volebant, quomodo potest hic, &c. Sed docet maximam huius Sacramenti necessitatem, ut credant primum, ac deinde per fidem melius intelligent; quomodo res tanta intelligi potest in hac vita, iuxta illud Isa. 7, secundum translationem LXX. *Nisi credideritis, non intelligetis:* ita Cyrillus. In his verbis est duplex difficultas magna. Prior est, quomodo hæc verba vera esse possint, si intelligentur de mandatione sacramentali: multi enim adulti nequeunt istud Sacramentum suscipere; vt qui in terris Infidelium tenentur, quos tamen non est verisimile damnari. Quod si dicas, hos voto suscipere, quamvis re non possint: Certe infantes baptizati, qui ante usum rationis decedunt, nec re suscipiunt, nec voto; & tamen nemo est, qui dubitet illos vita æterna perfungi.

Eucharistia sacramentū est de necessitate salutis in re, vel in votō.
Respondeatur ex S. Thoma 3. p. quæst 73. a. 3. hoc Sacramentum esse de necessitate salutis in re, vel in voto: hoc autem votum etiam habent suo modo Infantibus baptizati: hoc enim differunt Baptismus, & Eucharistia, quod per Baptismum ordinatur homo ad Eucharistiam, quæ est quasi consummatio spiritualis vitae, & finis omnium Sacramentorum: & ideo ex hoc ipso, quod infantes baptizantur, ordinantur per Ecclesiam ad Eucharistiam: quare sicut ex fide Ecclesiæ credunt, sic ex intentione Ecclesiæ desiderant Eucharistiam: ad Baptismum autem non ordinantur per aliud Sacramentum; & ideo Infantibus nullo modo habere possunt votum Baptismi ante eius susceptionem. Si autem loquamur de voto personali, & acta elicito, non est hoc Sacramentum de necessitate salutis, nisi solis adultis, vt super hæc verba ait S. Thomas. Ex quo patet, Infantibus non esse conferendum hoc Sacramentum, quia non possunt habere actualem devotionem, & reverentiam, quam habere oportet eos, qui hoc Sacramentum suscipiunt. Et quamvis nonnullæ Ecclesiæ olim consueuerint Infantibus præbere, vt videamus apud Cyprianum in sermone, siue epistola de Lapsis; quod etiam colligitur satis ex Dionysio, de Ecclesiæ Hierarch. c. 2. vt ibi notat Faber, & ex c. 7. tamen certum est, Patres illos, qui hoc faciebant, & probabilibus rationibus ductos fecisse, & non existimasse id esse de necessitate salutis, vt expressè docet Conciliū Tridentinū, sess. 20. cap. 4. ubi etiam decernit, patiulos usum rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalē Eucharistiae communionem. Augustinus aliter ad hoc argumentum respondere solet, fatetur enim hoc præcepto

etiam

Infantibus cur negetur Eucharistia.

Ex quo patet, Infantibus non esse conferendum hoc Sacramentum, quia non possunt habere actualem devotionem, & reverentiam, quam habere oportet eos, qui hoc Sacramentum suscipiunt. Et quamvis nonnullæ Ecclesiæ olim consueuerint Infantibus præbere, vt videamus apud Cyprianum in sermone, siue epistola de Lapsis; quod etiam colligitur satis ex Dionysio, de Ecclesiæ Hierarch. c. 2. vt ibi notat Faber, & ex c. 7. tamen certum est, Patres illos, qui hoc faciebant, & probabilibus rationibus ductos fecisse, & non existimasse id esse de necessitate salutis, vt expressè docet Conciliū Tridentinū, sess. 20. cap. 4. ubi etiam decernit, patiulos usum rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalē Eucharistiae communionem. Augustinus aliter ad hoc argumentum respondere solet, fatetur enim hoc præcepto

etiam paruulos teneri ; sed manducare tamen carnem Christi, cùm baptizantur; quoniam tunc participes sunt rei huius Sacramenti, quæ est unitas corporis mystici, sine qua non potest esse salus. Cùm ergo homo sit per gratiam membrum viuum Ecclesiæ aliis per charitatem unitum, tunc manducat corpus Christi , & biberit eius sanguinem: nam hæc societas iuxta Augustinum, nomine *carnis & sanguinis* intelligitur. Ita Augustinus tract. 26. & in epistola ad Bonifacium, cuius verba referuntur de consecratione d. 4. c. nulli, præterea lib. 1. c. contra duas Epistolas Pelag. c. 22. ut probet, non posse paruulos sine Baptismo saluari, adducit hūc locū, *nisi manducaueritis*, &c. & lib. 2. c. 4. idem facit, citans ad hoc verba Innocentij I. in Epist. ad Episc. Numidie. Hæc sententia sequitur D. Tho. hic, & 3. p. similiter & alibi saepe; de qua secundò postea fortasse dicemus. Possimus, mea sententia, & aliter ad hæc quæstionē facile, atq; expeditè respodere; si dicamus, hæc verba intelligi de sacramentali manducatione, sine qua nemo saluari potest in re, vel in voto, si adultus sit; & tantummodo de adultis vrbā fieri patet; quoniā nō tradit Dominus generale pronuntiatū, ut cū dixit c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. sed loquens adultis, qui litigabat ait; *nisi manducaueritis*, &c. nō pro omnibus, sed pro se, & pro omnibus adultis. Nec potest aliquid colligi aduersus hæc respōsionē ex precedentibus, & sequētibus in toto hoc sermone: nā docet quidē, hoc Sacramentū vitā præbere suscipiētibus; nū quā tamen dicit perituros esse omnes, qui non manducauerint sine illa exceptione. Quare falsum est, idē esse indicū de his verbis, & de illis, *nisi quis renatus fuerit*, &c. Probatut hoc, quoniā verba in Scriptura semper sunt intelligēda iuxta subiectā materiā: quare cū Baptismus sit institutus omni ætati, verba illa vniuersaliter intelligenda sunt de omni ætate: cùm autem Eucharistia instituta sit adultis, de adultis intelligēda sunt verba ad eam pertinentia. Hoc docet antiquissima vniuersalis Ecclesiæ consuetudo, quæ Infantes sine delectu baptizat; Eucharistiam autem non confert nisi adultis, etiam si videat paruulos decedere sine voto personali illius.

Posterior difficultas est; an ex his verbis probetur, non solum licitam, sed etiam ad salutem necessariā esse Communionem sub utraque specie: videtur enim apertissimè probari: non enim solum dicit; *nisi manducaueritis carnem filii hominis*; sed addit etiam; *& biberitis eius sanguinem*: cùm igitur sit præceptum obligans adultos, aq;e obligabit ad utrumque. Probatur hoc ex Ecclesiæ primitiæ consuetudine, quæ olim calicem etiam præbebat laicis, vt aperte docet Concilium Constantiæ, session. 13. & Tridentinum session. 21. c. 2. & ex 1. Corinth. 11. satis constat fuisse hunc morem, saltem in Ecclesia Corinthiorum: Denique multos annos viguisse in Ecclesia Romana ostendunt verba S. Laurentij, quæ recipit, & canit Ecclesia, & referuntur ab Ambrosio lib. 1. officiorum c. 41. *Experiere certè*, utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominicū sanguinis dispensationem, &c.

Ribera in Evangel. Ioann.

Y ita

Baptismus
institutus
omni ætati;
Eucharistia
solis adul-

Communio
sub utra-
que specie
an necessa-
ria.

S Laurentius Diaconus, & non Presbyter fuit.

Non est ex necessitate latitu, ut caeci, & Sacerdotes non conscientes, communicaent sub utraque specie.

Obiectio duplex.
Prima.

Secunda.

Responsio.

ita enim legendum est, non consecrationem; vt habent nonnulli codices: nam Laurentius non erat Presbyter, sed Diaconus: immo & tempore ipsius Ambrosij erat in Ecclesia haec consuetudo, vt patet ex eius verbis, quae referuntur a Theodoreto lib. 5. hist. Eccles. c. 18. & ex multis aliis historiis id constat.

Respondetur; nullo modo esse dubitandum, non esse de necessitate salutis, ut laici, aut Sacerdotes non conscientes comunicent sub utraque specie, ut contra Graecos, & Bohemos definiuit Concilium Constantiae sess. 13. & Basileae sess. 30. & contra Lutheranos eandem haeresim renouantes definit Tridentinum, sess. 21. c. 1. & sequentibus. Quae de re quoniam latissime agitur a multis, qui aduersus haereticos scripsierunt, ut a Rophensi arg. 16. contra Lutherum, & a Clithoueo in propugnaculo Ecclesiæ contra Lutheranos lib. 1. c. 28. & ab Ekiо in Enchiridio a 10. & in homiliis de sacramentis a 33. usque ad 36. inclusuè, & a Castro lib. 6. contra haer. verbo *Eucharistia*, haer. vlt. & ab aliis: Nos tantum dicemus, quod est nostri instituti, videlicet id nullo modo colligi ex verbis nostri Evangeliste, sed potius oppositum. Hoc probatur ex vniuersalibz Ecclesiæ consuetudine, quæ morem illum antiquauit iustissimis causis, prohibuitque laicis calicem dari, nisi ex peculiari summi Pontificis facultate, ut patet ex Concilio Trident. supra, can. 3. Quod certè non faceret, (cum habeat verum, & legitimū Scripturarum intellectum) si verba Domini ita essent intelligenda, ut haeretici volunt. Præterea docet hoc ipsum Concilium Tridentinum, supra c. 1. ad hunc modum: *Qui dixit, nisi manducaueritis, &c. dixit nihilominus, si quis manducauerit ex hoc pane, vivet in aeternum: & qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; dixit nihilominus, qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.* Itaque idem tribuit alteri speciei, quod utriusque. Et ratio est, quoniam sub altera est totus Christus integrus, ut sub utraque: & qui sumit corpus, sumit simul & sanguinem. Similiter respondent authores citati contra Lutherum. Sed aduersus hanc responzionem est duplex obiectio. Prima est: poterunt respondere haeretici, cum sumitur species panis, manducari Christum, sed non bibi: & tamen dicit, *nisi manducaueritis, & biberitis: nā si quis panem vino intinctum comedet, non dicitur bibere vinum, sed panem comedere: licet enim vinum sit potabile, non sumitur tamen ibi per modum potus, sed per modum cibi.* Secunda est: dicent haeretici, verba superiora explicanda esse per haec verba negativa, & vniuersalia, *nisi manducaueritis, &c. & per affirmativa, quæ sequuntur, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, &c.* Ad haec Catholici tantummodo respondent, Dominum his verbis, *nisi manducaueritis, &c.* non meminisse specierum, sub quibus hoc Sacramentum sumendum esset; sed tantum rerum sub speciebus contentarum; id est, carnis, & sanguinis, quae sub altera specie integrè sumuntur. Ita Rophen. loco citato, Ekius in Enchiridio, & hom. 3. 4. 34. de sacramentis, Clitho

Clithouæus c. 28. & 29. & Castro suprà, & Soto 4.d. 12.q. 1.a. 12. Sed ad
huc vrget argumentum, non bibi tunc sanguinem, sed manducari car-
nem cum sanguine. Vnde Innocentius III.l.4. de sacro altaris mysterio
c. 21. affirmat, nec sanguinem sub specie panis bibi, nec corpus sub
specie vini manducari. Præterea cùm Dominus reliquerit carnem sub
vna specie, & sanguinem sub altera, & caro, & sanguis non essent su-
menda in propria specie, sed in aliena, certum est, cùm distinguit car-
nem à sanguine, & manducationem à potionē, loqui de diueris specie-
bus, sub quibus hæc sumuntur. Nec valere posset hic responsio, qua se
Catholici tuentur, cùm loquuntur de verbis Consecrationis, videlicet
hæc verba dicta esse Sacerdotibus: nam hic nō loquitur Sacerdotibus,
sed laicis. Profectò res est satis difficilis, sed mihi ita videtur respon-
dendum; hæc verba licet nunc Iudæis dicantur, non est dubium ad do-
ctrinam totius Ecclesiæ dicta esse: nam ex illis Iudæis, qui non fue-
runt increduli, sed reuerā erant membra Ecclesiæ; non enim omnes di-
xerunt; *durus est hic sermo*; nec omnes abierunt, sed multi præterea erant
in eo sermone Apostoli principes Ecclesiarum, quos Christus *constituit*
Principes super omnem terram: ideoque totam Ecclesiam repræsentabant.
Certum etiam est, Ecclesiam totam obligari præcepto dinino ad su-
mendam Eucharistiam sub vtraque specie, nō quidem pro singulis eius
membris, sed pro aliquibus; id est, pro Sacerdotibus conficiéibus; nec
potest hoc ab Ecclesia mutari: sed vtrum laici, & Sacerdotes non con-
ficientes sumere deberent alteram speciem, an vtrámque, reliquit hoc
Dominus, vt alia multa dispositioni Ecclesiæ; quia non pertinebat id
ad substantiam Sacramenti, & Ecclesia potest mutare quæcumque nō
pertinent ad substantiam Sacraementorum, vt optimè docet, & probat
Concilium Tridentinum sess. 21.c. 2. Toti igitur Ecclesiæ pro membris
præcipuis; id est, pro Sacerdotibus, & etiam pro laicis, quandiu Eccle-
sia putauerit expedire, vt illis vtraque species conferatur, dicitur, *nisi
manducaueritis*. Sed ne putarent singuli filij Ecclesiæ præcipi sibi com-
munionem sub vtraque specie, & esse de necessitate salutis, tum ante
hæc verba, tum post virtutem, & efficaciam, quam tribuerat Dominus
vtrique speciei, tribuit speciei panis. Et sicut dixerat, *qui manducat meam
carnem, & babit meum sanguinem, habet vitam eternam*: ita dicit paulò
post, *qui manducat hunc panem, vinet in aeternum*: nam verba legislato-
ris ex fine ab eo expressio intelligenda sunt. Cùm ergo finis Christi
sit, vt per hoc Sacramentum ei incorporemur, & vitam æternam ha-
beamus, quando docet hoc in singulis posse obtineri per vnam spe-
ciem, aperte ostendit, non esse præceptum de vtrâque, nec hoc est
nouum in hoc præcepto; quandoquidē multa præcepta diuina huius-
modi habet Ecclesia, quæ non pertinent ad singulos, sed ad totā Eccle-
siā: siue sint scripta, siue nō sint, quantūvis generalia esse videātur, ita
sunt interpretanda, vt totam Ecclesiā obligent, nō singula eius mēbra:
vt quodd constituent Episcopi, & Sacerdotes; quodd prædicetur Euau-

*Ecclesia po-
test mutaro;
qua non
pertinent
ad substan-
tiam Sa-
cramento-
rum.*

*Præcepta
quædam di-
uina, non ad
singulos, sed
ad totam
Ecclesiā
pertinent.*

*Christus
dedit Eu-
charistiam
sub una
specie.*

gelium, quod contrahantur matrimonia, &c. Quod autem ita Dominus intellexerit, probatur ex facto ipsius, Lucæ. 24. vbi ipse dedit Discipulis duobus in Emmau euntibus alteram tantum speciem, cum cognoverunt eum in fractione panis: ita sentit August. 3. de consensu Euang. c. 25. & Imperfectus hom. 17. in Matth. in fine, & Theophylactus, & Beda super Lucam. Quos sequuntur authores citati contra Lutherum. Probat autem Rophensis, alteram tantum speciem datam esse; quoniam simul atque eis panem sanctificatum dedit, euauit ab oculis eorum: & etiam quoniam Matth. 26. dixerat, non bibam de hoc genimine vitis, donec illud bibam vobis cum nouum in regno patris mei: tunc autem nondum biberat cum Apostolis. Præterea Apostoli eundem morem obseruabant. Actuum 2. Erant autem communicantes in doctrina Apostolorum, & communicatione, & fractione panis. Huiusmodi nonnulla adducunt authores citati, præfertim Rophensis. Postremo confirmatur ex Ecclesiæ Romanae consuetudine; nisi enim ita essent verba Domini intelligenda, in maximo, & perniciosissimo errore multis iam sæculis versa ta esset, & adhuc versaretur: & grauissima iniuria laicos affecisset, defraudans eos sanguine Domini, idque contra ipsius Domini voluntatem.

*Eucharistia
quales effe-
ctu.*

Caro enim mea verè est cibus.] Dicitur verè cibus, primò, ut veritas opponitur falsitati; id est, non imaginatione, & opinione hominum; sed reuera cibus est animæ: Secundò, ut veritas opponitur figuræ; id est, non est figurata locutione, aut parabolica cibus; sed vera, propria que: Tertiò, dicitur verè cibus, quia verè habet omnes cibi conditiones, de quibus Aristoteles, i. de generatione c. 5. Verè enim repellit famem, nutrit animam, deperditum restaurat. Sed facit præterea aliquid, quod nullus cibus facere potest: nam ita restaurat deperditum, ut animæ reddat æternam vitam; quia id, quod illi dat, habet immensam virtutem. Veritas quartò dicitur, ut notaimus c. 1. in illis verbis, erat lux vera, ut opponitur ei, quod est per participationem tale: itaque ut Christus dicitur verus Filius Dei, quia quomodo ipse est Filius, nemo filius dici potest; ita corpus eius dicitur verè cibus, quia nulla res est, quæ eo modo, & ea proprietate dici cibus queat. Idem dicendum est de potu.

*Homo per
Eucharistia
intimè uni-
tur Chri-
sto.*

In me manet, & ego in illo.] Ostendit, & probat hūc cibum vitam animæ præbere; quoniam illud, per quod aliquis vnitur principio viuificatiuo, dat vitam: per hoc autem Sacramentum homo intimè vnitur Christo, & Christus ipsis; & ita consequitur non vitam prætereuntem, sed immortalem: & hoc est quod dicit, in me manet, & ego in eo. Hac intimam vniōnem ita explicat Cyrillus lib. 4. c. 17. Sicuti enim si quis liquefacta cere aliā ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat, necesse est, sic qui carnem, & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungatur, ut Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur. Adducit illud Matth. 13. Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum abscondit mulier in farina satis tribus, donec fermentaretur totū: & ait; sicut parvus, ut Paulus ait, fermenti totā massam fermentat, sic parvula benedictio totū hominē in seipsum attrahit, &

sua gratia replet; & hoc modo in nobis Christus manet, & nos in Christo: verè enim totum fermentum in totam massam pertransit. Denique notandum est, his verbis ita significari intimam vniōnem, ut eisdem Filius vtaatur ad ostendendam vniōnem sui cum Patre, Ioan. 14. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me est.

Sicut misit me viuens pater, &c.] Ut recte ait S. Thomas ad colligendam hanc conclusionem; qui manducat me, habet vitam aeternam; posuit maiorem, cum dixit, qui manducat meam carnem, &c. nunc autem minorem subdit; scilicet, habere vitam, qui Christo vnitur, ut sit huiusmodi syllogismus: quicumque manducat meam carnem, & biberit meum sanguinem, vnitur mihi: qui autem vnitur mihi, habet vitam aeternam: ergo qui manducat meam carnem, & biberit meum sanguinem, habet vitam aeternam. Cæterum haec verba varie explicantur. Mihi duas expositiones probantur maximè. Prior est ista; Sicut Pater, qui misit me, viuit; & ego viuo propter eum, quia maneo in eo, & sum ei coniunctissimus: ita suo modo, qui manducat me, cum habeat me manentem in se, & sit mihi coniunctissimus, viuet propter me. Posterior est Cyrilli, quā ille subobscurè explicat; sed hic est eius sensus: Sicut Pater misit me, ut homo fierem, & tamen licet carnem mortalem assumpserim, viuo propter Patrem, qui est viuens; id est, carnem meam immortaliitate donabo in resurrectione, & vita replebo; quia habeo in me integrum naturam Patris; ita qui me recipiet per manductionem carnis meæ, viuet in aeternum, quia reformabitur ad me, qui viuiscare possum eum, sicut carnem meam viuiscavi. Ex his patet, non finiri sententiam, vbi ait: & ego viuo propter patrem; sed vbi dicit, & ipse viuet propter me: nam cum dicit, & qui manducat me, perinde est ac si diceret; sic qui manducat me: ut cum dicit, fiat voluntas tua sicut in celo, & in terra; pro eo, quod est sicut fit in celo, sic fiat in terra.

Hic est panis.] Finiturus iam sermonem breuem epilogum facit dictorum. Vide de hoc mysterio Cyrrillum lib. 4. à c. 10. per multa sequentia, & Chrysostomum homil. 45. & Canisium in Catechismo, & Cyrrillum lib. 10. cap. 13. & Chrysostomum, homil. 61. ad populum, & homil. 82. in Matth. &c.

In Synagoga.] Synagoga; id est, collectio, seu congregatio: locus est, quo Iudæi conueniebant, ut Prophetas legerent, & prædicarent, & orarent. Matth. 4. Docens in Synagogis eorum, & predicans Evangelium regni. Et cap. 6. Qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare. Hinc intelligitur illud Matth. 16. Absque Synagogis facient vos; Aliquando etiam capitur pro toto populo Iudæorum cum legi sua, & ceremoniis, ut distinguitur ab Ecclesia.

Ex discipulis eius.] Id est, ex iis, qui ipsum frequenter sequebantur, & habebantur ut discipuli: non enim intelligit de Apostolis, aut de septuaginta duobus Discipulis.

Durus est hic sermo.] Id est, asper, intolerabilis, quem nemo ferre possit; quia nulla ratione videtur vetus esse posse. August. Psal. 98. in

illis verbis, & adorate scabellum pedum eius, referens haec verba ait; *Ipsi erant duri, non sermo; etenim si duri non essent, sed mites essent, dicerent sibi; non sine causa dicunt hoc: nisi, quia ibi est aliquid sacramentum latens, manerent cum eo lenes, non duri, & discederent ab illo, quod illis discedentibus, qui remanserunt, didicerunt.*

Si ergo videritis filium hominis.] Figura est, quæ Græcè dicitur Apo-
siopesis, Latinè Reticentia; quando propter aliquem effectum, ora-
tio relinquitur imperfœcta: quasi diceret, scandalizamini, & offendimini, quodd maiora mihi arrogasse videor, quam pat erat: quid er-
go dicetis, cum me videritis in calore virtute propria ascendere?
Annon credetis tunc me Deum esse, ac vere, ac sine arrogantia haec
dicere potuisse? Tunc intelligetis potuisse carni suæ virtutem viuifi-
candi dare, qui potuit eam immortalem in summo celo collocare.

*Spiritus est, qui vivificat, caro non prodest quidquam: verba, quæ ego lo-
cutus sum, &c.] Occasione horum verborum queritur; utrum ver-
ba omnia huius sermonis propriæ, & ut sonant, intelligenda sint de
mandatione sacramentali Eucharistia; an vero non propriæ, sed
figurate accipienda sint, & aliud significant? Nam OEcclampsadius,
Zuinglius, Karolostadius, Calvinius, & eius discipulus Bolanus Polo-
nus, & denique Sacramentarij omnes omni conatu contendunt, ne-
quaquam verba fieri de Sacramento Eucharistia; sed de unione cum
Christo per fidem. Nec nos querimus modò de veritate corporis
Christi in Eucharistia aduersus hæreticos; sed an ista veritas, quam
fides docet, comprobetur rectè ex verbis huius sermonis. Hæretici,
ut ostendant figuratam esse locutionem, sumunt argumenta non
infirma, quibus nos etiam plus virium adiungemus, ut magis veri-
tas eluceat. Primum argumentum est: Dominus ipse aperte hoc do-
cet; *caro non prodest quidquam:* caro autem Domini si in Sacramento
ponatur non potest non prodesse plurimum: non ergo loquitur Do-
minus de hac sumptione materiali.*

*Eorum ar-
gumenta.*

Primum.

Secundum.

Secundò, idem Dominus ait, *verba quæ ego loquor vobis, spiritus, &
vita sunt:* ergo spiritualiter sunt intelligenda, & non literaliter, ut
sonant. Confirmatur ex Augustino in illis verbis Psal. 98. *Et adorate
scabellum, &c.* vbi haec verba exponens ait: *Spiritualiter intellige, quod
locutus sum; non corpus hoc, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri il-
lum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: sacramentum vobis
aliquid commendavi: spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Confirmatur
secundò ex Sanctis, qui figuratum sermonem hic agnoscunt. Orige-
nes homil. 7. in Leuit. post medium illa verba, *nisi manducaueritis, &c.*
&, *caro mea vere est cibus,* intelligit de factis, & dictis Christi, quæ
homines reficiunt, & pascunt. Et similiter ferè exponit tract. 12. in
Matth. Quam expositionem sequitur Basilius in apologia sua ad Cæ-
sarianos, qua est inter ep. 141. Præterea Bern. in expositione Ps. 90. in
versu 3. & in tractatu de diligendo Deum, prope principiū, dicit; *manducare
carnem Domini, & bibere eius sanguinem, esse per opera pœnitentie imitari pas-
fiones*

*Hæreticorū
nostrī tem-
poris falsa
expositio.*

siones Christi. Tertium Argumentum sumitur ex Chrysostomo, qui *Tertium.*
homil. 44. docet illa verba; *Ego sum panis vita;* non esse intelligenda
de Eucharistia, sed de Diuinitate Christi: ita etiam sentiunt Theophy-
lactus, & Euthymius, immo & verba continuo sequentia demon-
strare videntur: *Qui venit ad me, non esuriet;* & *qui credit in me, non*
sitiet unquam; ubi non de mandatione, sed de fide aperte loquitur:
si autem haec verba non intelligantur de Eucharistia, eadem ratione
nec sequentia: nam una profecto est, & eadem omnium explicatio.
Quod si respondeas, falsum esse hoc; quoniam postea ait, *qui man-*
ducat meam carnem, &c. &c., *caro mea vere est cibus;* quod iam de Sa-
cramento, & sacramentali mandatione necessario videtur intelli-
gendum, hoc non obstat: nam sicut quando locutus fuerat de man-
na, vocauit se Dominus, *panem vita, & panem cali;* ita consequen-
ter credere in se vocauit manducare se; quoniam per fidem quasi man-
ditur Christus, & in viscera animae trahiatur. Confirmatur; quo-
niam ita loquitur Scriptura, ut Eccles. 15. *Cibauit illum pane vita,* &
intellectus, & aqua sapientia salutaris potauit eum; & cap. 24. inquit
Sapientia, *qui edunt me, adhuc esurient;* & *qui bibunt me, adhuc*
escent.

*Credere in
Christum,
est man-
ducare eum.*

Quarto probatur ex Augustino, qui apertis verbis docere videtur
se non intelligere de mandatione sacramentali; sed de mandatione
per fidem: ut ille dicatur manducare corpus, & bibere san-
guinem Domini, qui per fidem, & charitatem efficitur membrum
eius viuum, & pars Ecclesie; ut iani probauimus in illis verbis,
nisi manducaueritis, &c. In priori difficultate hoc ipsum saepe dicit
tract. 26. in illis verbis, *qui manducat meam carnem:* & in illis, *caro*
mea vere est cibus: & in illis: *si quis manducauerit, &c.* & tract. 27.
prope principium. Sed verba, quæ nobis potissimum obiciunt hæ-
retici, sunt in tractatu 25. in illis verbis: *hoc est opus Dei, ut credaris in*
eum; & referantur de consecratione d. 2. cap. 27. *quid paras dentes, &*
ventrem? Crede & manduca nisi. Illud etiam obiciunt hæretici, quod ait
idem 3. de Doctrina Christiana cap. 16. *Nisi manducaueritis carnem filii*
hominis, &c. facinus, vel flagitium videtur iubere. Figura ergo est preci-
piens passioni Domini esse communicandum, & suaniter, atque utsiliter re-
condendum in memoria, quod pro nobis caro eius crucifixæ, & vulnera-
ta sit.

Sed nihilominus respondemus, verba huius sermonis vere, & pro-
priè, & sine figura illa esse intelligenda de Eucharistia, & de eius sa-
cramentali mandatione. Quam conclusionem eleganter probat Ro-
phensis lib. 5. de veritate corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia
contra OEcolapodium in proœmio; & Castro l. 6. contra hæres. verbo
Eucharistia, hær. 4. Probatur igitur primùm ex cōmuni Sanctorū con-
fessu, qui ita verba huius sermonis exponunt, tā in Cōm. huius Euan-
gelij, quam in aliis libris, ubi verba huius capituli citant. Primū Chrys.
hic, & hom. 2. ad populum, Cyrill. hic, & alibi saepe 10. c. 13. & Theoph.
& Euthy

*Responsio ad
eorum ra-
tiones.*

Probatio 1.

& Ethymius, ita omnino exponunt, & apertissimè loquuntur, & Clemens Alexandrinus, lib. 1. Pædagog. c. 6. post medium, Orig. hom. 7. super Numeros non longè à principio, Hilarius 8. de Trinit. pag. 6. Ambrosius lib. 6. de sacramentis cap. 1. & lib. 5. de fide cap. 5. Cyprianus in expositione Orationis Dominicæ in illis verbis, *panem nostrum quotidianum*; Eusebius Emilienus homil. 5. de Pascha, Gregorius Nyssenus, homil. 8. in Ecclesiæ. & in libello de perfecti Christiani hominis forma, antè medium: Hieronymus, Hierem. 11. in illis verbis, *tu autem Domine demonstrasti mihi*; & Ephes. 1. in illis, *in quo habemus redempcionem*; Augustinus, sermone 46. de verbis Domini lib. 3. de consensu Euangelij. cap. 1. & lib. 1. contra Crescon. cap. 25. & lib. 21. de Ciuitate cap. 25. & sermone 1. de verbis Apostoli; indicantur etiam multa eius loca de consecratione d. 2. Leo primus, serm. 6. de ieiunio septimi mensis; Gregor. 7. Moralium cap. 4. Damascenus, lib. 4. De fide cap. 14; Cassiodorus, Psal. 109. in illis verbis, *tu es sacerdos in aeternum*: Innoc. III. lib. 4. de sacro altaris mysterio, cap. 2. & 7. & 9. & 19. & 28. Denique Concilium Ephesium I. in Epistola ad Nestorium post medium; & Concilium II. Nycenum actione 6. in tomo 3. illius actionis prope finem; Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. & sess. 21. c. 1.

Probatio 2. Secundò probatur ex regula Augustini 3. de doctrina Christiana, cap. 16. *Si præceptua locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata:* Quæ regula non solum in his, sed etiam in omnibus locutionibus verissima est, vt ex eodem intelligitur à cap. 10. per multa sequentia, vt ille sit sensus literalis, quæm verba ipsa propriè accepta præferunt, vbi nihil aut contra bonos mores, aut contra rectam fidem dicitur: alioqui nihil habemus certum, & constans in Scriptura, nec ad confirmationem dogmatum, nec ad coniunctionem errorum: dicentes enim statim hostes veritatis, locutionem esse figuratam, & in alienos sensus torquerent verba Scripturæ: At vero in hoc sensu nihil est contra mores, aut contra fidem, aut contra Ecclesiæ traditionem & consuetudinem; sed potius pro eius gratia sine dubio est sensus literalis: habet præterea, quod poscit Augustinus; id est, utilitatem, & beneficentiam: vt enim rectè probat Rophensis loco citato in probatione 2. non satis nobis erat vniri Christo spiritualiter, per fidem, & charitatem; sed oportuit etiam, vt corporaliter ei vniremus, per mandationem carnis, & potum sanguinis eius; vt ita essemus membra corporis eius. Adducit ad hoc verba Apostoli Ephes. 5. *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit; sed nutrit, & fouet eam, sicut & Christus Ecclesiam, quia membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius:* Quomodo autem Christus nutrit Ecclesiam, nisi tribuendo ei corpus, & sanguinem suum? Probat etiam ex Cyrillo lib. 10. in Ioan. cap. 13. *Non, inquit, negamus recta nos fide, obitateque sincera Christo spiritualiter coniungi; sed nullam nobis copiunctionis rationem secundum carnem cum illo esse;*

esse, id profectò pernegamus, idque à Diuinis Scripturis omnino alienum dicimus. Probat. Cyrillus ex verbis illis, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo; docet Christum habitare in nobis corporaliter; & ideo membra fidelium dici membra Christi. 1. Corint. 6. Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi: & subdit, non enim poterat aliter corruptibilis haec natura corporis ad incorruptibilitatem, & vitam traduci, nisi naturalis vita corpus ei coniungetur. Et Chrysostomus hom. 45. Ut autem non solum per delectationem, sed re ipsa in illam carnem conuertamur, per cibum id efficitur, quem nobis largitus est: cum enim suum in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commisit, & in unum nobiscum redigit; ut corpus cum capite uniretur, &c. Et Iræneus lib. 5. aduersus hæretes paulò post principium ita ait: Quando ergo mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis, & corporis Christi, ex quibus augetur, & consistit carnis nostra substantia: quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, qui est vita eterna, qua sanguine, & corpore Christi nutritur, & membrum eius sit; quemadmodum Apostolus ait in ea, qua est ad Ephes. epist. Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Ex quibus verbis non est intelligendum aliquam qualitatem imprimi in carne nostra, cuius virtute postea refutat; sed animam per corporalem Christi præsentiam magis intime ei uniri, & maiorem gratiam accipere; atque inde corpus aptius, & habilius reddi ad bona opera: atque ex hac maiori gratia animæ maiorem gloriam postea redundare in corpus; ut diximus in illis verbis, patres vestri manducauerunt manna, &c. Et est expressa doctrina S. Thomæ 3. p. quæst. 19. art. 1. ad 3. in Clement. etiam vn. de reliquiis, ut veneratione Sanctorum, multa dicuntur de bonis, quæ animæ afferunt hoc Sacramentum, nihil de bonis corporis: & postea ait, hic est cibus, qui plenè reficit, verè nutrit, summèque impinguat non corpus, sed cor; non carnem, sed animam; non ventrem, sed mentem. Similiter Concilium Florentinum in decreto Eugenij, omnem huius sacramenti effectum immediate ponit in anima: & eodem modo loquitur Concilium Tridentinum sessione 13. Can. 2. Quare ad sensum iam dictum interpretanda sunt verba Sanctorum.

Tertiò probatur ex contextu verborum: nam confert corpus suum cum manna, quatenus manna cibus erat: Cum ergo manna fuerit verus cibus, non fieret rectè collatio, si de cibo metaphorico loquetur. Præterea Dominus tam manifestis verbis ytitur, ut nisi violentissimè non possint aliter exponi: ipsa enim metaphoras, & figuratos sensus tollunt: ut cum ait, caro mea verè est cibus, & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Quartò; veteres Patres ante Incarnationem non comedenterunt corpus Christi, nec sanguinem biberunt; erant tamen membra Ecclesiæ, & ad eius unitatem, & societatem pertinebant: ergo manducare carneum Christi, non est fieri membrum Ecclesiæ.

Ribera in Euang. Ioan.

Z

Confit

Probatio 4.
Veteres pa-
tres erant
membra Ec-
clesiae.

Confirmatur; quoniam si ille dicitur manducare carnem Christi, qui sit participes unitatis Ecclesie; quia haec unitas significatur in hoc Sacramento; similiter ille diceretur manducare, qui unitatem pacis, & concordie habet cum reliquis fratribus: quia haec etiam unitas in hoc Sacramento significatur: sicut habetur in oratione secreta eiusdem festi; *Ecclesia tue quesumus Domine, unitatis, & pacis dona concede, quae sub oblatis maneribus mystice designantur, &c.* & tamen nullus hoc dicit: ergo, &c. Sed haec magis patrebunt ex responsione argumentorum.

*Ad argumen-
ta re-
spōsiones.
Ad 1.*

*Spiritus
quid ex usu
Scriptura.*

*Divina na-
tura nomi-
ne spiritus
significata.*

Ad primum ergo Respondeatur, sensum illorum verborum, *Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam, esse hunc: non omnino male, aut imperite carnem vivificantem esse negatis: nam caro per se sumpta non habet virtutem vivificantandi; sed quia coniuncta est cum Verbo omnia vivificantem, & ipsa tota vivifica facta est; quemadmodum mel quia naturaliter dulce est, ea dulcia facit, quibus immiscetur: Spiritum autem vocat seipsum; quoniam Deus Spiritus est.* Ita Cyrillus. Eudem sensum sequitur Augustinus tract. 26. & Beda, & S. Thomas. Afferit exemplum Augustinus ex verbis Apostoli, 1. Corinth. 8. *Scientia inflat, charitas edificat; id est, scientia sola inflat; scientia verò cum charitate non inflat, sed edificat: ita caro sola non prodest, sed cum Spiritu vivificat, & sane optimè intellexerunt isti Sancti: nam usu Scripturarē spiritus vocatur quidquid carni opponitur, sine sit anima, sine Angelus, sine Deus, sine res quæcumque incorporea: sed quid in singulis locis significet Spiritus, intelligendum est ex ea re, quæ carnis nomine vocatur; vt Isa. 31. cùm dicit *Egyptus homo, & non Deus, & equi caro, & non spiritus;* id est, non sunt naturæ spiritualis vt Angeli, aut Deus: & cùm dicit ad Gala. 5. *caro concupiscit aduersus spiritum;* quia caro sumitur pro appetitu sensitivo spoliato rectitudine debita; Spiritus capitur pro superiori parte animæ ornata gratia. Cùm igitur modò loquatūr de corpore suo, quod quatenus corpus humanum est, vim vivificanti non habet; quam tamen vim tribuit spiritus, rectissimè intelligitur, divinā naturam nomine *Spiritus* significari. Est altera exposicio huius loci, quam adducit Chrysostomus homil. 46. & Theophylatus, & Euthymius, haec verba non intelligi de carne Domini; sed carnem dici carnalem intelligentiam, sicut spiritualis intelligentia dicitur spiritus. Carnalis intelligentia erat, carnem Christi in propria specie laniandam fuisse more carnis animalium, & ita manducandam putare. Sed tamen aduentandum est, hanc intelligentiam, quam Chrysostomus dicit spiritualem, de manducatione corporis Christi sub specie panis, non dici spiritualē, quatenus distinguitur à literali; sed quatenus abscondita est, & minus patet; sicut caro patet oculis intuentium; spiritus verò carnem absconditur, & tegitur; quemadmodum si dicamus illud Genes. 6. *paniuit eum, quod hominem fecisset in terra;* intelligendum esse spiritualiter. Hoc dicimus, non esse intelligendum dolorem cedere in Deum, vt verba exterius sonant; sed decreuisse Deum, diluvio homines*

homines perdere ; sicut qui pœnitentia ducuntur , mutare solent , & destruere , quod fecerunt : at hunc sensum literalem esse nemo ambigit. Ita spiritualis sensus verborum Domini est , carnem suam esse manducandam sine illa diuisione , sine effusione sanguinis , non in propria specie , sed in specie panis : & tamen iste sensus literalis ; id est , reuerâ immediate à Christo intentus per hæc verba , sed dicitur spiritualis ; quia est abstrusior , & secretior , non materialis , & crassus , ut ille Capharnaitarum , qui Dominum audiebant.

Ex his satisfit secundo Argumento , & primæ eius confirmationi: *Ad 1.* nam ita intellexisse Augustinum satis patet ex verbis eius relatis in cap. *non hoc* , de consecrat. d. 2. vbi ait ; *non hoc corpus , quod videtis , manducaturi estis ; ipsum quidem , & non ipsum : ipsum innisibiliter , non ipsum visibiliter*. Et hoc etiam significauit Dominus , iuxta Chrysostomum , Theophylactum , & Euthymium , cùm dicit ; *Verba , qua ego locutus sunt vobis , spiritus , & vita sunt ; id est , non sunt carnaliter intelligenda ; ita enī nihil prodeſſent , sed spiritualiter : & ita vita sunt ; id est , vitam animæ afferunt per rectam fidem Sacramenti , & eius ſumptionem.*

Ad secundam confirmationem secundi argumenti Respondetur , *Ad 2. con-*
hunc esse morem Sanctorum , ut ſæpe omniſlo ſenu literali , quo- *firmationē.*
niam apertus eſt , aut quoniam rei , de qua agitur , non conuenit ,
spiritualiter exponant verba Scripturæ , ut paſſim videmus in
Origene , Ambroſio , Gregorio : non tamen ideo ſensum litera-
lē tollunt. Ita ergo Sancti ſuppoſito , ut certo , ſenu literali
horum verborum de manducaſione ſacramentali , ut ex aliis eorum
locis conſtat , exponunt illa aliquando spiritualiter , iuxta rem , de
qua loquuntur.

Ad tertium Argumentum Respondeſtur , Chrysostomum , Theo- *Ad 3. Ar-*
phylactum , & Euthymium , existimare Dominum non loqui de Sa- *gumentum.*
cramento Corporis ſui , niſi ab illis verbis ; *Ego sum panis vite : pa-*
tres vestri manducauerunt manna , &c. Ab hiſ tamen verbis doceſſent iam
ſine dubio loqui de ſacramento Eucharistiæ , quam ſententiam ſequi-
tur Rophensis ſuprà , & Ekius homil. 3. de ſacramen-*tis.*

Sed mihi profectò longè probabilius videtur , ab initio huius ſer-
monis loqui Dominum de ſacramento ab illis verbis : *non Moys*
es dedit vobis panem , &c. Et ita prorsus intellexit Cyrillus libr. 3.
cap. 34. ſed apertiū cap. 36. & Rupertus , & ita etiam intellexit
Clemens Alexandrinus , lib. 1. paedagog. cap. 6. poſt medium ; nam
loquens de manducaſione ſacramentali Eucharistiæ citat hæc ver-
ba ; *non vobis dedit Moys panem , &c.* Et probatur ratione , qua
viſi ſumus. Iſte ſenſus accipit verba propriè & ſine illa figura , nec
habet illam absurditatē , ſed potiū fidem ædificat , & optimè
conuenit cum ſequentibus , immo videtur perspicuè exponi à Do-
mino , cùm ait ; *Panis , quem ego dabo , caro mea eſt pro mundi ita :* ergo
eſt ſine dubio literalis. Præterea cùm dicit : *ego sum panis vite :*

Patres vestri manducauerunt manna, sine controuersia intelligitur de Eucharistia, iuxta Chrysostomum, & omnes: cur ergo potius hæc verba, de Eucharistia intelliguntur, quam illa superiora: *Ego sum panis vi-
ta, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiет?* nam quod hic fidem exigit, nihil obstat: ideo enim exigit, quoniam tantum Sacramentum nihil illis prodesse poterat, nisi fidem illius haberent: nam solet Dominus in magnis miraculis fidem auditorum postulare, ut recte notat P. Franciscus Turrianus, in tractatu de Eucharistia contra Volanum hereticum cap. 12. vt Isai. 7. *Si non credideritis,
non permanebitis;* & Matth. *creditis, quia hoc possum facere vobis:* & sæpe in Euangeliis.

*Ad proba-
tionem.*

*Sapientia
manducari
non potest.*

Ad probationem, quæ ex Scriptura ostendebatur, *manducare*, & *bi-
bere sumi* metaphorice; Respondeatur in illis locis, necessariò hæc vocabula accipienda esse metaphorice, quoniam propriè Sapientia manducari non potest; & ita rem impossibilem diceret Scriptura, si propriè sumerentur: & cùm loquitur de carne Christi sub specie panis, propriè accipi potest *manducare*; & ideo non est confugiendum ad metaphoram, aut ad aliam figuram; quemadmodùm paulo ante ostendimus ex probatissima illa regula Augustini: quod etiam recte probat Soto in 4. d. 9. quæst. 2. art. 1. in 3. loco.

Ad quartū.

Ad quartum Argumentū, quod totum desumptum est ex locis Aug. Respondeatur; nunquam dubitasse August. hæc verba verè, & propriè intelligi de mandatione sacramentali, ut patet ex locis suprà adductis. Sed quoniam heretici sui temporis putabant se habere posse per sumptionem Eucharistiae vitam æternam, etiamsi non essent in Ecclesia; refellit istum errorem Augustinus, dicens eos verè manducare corpus Domini, qui sunt in unitate eius corporis mystici; quia & sumunt rem Sacramenti significatam, & contentam; id est, corpus eius verum, & rem significatam, & non contentam, quæ est unitas Ecclesiae, & aptissimè significatur in specie panis; qui fit ex multis granis redactis in unum; & in specie vini, quod confluit ex multis acinis. Heretici autem possunt Sacramentum percipere; at non in utilitatem, sed in perniciem suam, quia non sunt in unitate Ecclesiae significata in illo; vera autem sumptio, de qua loquitur Dominus, est cùm sumitur sacramentum, quantum ad utramque rem significatam: & ideo dixit; *nisi manducaueritis, &c.* Quod est dicere, si manducaueritis, habebitis vitam: ideo etiam ait, *qui manducat, &c. in me manet, & ego in illo.* Atque hanc suam sententiam apertissimè explicuit D. Augustinus 21. de ciuitate cap. 25. & sermone 2. de verbis Apostoli, & in expositione huius Euangelij sæpe: nam tractatu 26. in illis verbis; *Qui manducat meam carnem, ita ait; qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licet carnaliter, & visibi-
liter premat dentibus Sacramentum Corporis, & Sanguinis Christi:*

sed

sed magis tanta rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat, & bibit. Hoc etiam explicat optimè tractatu 27. circa finem. Itaque non negat, Dominum loqui de manduca^{tio}n^e sacramentali ; sed dicit, loqui de manduca^{tio}n^e spirituali sacramentali ; id est , quæ fit *Manduca-*
tio spiritua-
lis sacramen-
talis qua.

cum fructu , & utilitate manducantis , quæ non est apud eos , qui sunt extra Ecclesiam. Quod etiam exposuit Innocentius lib. 4. de sacro altaris mysterio , c. 14. & Sixtus Censis^s latè lib. 6. biblioth. adnotacione 196. & Cajetanus in instructione circa errores libelli de cæna Domini c. 1. quod opus est ferè in principio 2. tom. opusc. vbi docet contrarium eius, quod docuit in hoc c. nempe, Dominum loqui de sacramentali manduca^{tio}n^e ; nec tamen in hoc opusculo correxit sententiam , quam habuit in hoc c. vt putauit Sotus in 4. d. 12. q. 1. art. 11. quoniam, vt patet ex fine vtriusque operis, opusculū illud scripsit anno millesimo quingentesimo vigesimo quinto; Commentarios autem in Ioan. scriptū anno millesimo quingentesimo vigesimo octavo. Et hoc modo intelligendo dicit Augustinus, hæc verba, *nisi manducaueritis* , &c. pertinere etiam ad infantes ; quoniam quantum ad rem significatam comedunt Eucharistiam , quando per Baptis^mum sunt participes vnitatis Ecclesiæ : & quantum ad rem significatam , & contentam, comedunt in voto Ecclesiæ, vt ex S. Thoma explicuimus. Atque hoc modo intelligunt hæc verba Domini Beata, & S. Thomas, 3. p. q. 13. a. 3. & alij, præsertim Innocentius primus Epistola 26. ad Episcopos Concilij Mileuitani; quæ est inter Epistolas Augustini 93. Atque ita intelligendi sunt authores , qui sequuntur Augustinum.

Infantes
comedunt
Eucharistiæ
per Baptis-
mum.

Ad illud verbum, *vt quid paras dentes, & ventrem?* Respondeat Innocentius lib. 4. c. 14. intelligi de spirituali manduca^{tio}n^e; sed si rectè consideremus verba Augustini, videbimus, cùm hæc dicit, non cœpisse loqui de Sacramento Eucharistiæ. Sed cùm dixisset Dominus, *operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam eternam*, loquebatur de fide in ipsum habenda, & de operibus huius fidei , vt ibi exposuimus: & propterea subiunxit, *hoc est opus Dei*, vt credatis in eum , quem misit ille; Iudæi autem putauerunt eum de cibo aliquo materiali loqui : quod vt falsum esse doceret Augustinus, dixit exponendo hæc verba, *hoc est opus Dei*, *vt credatis* , &c. *Vt quid paras dentes, & ventrem? Crede, & manducasti* , &c. Hunc cibum , de quo modò loquor. Ita Respondeat, & sanè eleganter P. Franciscus Turrianus contra Molanum c. 12.

Ad locum ex 3. de doctrina Christiana , Respondeat optimè P. Hieronymus Torre in confessione August. lib. 3. c. 6. in 4. eius parte, vocati ab Augustino *figuratam locutionem* , vt doceat , non esse intelligendam carnaliter , quomodò ab illis Iudæis intelligebatur : ita enim flagitium præcipiteretur, si Domini corpus laniandum esset, more Anthrophagorum: sed quomodò Ecclesia intelligit, nullum flagitium præcipitur. Non est ergo figurata locutio propriè, & simpliciter loquendo.

Z 3 Atque

Atque hunc sensum Ecclesiæ significavit Augustinus, cùm explicuit in illa figurata locutione præcipi communicandum esse passioni Domini: nam *communicare Passionem Domini*, & *Passionis eius memoriam facere* vocavit Augustinus sacramentaliter manducare, iuxta illud 1. Corinth. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, &c. mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

Ab initio.] Id est, ab æterno; vt Deus, vt notauiimus in illis verbis, In principio erat Verbum.

Verba vita æterna.] Id est, quæ conducere credentes possint ad vitam æternam, vt ait Cyrillus. Quomodo autem solus Christus audiendus, & sequendus sit; & in ipso solo sit salus, docet elegantissime Cyrillus lib. 4. c. 18. In his discipulis, & in Apostolis videmus illud c. 8. qui ex Deo est, verba Dei audit, &c.

Et nos credimus, & cognouimus.] In Græco est, credidimus: & ita legit August. id est, iam deu persuasum habemus. Adnotat autem Augustinus tract. 27. ordinem verborum: ita enim ait; non cognouimus, & credidimus; sed credidimus, & cognouimus: credidimus enim, vt cognosceremus: nam si prius cognoscere, deinde credere vellamus, nec cognoscere, nec credere vellamus. Idem adnotat Cyrillus.

Quia tu es Christus filius Dei.] Christus cum articulo ponitur, & etiā Filius; quia Diuinitatem confitentur. Sed quæritur, cur hīc non laudauerit Dominus Petrum, quemadmodū laudauit, Matt. 16. cùm similiter confessus est Diuinitatem? Posset ad hoc responderi; Petrum hīc non tam exactè intellexisse Diuinitatem Filij, & æqualitatem Patris, vt postea Matth. 16. quamvis vtatur articulis: quomodo de Nathanaele diximus c. 1. in fine. Verū, quoniam Chrysostomus & Cyrillus & Augustinus, Theophylactus, & Euthymius indicant, verè eum confessum fuisse his verbis Diuinitatem Filij: Respondetur secundò; non fuisse laudatum, ne videretur, aut ipsi, aut cæteris Apostolis Dominum voluisse blandiri, quod apud se manerent. Tertiò; quoniā nomine omnium Apostolorum loquebatur Petrus, ita potius respondere oportuit Dominum, vt ab eorum numero Iudam separaret tanquam iam fluctuantem. Ita Euthymius. Et hac responsione confirmat eos, magis re ipsa ostendens se esse Deum, cùm futura, & intima cordium solus Deus cognoscat, &c.

Nonne ego vos duodecim elegi?] Quasi diceret; non omnes credunt, vt putas Petre: nam inter vos unus non credit, nec me vt Deum colit: hoc autem dicit, vt timeant, & cum humilitate, & tremore salutem suam operentur; quādoquidem facile omnes homines cadere possunt, cùm non solum communes discipuli, quia sponte sua Dominum sequabantur, ipsum deseruerint; sed ex duodecim Apostolis ab ipso Domino ex omni Discipulorum multitidine electis, unus Diabolus sit. Ita Cyrillus, qui etiam notat, Dominum non indicasse, à quo esset tradendus, vt omnes sollicitos, & vigilantiores redderet, & vt omnes timerent.

Ex vobis unus diabolus est.] Quidam, ut ait Euthymius, intellexerunt *Diabolus*
Diabolus est; id est, calumniator: idem enim significat hoc nomen, à ver-
quid, & unde
de dicitur.
bo διάβατος, quod est calumnior: quo verbo vtitur Lucas c. 16. vbi nos
 habemus *diffamatus*; & hic, *diffamatus est apud illum;* id est, accusatus.
 Propterea Thcophylactus exponit; *diabolus est,* quia omnia mea calum-
 niatur, & nihil eorum recipit; vel quia calumniatur est me. Sed *Cy-*
rius, & Euthymius interpretantur diabolum dici; id est, ministrum
 diaboli. *Quod optimè exponit Gregorius 13. moral. c. 17. his verbis; Ita*
quippe unum corpus sunt diabolus; & omnes iniqui, ut plerunque nomine ca-
pitis censetur corpus, & nomine corporis appelletur caput: nam capit is nomine
censetur corpus, cum de peruerso homine dicitur, & unus ex vobis Diabolus est.
 Eadem rationem reddit *Cyrillus, de qua re est 7. regula Ticonij relata*
 ab Aug. 3. de doctrina Christiana c. 37. *Ex quibus patet, nihil fuisse quod*
 Erasmus & Caietanus reprehenderet Interpretem, quod vertisset Dia-
 bolus, & non calumniator, aut delator, & propter rationem dictam
 Nonnus qui heroicis versibus Græcè scripsit Euangelium Ioannis re-
 liquit nomen ipsum Diaboli.

SANCTVM





S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T VII.

1. **D**icitur hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudeam ambulare, quia quærebant eum Iudei interficere. 2. Erat autem in proximo dies festus Iudeorum, Scenopegia. 3. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudeam, ut & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. 4. Nemo quippe in occulto quid facit, & querit ipse in palam esse: si hæc facis, manifesta teipsum mundo. 5. Neque enim fratres eius credebant in eum. 6. Dicit ergo eis Iesus: Tempus meum nondum aduenit: tempus autem vestrum semper est paratum. 7. Non potest mundus odire vos: me autem odit: quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt. 8. Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendo ad diem festum istum: quia meum tempus nondum impletum est. 9. Hæc cum dixisset, ipse mansit in Galilæa. 10. Ut autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto. 11. Iudei ergo quærebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? 12. Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. 13. Nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum Iudeorum. 14. Iam autem die festo mediante, ascendit Iesus in templum, & docebat. 15. Et mirabantur Iudei, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? 16. Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me. 17. Si quis voluerit voluntatem eius facere: cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. 18. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam querit: qui autem querit gloriam eius, qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. 19. Nónne Moyses dedit vobis legem: & nemo ex vobis facit legem? 20. Quid me queritis

queritis interficere? Respondit turba, & dixit: Demonium habes,
 quis te querit interficere? 21. Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum
 opus feci, & omnes miramini. 22. Propterea Moyses dedit vobis
 circumcisionem, (non quia ex Moyse est, sed ex patribus) & in sabbato
 circumciditis hominem. 23. Si circumcisionem accipit homo in
 sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi indignamini quia totum
 hominem sanum feci in sabbato? 24. Nolite iudicare secundum
 faciem, sed iustum iudicium iudicate. 25. Dicebant ergo quidam ex
 Ierosolymis: Nonne hic est, quem querunt interficere? 26. Et ecce
 palam loquitur, & nihil ei dicunt. Numquid vere cognoverunt prin-
 cipes quia hic est Christus? 27. Sed hunc scimus unde sit: Christus
 autem cum venerit, nemo scit unde sit. 28. Clamabat ergo Iesus in
 templo docens, & dicens: Et me scitis, & unde sim scitis: & a me
 ipso non veni, sed est verus, qui misit me, quem vos nescitis. 29. Ego
 scio eum: quia ab ipso sum, & ipse me misit. 30. Querebant ergo
 eum apprehendere: & nemo misit in illum manus, quia nondum
 venerat hora eius. 31. De turba autem mulii crediderunt in eum, &
 dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam
 quae hic facit? 32. Audierunt Pharisai turbam murmurantem de
 illo haec, & miserunt Principes & Pharisai ministros, vt apprehende-
 rent eum. 33. Dixit ergo eis Iesus: Adhuc modicum tempus vobis-
 cum sum: & Vado ad eum, qui me misit. 34. Queretis me, & non
 inuenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire. 35. Dixerunt
 ergo Iudei ad semetipos: Quo hic iuritus est, quia non inueniemus
 eum? numquid in dispersionem Gentium iturus est, & docturus Gen-
 tes? 36. Quis est hic sermo, quem dixit: Queretis me, & non inue-
 niatis: & ubi sum ego, vos non potestis venire? 37. In nouissimo au-
 tem die magno festivitatis stabat Iesus, & clamabat, dicens: Si quis
 sit, veniat ad me, & bibat. 38. Qui credit in me, sicut dicit Scrip-
 tura, flumina de ventre eius fluent aquæ vineæ. 39. Hoc autem di-
 xit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim
 erat Spiritus datus: quia Iesus nondum erat glorificatus. 40. Ex il-
 la ergo turba, cum audissent hos sermones eius, dicebant: Hic est
 vere propheta. 41. Alij dicebant: Hic est Christus. Quidam autem
 dicebant: Numquid à Galilæa venit Christus? 42. Nonne Scrip-
 tura dicit: Quia ex semine Dauid, & de Bethlehem castello, ubi
 erat Dauid, venit Christus? 43. Dissensio itaque facta est in turba
 propter eum. 44. Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere

Ribera in Euang. Ioan.

A a cum:

eum: sed nemo misit super eum manus. 45. Venerunt ergo ministri ad Pontifices, & Phariseos. Et dixerunt eis illi: Quare non adduxisti illum? 46. Responderunt ministri: Numquam sic locutus est homo, sicut hic homo. 47. Responderunt ergo eis Pharisei: Numquid & vos seducti estis? 48. Numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex Phariseis? 49. Sed turba hæc, quæ non nouit legem, maledicti sunt. 50. Dixit Nicodemus ad eos, ille qui venit ad eum nocte, qui unus erat ex ipsis: 51. Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, & cognoverit quid faciat? 52. Responderunt, & dixerunt ei: Numquid & tu Galileus es? Scrutare Scripturas, & vide quia à Galilæa propheta non surgit. 53. Et reuersi sunt unusquisque in domum suam.

IN CAPVT VII. S A N C T I IESV CHRISTI EVANGELII SECUNDVM IOANNEM,

C O M M E N T A R I A.

Lectio tri-
plex. **P**O ST hac ambulabat Iesus in Galileam.] Triplex lectio est in his verbis. Prima est, ut legatur; *ambulabat in Galileam*: non enim volebat *ambulare in Iudeam*; id est, postquam hæc, quæ narrata sunt, acciderūt, versabatur Iesus in oppidis, & synagogis Galilææ, nec volebat versari in oppidis Iudeæ; quia Iudei eius gloriæ magis in dies inuidentes nitebantur illum occidere: & tempus Passionis nondum aduenerat. Volebat autem, ut eleganter adnotat August. tract. 28. in principio, suo exemplo docere membra sua, aliquando fugere, & latere debere; nam licet ipse vitare mortem posset, cum vellet, membra eius nō erant hanc potestatem habitura: & ideo oportebat, ut fugeret. Ita legendum esse docent Caietanus, Pagninus, Isidorus, Clarius, Benedictus, & Iansenius, c. 60. & ita legit, & exponit Cyrillus, & ut videtur etiam Euthymius. Ita habent Græci codices nunc, & aliqui Latini antiqui manu scripti: alij autem habent in cōtextu *Galileam*, & *Iudeam* in margine: corrigant *Galilea*, & *Iudea*. Secunda lectio vulgatior apud Latinos est; *ambulabat in Galileam*: non enim volebat in *Iudeam ambulare*. Iuxta hanc lectionem intelligunt nōnulli, post sermonem habitum in Capharnaum, quoniam erat proximum Pascha, Dominum venisse in Iudeam; & modò loqui Euangelistam de reditu eius in Galilæa; quia noluit in Iudea manere. Tertia Lectio est, ut *Galilea* sit ablatui caſus, & *Iudea* accusatiui. Ita legit Chrys. hom. 47. & Nonnus p. 45.

Verun

Veruntamen licet hæc varietas cernatur, non admodum refert, cùm sensus sit idem. Certè Lectio, quam proferunt codices Latini, *in Galileam, & Iudeam* optimè retineri potest. Primo, quia Græci indifferenter vtuntur præpositione, *in* cùm accusatiuo, & ablativo in eodem sensu, deinde quoniam habuisse olim Græca exemplaria *in Iudeam* ostendit Chrys. & Nōnus, vt diximus: & habuisse etiā in Galilæa ostendit aper-te Theoph. qui hæc exponens ait, succedit in Galilæam nunc. At non videtur mihi ita interpretandum, vt interpretari quosdam diximus de reditu à Iudæa in Galilæam: primum quoniam incertum est, an Dominus Hierosolymam venerit pascha illo: licet enim probabile sit venisse, vt semper facere solebat, ne legem violare putaretur, tamen id Euā-gelista non commemorat, & Chrys. hom. 41. & Cyrillus & Theoph. in principio c. 6. negant Dominum iuissé, vt paulatim legem soluere in-ciperet, docerētque non diu fuisse mansuram. 2. quoniam licet Hiero-solymam iuisset, tamen quia Euangelista nihil de hoc dixerat, sed in fine capitis præcedentis reliquit illum in Capharnaum, non rectè se-quebatur statim, *ambulabat in Galileam*; id est, redibat à Iudæa in Galilæam. Ita igitur est intelligendum: Christus erat in extrema parte Ga-lilæa; id est, in Capharnaum: vnde transire poterat in terras Gentili-um, & vnde etiam venire poterat in Iudeam; idèò rectè dixit, *ambu-labat in Galileam*; id est, decreuit ambulare versus alias ciuitates Galilæa, & non transire in aliam regionem: quemadmodum si quis sit in extremo oppido Hispaniæ versus Galliam, & relicta Gallia iter fa-cere incipiat in ciuitates Hispaniæ, rectè dicetur *ambulare in Hispaniā*. Atque hoc modo dixit c. 3. de Domino existente in Hierusalem: *Post hæc venit Iesus in Iudeam terram*. Atque hic sensus conuenit optimè cum omnibus Interpretibus antiquis, & cum omnibus lectionibus. Præter-cà vbi nos habemus, *non enim volebat, &c.* Erasmus, & Titelmanus ad-notant, olim in nonnullis Græcis codicibus lectum esse, *non habebat potestatem, aut non valebat ambulare in Iudeam*: & ita legisse putant Chrysostomū & Cyrillum; immò Erasmus putat etiam Augustinum legi-sse; *non valebat*; quoniam ait: *non ipse perdiderat potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem*. Sed obstat his authoribus, quòd in omnibus codicibus Græcis legitur *nolebat*, & aperte ita legit Theophylactus; & eodem verbo vtitur Nonnus. Ita etiam legit Augustinus: nam si Eraf-mus legisset quintam ab ea, quam citauit, lineam, videret ita scriptum: Sic enim dictum est: *nolebat ambulare in Iudeam, quasi non posset ambulare inter Iudeos, & non occidi à Iudeis*. Cyril. quoque eodē modo legit: dicit enim Dominum maluisse cum Gentibus conuersari, quām cū Iudeis: Tota dubitatio est de Chrysostomo: quærerit enim homil. 47. quomodò non haberet potestatem ambulandi in Iudeam, qui omnia poterat? Sed Respódeo, Chrysostomū similiter legisse, vt nos: at quoniā Euangelista dixerat, *nolebat ambulare in Iudeam, quoniam querebant cum Iudeis interficere*; videbatur omnino dicere, illum non habuisse potestatem fugiendi manus Iudeorum, si in Iudeā venisset; & propterea illis verbis usus est

Chrysostomus, ut patet ex verbis Augustini modò citatis.

*Scenopegia
unde nomē.*

Scenopegia.] Hic singularis numeri est, vt indicat Græcus articulus, non pluralis, vt putauit Titelmanus, licet aliquando etiam pluraliter dicatur. Est autem festum, quod Tabernaculorum dicitur, habéatque nomen à figendis tabernaculis: *scene* enim, siue *σκηνή* significat; *υμβρακον*, aut *tabernaculum*: & *πτυχίον*: id est, *figo*: in quo errauit Lyra, & alij. Fiebat mense septimo; hoc est, in fine Augulti, aut initio Septembri, non in memoriam Tabernaculi, quod extructum est à Beseleel in deserto, vt putauit Euthymius: sed sicut legimus Leuit. 23. *Ut discant posteri vestri, quod in tabernaculis habitare fecerim filios Israël, cum educerem eos de terra Egypti.* Vide de hoc festo Tabernaculorum Leuit. 23. & 2. Esdræ. 8. Itaque transit Euangelista à tempore proximo Paschæ tertij anni, ad mensem Septembrem, quoniam miracula facta à Domino in Galilæa, eo tempore, satis narrata sunt ab aliis Euangelistis. Quare ut ait Chrysostomus, particula *posthæc*, quæ est in principio huius capitii, nihil aliud significat, quam *multum interea temporis processisse*.

*Consanguinei
fratres dicuntur
fratres ex
vix Scriptura.*

*Iacobus &
Iudas fra-
tres Domi-
ni.
Ac Apostoli
postolæ.*

Frates eius.] Id est, Consanguinei virginis Mariæ, ut tract. 28. ait Augustinus: notat enim hic, quod & nos notaimus, c. 2. in illis verbis *mater eius & fratres eius*, vulgatum esse in Scriptura, vt Consanguinei fratres dicantur. Theophylactus autem, & Euthymius, & Nonnus apertè dicunt, hos fuisse filios Ioseph, ex alia vxore: quod nos ibidem recitauimus. Sed queritur; an fuerint isti ex Apostolorum numero? Chrysostomus homil. 47. docet, Iacobum fratrem Domini, & Iudam fuisse ex his, qui modo dicuntur *Frates Domini*: Cyrillus etiam ait, hos postea fuisse Apostolos: quod videtur confirmari ex iis, quæ diximus c. 2. *Frates Domini vocari Iacobum, Iudam, Ioseph, &c.* Sed respondeatur, nullo modo hos fuisse ex numero Apostolorum: Apostoli enim iam credebant in Christum. Ioan. 6. *Et nos credidimus, & cognouimus, quia tu es Christus filius Dei.* De his autem dicit; *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Hoc videtur sensisse Augustinus, & est communis sententia; quæ probatur optimè ex Actorum 1. vbi cum nominasset Apostolos, & inter eos Iacobum Alphæi, & Simonem, & Iudam ait: *hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & fratribus eius:* ergo alij præter istos Apostolos erant, qui dicerentur *fratres Domini*. Idem intelligitur ex Matt. 12. *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant querentes te.* Nam hos fratres non fuisse ex Apostolis intelligi videtur ex eo, quod Apostoli semper Dominum sequabantur: & ait; *& extendens manum in Discipulos suos dixit: Ecce mater mea, & fratres mei:* Isti consanguinei Christi non intellegentes eius Diuinitatem, abiectè de eo sentiebant: adeò, vt dicat Marcus, c. 3. *Et cum audissent suis, exierunt tenere eum: dicebant enim, quoniam in furorem versus est:* Atque hi sunt, qui modò Dominum alloquuntur, vt gloriam sibi comparare studeat, & in conspectum hominum se det, veniens in Iudæam, vbi sunt principes Sacerdotū, & nobilissimi, atque

atque doctissimi Iudæorum : & ad quam propter Templum confluit magna Iudæorum, & gentilium multitudo ex omnibus prouinciis. Hęc autem dicunt, non inuidentes Domino, vt ait Chrysostomus, & Theophylactus ; neque eum à Iudæis occidi cupientes, vt ait Euthymius ; & subindicat idem Chrysostomus : cur enim id cuperent ? Sed ex consanguinei sui gloria commodum sibi, atque honorem sperantes.

Discipuli tui.] Quos habes in Iudea, tui nominis studiosos.

*Nemo quippe in occulto.] Alloquuntur eum tanquam honoris & gloriæ cupidum, vt ait Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius. Et ideo aiunt ; *Nemo qui natus hominibus, & manifestus esse cupiat, facit in occulto opera sua.**

*In palam esse.] In Græco est, ἐν ταρφνοίᾳ : significat autem ταρφνοία Παρφνοία propriè ingressum, & transitum in intimam partem loci, in quo concionandum est. Inde significat modò manifestationem : omnibus enim manifestus fit, qui locum ascendit ad concionandum : atque inde etiam significat frequentissimè libertatem, & audaciam loquendi : non libertatem à persecutionibus, vt falsò putauit Caietanus. Inde paulò post ait: *nemo tamen loquebatur de eo, propter metum Iudeorum : & ubi habemus palam; est ταρφνοία : id est, cum libertate & audacia.**

Si hac facis.] Id est, si potestatem habes faciendi talia opera ; & signa, qualia haec tenus facere cœpisti ; cur hic in Galilæa lates ? Abi in Iudeam.

*Tempus meum nondum aduenit.] Omnidò existimo hunc esse sensum: Dominus, vt videbimus, ascendit in templum tribus diebus festi iam transactis : videbat enim se audiissimè expectari à Iudæis, vt occideretur ; vnde & quærebant illum, dicentes : *Vbi est ille ?* Et ideo non venit primo die ; sed quarto, cùm iam deferbuerat illorum iræ impetus, & tutò venire poterat. Simile est, quod ait cap. 11. *Qui ambulat in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt :* Id est, scio, quando mihi immineat periculum, si eam in Iudeam, & quando non immineat. Hoc ergo nunc ait; nondū venit tempus aptum profectionis meæ, quia tempus Passionis nondū aduenit, & modò occiderent me, si irem : Vos autem semper liberum, & paratum habetis tempus ad eundam : nullum enim periculum vos manet vt me : nam mundani homines, & mali non oderunt vos, quia nullo modo eis resistitis, aut contradicitis: me autem oderunt; quoniam arguo eorum scelera: quare vos abite. Ego enim non eo modò, sed ibo, cùm tempus fuerit. *Vbi nos habemus, non ascendo : in Græco est; nondum ascendo : & ita etiam habet Nonnus, & in quibusdam codicibus Græcis, & Latinis legi testantur Erasmus, & Montanus. Vnde Chrysostomus ait: Cur ascendit, cùm se ascensurum negasset ? Non dixit simpliciter, Non ascendam ; sed, non ascendam abhuc ; id est, vobis ; quia tempus meum nondum impletum est.**

Quasi in occulto.] Non omnidò manifestè, sed paucis se ostendens; vt cederet furori Iudeorum.

Vbi est ille?] Chrysostomus; ex nimio odio eum nominatum appellare non patiebantur.

Quidam dicebant.] Chrysostomus: *Multitudo dicebat: Bonus est. Principes, & Sacerdotes dicebant: Seducit turbas.*

Nemo tamen palam loquebatur.] Scilicet laudes Christi, ne irritarent principes.

Dies festus & festinatio. *Iā autē die festo mediante.*] Interlinealis; id est, mediatis illis diebus; id est, quarta die festi. Ita etiam Lyra: & alij. Dies enim festus dicitur non unus dies: non est enim in Graeco dies; sed ἡμέρα: id est, festivitas: tota autē festivitas erat septem dierū. Nonnus ait: *Circa mediam metam festivitatis.*

Quomodo hic literas scit?] Literas; id est, doctrinam intelligunt, vt ait Chrysostomus, & non quamlibet; sed doctrinam sacræ Scripturæ: hæc enim appellatur Γράμματα: id est, literæ, vt 2. Tim. 3. *Et quod ab infantia literas sacras nosti:* & Actu. 4. *Comperito, quod homines essent sine literis, & idiota.* Inde Scriba; id est, peritus literatum Sacrarum dicitur ab Apostolis Γράμματεύς: id est, peritus sacrarum literarum; & idem, pro eo, quod nos habemus Isa. 33. *Vbi verba legis ponderans;* id est, vbi est qui verba legis exactissimè rimatur; & persequitur Pau. 1. Cor. 1. dixit: *Ubi Scriba?* Et vbi nos habemus in Isaia; *vbi literatus?* pro quo Pau. ait, *vbi sapiens?* L X X. dixerunt; *Ubi Grammatici?* Vocant autem Grammaticos, peritissimos literarum, scilicet sacrarum.

Mea doctrina non est mea, &c.] Id est, non à me ipso loquor, sed quæ à Patre audiui, vt docerem homines. De hoc diximus cap. 5. in illis verbis; *Si ego testimonium perhibeo.*

Si quis voluerit, &c.] Id est, si pertinaciam hanc, & incredulitatem vestram abiceritis, & Dei præcepta seruaueritis, intelligetis, vtrum ex Deo sit hæc doctrina, an ex me: aperiet enim vobis Deus oculos, vt intelligatis: docet eos malitia sua excæcari, & peccatis suis obstatere. *Sicut à Deo accipiendæ, & excludere à se donum Sapientiæ, & Intellectus, & Consilij, quibus animæ iustorum à Spiritu sancto diriguntur, aut mouentur; vt aut per se intelligent ad salutem necessaria, aut magistros Ecclesiæ consulant.*

Qui à semetipso loquitur.] Quid sit loqui à semetipso, diximus cap. 5. in verbis citatis.

Nonne Moyses dedit vobis legem?] Hæc verba variè connectuntur cum præcedentibus: ego ita intelligo: cùm dixit, *hic verax est,* docet se vera semper loqui, & quæ à Patre accipit; ac propterea doctrinæ suam esse inculpabilem: sed quia præterea obiiciebant illi violationem legis, quòd hominem Tabathio sanasset, repellit etiam hanc calumniam; dicens; *Et iniustitia in illis non est:* & addit statim; *Nonne Moyses, &c.* quasi dicaret, multò melius vobis consuleretis, si quā curā adhiberetis ad aliorū peccata accusanda, ad vestra peccata emendanda adhiberetis: nā cùm multū Moysem laudetis, legem ab eo vobis traditā minimè obseruatistis; *Quid igitur me queritis interficere,* quia opere uno legē vobis transgressus esse videor, cùm vos passim multis transgrediamini? Alludit ad *curatio-*

Anima quibus donis à Spiritu S. dirigitur.

curationē Paralytici sabbatho factā: hæc enim causa extitit Iudæorum odij, [Ioan. 5.] Propterea persequebantur Iudei Iesum, quia hæc faciebat sabbatho: cum quo sensu conueniant optimè verba sequentia. Chrysost. & Cyrillus intelligunt his verbis, quid me queritis interficere? Probari eos transgredi legem, quandoquidem innocentem volebant interficere.

Respondit turba.] Videlicet quæ ignorabat, quid Pharisæi in Domum machinarentur, & sibi immeritò conuitum dici putabat.

Dæmonium habes.] Id est, insanis, & Dæmone instigante contra veritatem nos homicidij accusas.

Omnis miramini.] Id est, perturbamini, & tumultuamini, ut aiunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, quasi legem transgressus fuerit, cùm Paralyticum curauit.

Propterea Moysès dedit vobis Circumcisōem.] Probat se illa sanatione nequaquam legē violasse: ratio est huiusmodi: Si nascatur infans Sabbatho, continuo Sabbatho sequenti illum circumciditis, & medicamentum vulneri apponitis, vt pars corporis sanetur: nec tamen putatis vos idèo legem soluere: cùm autem ego non vulnerauerim hominē, quod fit in Circumcisōe; sed sanauerim, non partem corporis, sed totū hominem, cur vobis legem violasse videor? Magis enim seruile est vulnerare, & medicamenta apponere, quod ferro, & manu fit, quād sanare quod solo verbo à me factum est. Præterea, vt exponit Aug. tract. 30. & Beda, Vos circumciditis sabbatho, quia Circumcisō pertinet ad aliquod signaculū salutis, & non debent homines sabbatho vacare à salute: ergo nec mihi irascamini, quia sanū feci totū hominem sabbatho. Sed contra hanc rationē poterant obiicere Indæi, si fit Circumcisō, autoritate diuina sit; tu autem curas hominem authoritate propria? Respōdetur, Moysē prohibuisse omne opus seruile in sabbatho expressè, & nunquā præcepisse expressè, vt sabbatho fieret Circūcisō; sed vt fieret octauo die: quare si eslet opus seruile, transferēda erat sine dubio in diē sequentem; sed indicarunt sapientes non esse opus seruile: & ideo rectè fieri posse sabbatho, immò violari legē, si tunc non fiat; quia iubet Circumcisō fieri octauo die, & in festo non prohibet nisi opera seruilia. Ait ergo Dominus, cū rectè indiceris hoc opus nō esse seruile, nec prohibitū; cur sanationē paralytici prohibitam putatis, quasi opus seruile sit? Sed restant adhuc in hac ratione tres dubitatiunculae. Prima est, quorsum interposita sunt verba illa; non quia ex Moysi est, sed ex patribus, cùm nihil facere videantur ad rei confirmationē. Respondetur, tantū addita esse, quasi causa correctionis cuiusdam, & explicationis: cùm enim oporteret nominare Moysēm, cuius maxima erat apud illos authoritas, ne putarent ignorantes dixisse Dominū, præceptum Circūcisionis esse Moysis; addit, non quia ex Moysi, &c. quasi diceret; quamuis hoc præceptū non datum sit ipsi Moysi, sed Abraham Gen. 11. à quo cæteri patres acceperunt. Atque ita exponunt Theoph. & Euthym. & Rupertus, & Caiet. & Iansen. c. 75. Secunda dubitatio est; cur dixerit, totū hominem, vtrum propter corpus tantū, an etiam propter animam?

Dubitatio
nes tres.
Dubit. 1.

Præceptum
Circumci-
sio iis datum
Abraham.
Dubit. 2.

Respon

Respondetur primò; dictum esse propter corpus; quoniam paralysis totum hominem dissoluit, ita totus homo sanatus est: ita Euthymius. Atque ita etiam Cyrillus, Chrysostomus, & Theophylactus, ad corpus referunt; nec meminerunt animæ. Secundò; *Quoniam curatus est, ut sanus esset in corpore; & creditit, ut sanus esset in anima:* Quæ verba sunt Augustini tract. 30. & Bedæ, & S. Thomæ. Idem sentiunt

Ques Christus sanabat in corpore, sanabat & animo.

Dubit. 3.

Tertia dubitatio est; cur in principio huius orationis dixerit, *propterea*; nulla enim causa ibi reddi videtur. Theophylactus legit ita; *Vnum opus feci, & omnes miramini, propterea, sine propter hoc:* at alij non ita legunt, aut intelligunt, nec noster Interpres ita intellexit. Caietanus rationem reddi putat ad hunc modum; Moyses iussit Circumcisionem fieri sabbatho, ut vos non miremini, neque me transgressorem legis putetis, cum similia opera faciam, seu cum ægrotos curio; id est, ex eo Moysis præcepto patebit, me non transgredi legem. Quæ expositio recte potest defendi ex consuetudine Scripturæ ponentis euentum pro causa, ut latè diximus, Amos. 2. in illis verbis, *ut violarent nomen sanctum meum*: Iansenius autem cap. 75. putat, nullam reddi causam, sed poni hanc dictiōnēm *propterea*, ut excitet ad audiendum, quod dicendum est, secundū morem Hebræorum, ut Hier. 30. Dominus dicit, se punisse populum, propter peccata; & addit statim: *propterea omnes, qui comedunt te, deuorabuntur:* quasi dicaret, itaque ne desperes; aut, veruntamen ne desperes; scito deuorandos esse omnes, qui comedunt te. Ita ergo exponit hic *propterea Moyses, &c.* id est, itaque ne miremini, aut calumniemini; quod feci aduertite, Moyses, &c. sed rectius, & magis proprium est, quod ait Euthymius, dictio *propterea*, non est hic causa redditiva, sed vulgari modo, & superfluè Hebraico more ponitur. At non est intelligendum, poni omnino superfluè, sed ornatus causa; ut inde incipiat sententia, ne sine principio, & quasi ex abrupto incipere videamus: quomodo etiam apud Latinos poni solent verum, & enim vero, & nam, ut apud Ciceronem in 3. Verrina: *nam mehercule, inquit, sic agamus, columnæ ad perpendiculum exigantur.* Ita ponitur *propterea* loco citato Hier. 30. & cap. 32. *Propterea* hæc dicit Dominus: *Ecce ego tradam civitatem: Oseæ 1.* Propter hoc ecce ego lactabo eam. Isa. 52. propter hoc sciet populus meus nomen meum in illa die: pro quo semper in Hebræo ponitur *p̄t lachen.*

Nolite iudicare secundum faciem.] Nonnus ita intellexit, ne velitis in iudicando oculis hominum placere: Chrysostomus vero, & Cyrillus, & multi alij ita intelligunt: quasi vetet faciem hominis intueri; id est, personam hominis accipere; quasi dicaret; ne considereritis Moysen, quem suspicitis; & me, quem contemnitis; sed res ipsas iudicate sine

sine respectu personatum. Et est alter sensus, qui mihi maximè probatur; ne iudicetis iuxta id, quod primo aspectu appetet, sed rem penetrare, & prorsus excutire, ut iuste iudicetis: est enim in Græco κατὰ δόγμα: id est, secundum visionem; hoc est, secundum primam, & superficialem rei inspectionem, quam eleganter Interpres faciem vocavit; quod optimè intelligitur ex Isa. 11. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet; sed indicabit, in iustitia pauperes, & arguet in equitate pro mansuetis terra. Secundum visionem; id est, secundum superficialem cognitionem, pro quo LXX. vertunt secundum δόξαν; id est, secundum opinionem; quasi diceret; secundum scientiam, & intimam rei cognitionem: Itaque iudicio secundum visionem; ut secundum faciem, opponitur iudicium secundum iustitiam, quod fieri non potest nisi re penitus inspecta.

Ex Hierosolymis.] Codices Græci habent, ex Hierosolymis; & ita legunt Chrysostomus, & alij Græci; sed sensus est idem: & Nonnus legit ut nos.

Quem quarunt interficere.] Hoc discere poterunt ex verbis Domini, quid me queritis interficere? Vel turba ignorabat hoc, cum dixit, quis te querit interficere? Sed quidam Hierosolymitani sciebant.

Christus autem cum venerit, nemo scit, unde sit.] Id est, nouimus eius parentes; sed Messia parentes, qui futuri sint, nemo scit; Hoc dicunt, quoniam Micheæ 5. scriptum est: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis, & ideo putabant parentes eius non esse cognoscendos. Et Isa. 53. Generationem eius quis enarrabit? Intelligebant enim generationem, non natuitatem, sed progeniem; quia in Hebræo 7. dor, quamvis mihi probabile est, hos ita loqui; quia legem, & Prophetas ignorabant, & è media plebe erant: nam notissimum erat doctis, Christum futurum ex progenie Dauid, ut videmus Mat. 22. in fine: non poterat autem cognosci ex semine Dauid ipsum esse, nisi cognoscerentur eius parentes. Quod autem postea dicunt, numquid à Galilæa venit Christus? non aduersatur-iis:alij sunt enim qui id dicunt, & varij variè loquebantur, ut in magna multitudine fieri solet.

A me ipso non venio.] Docet aliquid se habere supra id, quod ipsi de eo sciunt; id est, filium Dei esse, & à Deo patre missum, ut ait Chrysostomus.

Nemo misit in illum manus.] Chrysostomus dicit, eos inuisibiliter esse à Deo detentos, & furorem eorum fuisse cohibitum à Deo.

Hora eius.] Quæ erat Passioni destinata.

Adhuc modicum tempus.] Id est, modicum tempus expectate, & me vobis capiendum, atque occidendum exponam, ut ait Chrysostomus; quasi diceret; tunc moriar, & resurgens ascendam in calum: ponuntur enim præsentia pro futuris, ut suprà notauimus: significat autem se tunc capiendum fore, cum capi voluerit.

Queretis me, & non inuenietis: & ubi ego sum, vos non potestis venire.] Licet alij aliter exponant, mihi maximè placet sensus Theophylacti,

Ribera in Euang. Ioan.

Bb &

Iudicium
secundum
visionem
quid.

& Euthymij, & Iansenij, potissimum intelligi haec verba de tempore excidij Hierosolymæ; quasi diceret, opprimemini magnis calamitatibus propter velstram incredulitatem, & cum prius, tum maximè cum à Romanis vastabitimi, optabitis hanc meam præsentiam corporalem, quam modò contemnitis; ut miracula faciam, & vos liberen, & non inuenietis me, nec poteritis venire in locum, ubi tunc cro; id est, in cælum; quasi diceret, idè me non inuenietis, quia recedam, & tollar à vobis. Haec verba ita esse intelligenda docemur ex c. 13. vbi iterum repetuntur; *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum;* & sicut dixi Iudeis, quò ego vado, vos non potestis venire; & vobis dico modo: quorum hic est sensus manifestus, optabitis præsentiam meam iactati calamitatibus & persecutionibus. *Lucæ. 11. Veniet dies, quando desideratis videre unum diem filij hominis,* & non videbitis; ego modò in cælum eo, quò vos non poteritis nunc venire, ut sis mecum; sed opus est manere in hac vita, & laborare.

In dispersionem gentium.] Id est, ad gentes in totum orbem dispersas; vocabant autem Iudei omnes alios populos à se Gentes, aut nationes; sicut Græci, & Romani alios homines à se vocabant Barbaros: & quia omnes præter Iudeos erant maxima ex parte idololatriæ, inde factum est, ut gentes, siue gentiles Aethnici (quod idem est) & nationes capiantur pro idololatriæ; ad Galat. 2. *Nos natura Iudei,* & non ex gentibus peccatores: & ibidem; prius enim quam venirent, quidam à Iacobō cum gentibus edebat: & Acto. 10. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles, qui venerant cum Petro; quia & in nationes gratia Spiritus sancti diffusa est.

In nouissimo autem die festiuitatis.] Id est, in die ultimo illius festi Tabernaculorum, qui erat celeberrimus æquè ac primus, ut modò apud nos octauæ maiorum Festiuitatum, qui dies non erat septimus, vt putauit Theoph. sed potius octauus, qui dicebatur *Collectæ*, atque *cætus*; de quo Leuit. 23. *Dies quoque octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus:* de septimo enim nihil tale dicitur: reseruavit autem Dominus hanc doctrinam diei nouissimo, qui cæteri dies ante illum in delitiis consumebantur; die autem octauo finiebantur, & quisque in patriam suam redibat: idè præbet eis viaticum ad salutem: ita Chrysostomus. & Theoph. & Euthymius. Clamabat autem, quia magna cum libertate loquebatur, vt ait Chrysostomus magno cum desiderio.

Si quis sit.] Chrysostomus. & Euthymius exponunt hoc de siti doctrinæ spiritualis, & multi alij. Sed est alter sensus (qui videtur paulò germanior) omnes homines habent innatum quoddam desiderium beatitudinis; semper eam querunt, & eius causa consequantur diuitias, voluptates, & honores; sed cum in iis inueniri non possit, semper necesse est eos fitire: hos vocat Dominus ad se; quia semper fitient, donec ad ipsum veniant, & gratiam accipiant, qua res omnes temporales contemnunt, & tantum spe, atque desiderio cœlestium rapiantur; vt dicit cap. 4. *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non fitiet in aeternum,*

Ecc.

ultimo
dies festo-
rum dies
celeberrimi-
mus equè
ac primus,
apud Iudeos.

&c. Hoc ipsum aliis verbis dictum est Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos: & Isa. 55. noui aliis verbis, sed eisdem dicitur: Omnes sitientes venite ad aquas, &c. Itaque si quis sit, idem est, ac si dicat; omnes, qui sitiunt; sed loquitur ita, ut ostendat se neminem velle compellere, ut exponit Chrysostomus; se paratum tamen esse ad omnes excipiendo. Ita loqui solet Scriptura; ut Proverb. 9. *Si quis est parvulus, veniat ad me: & Psal. 33. Quis est homo, qui vult vitam, &c.**

Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina, &c.] Ventris nomine folet intelligere Scriptura interiora hominis: ut Psal. 21. *Factum est cor meum, tanquam cera liquefaciens in medio ventris mei;* ut diximus Abacuch. 3. in illis verbis; *auditi, & turbatus est venter mens,* &c. Inde metaphoricè cor, sive mentem, ventrem vocat: dicit autem omnino idem, quod cap. 4. dixerat: *sed fact in eo fons aquae salientis in vitam eternam:* aqua enim saliens riuulos effundit, quos modò vocat flumina. Vide, quæ ibi diximus de iis, & de aqua viua: ita enim, ut diximus, exponit hæc verba Chrysostomas, & Theophylactus, & Euthymius: citantque verba prædicta, cap. 4. & eodem modo protrsùs videtur intelligere Hieronymus utrumque locum. Isa. 12. in illis verbis, *haurietis aquas, &c.* & super Ezech. cap. 47. in principio.

Sed est hic difficultas insignis; vbi nam reperiatur hæc verba Scripturæ, quæ Dominus citat? Chrysostomus homil. 50. & Theophylactus, & Euthymius dicunt, hæc verba *flumina, &c.* nusquam reperiiri in Scriptura: ideoque ita esse intelligendum, quod ait Dominus; *qui credit in me, sicut dicit Scriptura;* id est, qui habet in me fidem, quam Scriptura exigit, ut doceat, non tam propter signa credendum esse in se, quam propter Scripturas. Hanc sententiam sequitur Albertus Magnus, & re sequuntur recentiores, ut Titelmanus, Arboreus, Isidorus, Clarius, Gagneius; Caetanus etiam dicit hunc sensum esse verum; alterum autem qui referet hoc ad verba sequentia, *flumina de ventre eius, &c.* esse incertum; quia in libris sacræ Scripturæ, quos modò habemus, hoc non inuenitur: licet fieri possit, ut scriptum fuerit in aliis libris Prophetarum, qui iam perierunt. Secunda sententia est Montani, qui putat, Dominum alludere ad illud Isa. 55. *omnes sitientes, &c.* cui videtur fauere Glossa interlinealis, quæ dicit esse in Isaia, licet locum non inducit. Idem sentit Magister Leo super verba citata Isa. 55, videlicet Dominum citare illa verba Isa. 55. Probat: nam si Dominus diceret; *si quis sit, veniat ad me, & bibat, sicut dicit Scriptura:* nemo dubitaret eum loqui de hoc loco Isaiae: quod autem addit; *qui credit in me;* non obstat: positum enim est à Domino, ut ostendat verba illa Isaiae intelligi de credentibus in se: atque ita in Græcis codicibus ibi finitur sententia, *qui credit in me, sicut dicit Scriptura:* quod miratur non vidisse Chrysostomum. At vero, quidquid sit de conclusione;

rationes certè parum probare videntur; nam hoc, quod ipse vult iam Dominus, ostenderat, cùm dixit; *veniat ad me*; scilicet per fidem viuam. Præterea in codicibus Græcis, quos ego vidi, ita incipit & finitur sententia, ut in nostris Latinis, & eodem modo intellexit Nonnus.

Tertia sent.

Tertia sententia est Hieronymi, qui inter alia loca Veteris Testamenti, quæ citantur in Nouo, nec reperiuntur in translatione LXX. sed in Hebræo, & in nostra, hunc locum obiicere solet, ut videmus in prologo Pentateuchi, & in prologo librorum Paralypom. Et in priori loco docet hæc verba, quæ modò citat Dominus, esse in Proverbiiis; sed quia locum non ostendit, putauerunt Rupertus, & S. Thomas hic: & in catena aurea esse in c. 5. Proverbiorum, ubi ait; *deriuenter fontes rui foras, & in plateis aquas tuas diuide*. Sed probant Erasmus, & Titelanus, & Iansenius, Hieronymum nequaquam de hoc loco intellexisse; quoniam hæc verba, quæ ipsi citant, similiter sunt apud LXX. Quare hæc sententia est contra Hieronymum, & Chrysostomum, & cæteros authores, qui negant hæc inueniri in versione LXX. Eadem ratione conuincitur, non esse illud, quod in margine notatur in quibusdam Bibliis ex Prover. 18. *Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans, fons Sapientiæ.*

Sentent. 4.

Quarta est Iansenij c. 55. qui non putat hæc desumpta esse ex Proverbiiis, sed ex variis locis Prophetarum, ac potissimum Isa. in quibus abundantia gratiæ spiritualis fidelibus communicanda nomine *fluminis* promittitur, ut Isa. 31. & tribus sequentibus: & cap. 48. Ezech. 36. Ioëlis. 2. Hæc sententia Iansenij est satis probabilis: nam Isa. 41. legimus; *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum ponam desertum in steagna aquarum, & terram inuianam, in riuos aquarum: Et c. 44. Effundam enim aquas super sicutientem, & fluentia super aridam.* Et huiusmodi sunt plurima in Isaia & cæteris Prophetis, quæ non est dubium intelligi de abundantia Gratiarum sancti Spiritus, quem gentiles credentes accepturi erant.

Vnde continuò addidit cap. 44. *Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionem meam super stirpem tuam.* Quando autem dicit; *sicut dicit Scriptura*; non est necesse, vnum certum locum signari, si sensus sit aperte in variis locis; ut i. Corinth. 15. Quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas; & quia sepultus est, & resurrexit secundum Scripturas tertia die: Sed quoniam Hieronymus dixit, hæc verba esse in Proverbiiis iuxta Hebræum; mihi probabilissimum est, desumpta esse ex c. 5. ubi ait; *Bibe aquam de Cisternatua, & fluentia putei tui: est enim in Hebræo, & fluentia de medio putei tui; ut etiam vertit Pagninus.* Et est sensus, aquam; id est, doctrinam vitae, & salutis, doctrinam Evangelicam, ne hautias ex Philosophis, aut ex Pharisæis, aut ex hereticis, qui sunt cisterne alienæ; sed de cisterna tua; id est, de Doctore illo, quem Dominus ad te mittet, ut te erudit in vitam æternam; id est, de Christo: huic tantum crede; & cum hoc feceris fluentia, siue flumina de medio putei

putei tui, scilicet erunt; est enim visitatissimum apud Hebraeos, quemadmodum & apud Græcos, & Latinos, ut verbum substantiuum omittatur supplendum: quod est dicere: *fluenta erunt de medio putei tui;* id est, flumina de ventre tuo fluent aquæ viuæ: nam per puteum tuum intelligimus illud c. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam:* sed puteus dicitur; quoniam absconditus est, & quasi profundus. Si autem puteus est, aut fons, necesse est habere aquam viuam; id est, iugiter manantem, & fluentem: dicit ergo, *bibe aquam,* &c. id est, crede in Christum, & fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Atque eundem sensum licet minus apertum habent verba nostræ translationis, & *fluenta putei tui.* Hæc autem verba non habentur in translatione LXX. ita ut ex eis elici possit, quod Dominus citat: sed ita; *bibe aquas de tuis vasis,* & *de puteorum tuorum fonte:* & ideo existimo omnino ad hunc locum respexisse Hieronymum: Sed obicit aliquis; minimè intelligi hæc verba de Christo, sed de vsu matrimonij, præcipue homini coniugato, ut ab alienis mulieribus declinet, & sua tantum contentus sit; quasi diceret, ibi sitim tua libidinis exple, atque ex ea filios procreato, qui ut fontes quidam foras exeat, & genus tuum propagent: ita enim exponit Iansenius, hic cap. 75. & super Prouerbia, & ibidem Vatablus, & Beda. Respondetur; hunc sensum à me modò nec laudari, nec reprehendi: tantum dico, quod ad rem nostram attinet; si iste literalis sit, illum, quem de Christi fide, & doctrina priùs attulimus, non esse spiritualem; ut hic putauit Iansenius agens de verbis illis; *deriuentur fontes tui,* &c. Sed omnino literalis, & quidem germaniorem. Probatur, cum dicit, *bibe aquam de cisterna tua,* &c. illam aquam esse spiritualem doctrinam, atque Euangelicam docet optimè Origenes homil. 12. in Numeros, vbi affert hæc verba Salomonis, & verba Domini, quæ modò interpretamur; & illa etiam c. 4. *fiet in eo fons aquæ,* &c. Et ad eundem sensum omnia exponit. Hieronymus etiam exponit verba Salomonis de Sapientia spirituali. Daniel. 2. in illis verbis: *ipse renelat profunda,* & *abscondita:* & Gregorius in 3. p. pastoralis admonit. 25. & Augustinus lib. 2. contra Crelconium c. 14. omnino intellexit de donis Spiritus sancti, quæ sunt propria Ecclesiæ: nam cum citasset verba Ioannis, quæ nunc exponimus, affert & verba Salomonis, quæ statim sequuntur, iuxta LXX. *fons aquæ tua sit tibi proprius,* &c. ita ut diximus, intellexit Glossa ordinaria, & Lyra ibi, & Rupertus, & S. Thomas hic. Atque hunc sensum esse germanum constat; quoniam à principio capit is docet amplectendam esse sapientiam Salomon, ut recte pieque viuat, & meretricij doli vitentur, siue meritrix propriè accipiatur, siue hæreticorum, & Philosophorum fallacem doctrinam metaphoricè significet. Deinde ostendit, unde petenda sit sapientia, dicens; *bibe aquam,* &c. Iste autem sensus non potest esse spiritualis; quoniam ille prior de vsu matrimonij, non potest esse fundamentum huius, quia nupta nullam habet cum Christo similitudinem: est ergo literalis. Itaque cisterna metaphoricè nuptam signifi-

*Aqua viua
qua.*

cat ratione iam dicta etiā Christum, à quo doctrinam salutis aeternæ semper haurimus: vnde meritò Glossa interlinealis & trumq; sensum recipit. Quod si cui forte duriusculū videatur exponere erū fluēta de medio pucei tui, & potius supplēdum putat verbū bibe, quām verbum erunt, vt sit sensus; bibe aquā de cisterna tua, & bibe fluēta putei tui, facile possūmus dicere confici integrā sententiā citatam à Domino, si his verbis adiungantur continuō lequentia, derinentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Dicemus enim, positum esse derinentur pro derinabuntur, more Scripturæ, quæ imperatiuis vti solet pro futuris, vt id quod dicit certum esse, & quasi iam præsens ostendat, vt supra notauimus, immò in Hebræo est in futuro derinabuntur, & ita etiam verit Chaldaeus; & erit sensus; si doctrinam rectè viuendi; & fidem à Christo acceperis, sine dubio habebis in corde tuo fontem perennem, ex quo foras prodibunt riuiuli; id est, opera donorum, & variarum virtutum, & hos riulos diuides in plateis; id est, videbunt opera tua homines, eisque multūm iuuabuntur tam exemplo, quām doctrina. Sed obstat huic sensui iam semel dictum esse bibe aquam de cisterna tua: quare redundare videbitur, & sine causa repeti, & fluēta putei tui. Obstat etiam (quod magis mouet) eandem sententiam posse optimè colligi ex verbis septuaginta; quod Hieronymus semper negat: ita enim habent, fili bibe aquam de tuis vasis, & de tuorum puteorum fontes effundantur ribi aquæ, ex tuo fonte, atque in plateas tuas pertransiant aqua tua. Nihilominus multò magis placet mihi, atque ita tandem respondeo, ex omnibus his verbis colligi sententiam Domini, quoniam optimè, & apertissimè illis continetur.

Ad primam obiectionem Respondeatur, passim in Psalmis, & in Proverbiis posteriorem versus partem explicari solere per priorem, vt ubique videre licet. Ad secundam Respondeo, Hieronymum docere hanc sententiam non esse apud LXX. quoniam illi dicunt, bibe aquas de vasis tuis: quod non potest referri ad Christum, quod pluraliter dicuntur vasæ: in Hebræo autem, & in nostra Translatione ponitur singulatiter, de cisterna tua; id est, de Christo; quemadmodum illa verba Osee. 11. ex Ægypto vocavi filium meum. Negat idem Hieronymus esse apud LXX. quoniam ibi pluraliter verterunt; ex Ægypto vocavi filios meos: quod ad multos potest referri, & non ad solum Christum. Atque ita interpretantes conuenimus cum Ruperto, & S. Thoma, eosque defendimus ab impugnatione Erasmi, Titelmani, & Iansenij: non enim dixerunt isti authores, colligi tantum ex illis verbis, derinentur fontes tui, &c. Sed ex his, & præcedentibus: ita enim ait Rupertus, quod hic dicit; si quis sit, veniat ad me, & bibat; hoc ibi dictum est: bibe aquam de Cisterna & fluēta putei tui: & quod hic subiunxit, flumina de ventre eius fluent aqua viua; hoc ibidem subiunctum est, derinentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.

Nondum enim erat Spiritus datus.] Græci codices habent; nondum enim erat sanctus Spiritus, quia Iesus, &c. Ita legerunt Chrysostomus,

Theo

Theophylactus, & Euthymius; & si recte considerentur, ita omnino videntur legisse Hieronymus in epistola ad Edibiam q. 9. & August. tract. 32. Ita enim ait; *non enim non erat spiritus Dei, qui erat apud Deum; sed nondum erat in eis, qui crediderunt in Iesum:* & similia verba sunt in Hieronymo; quamvis Augustinus lib. 2. contra Cresconium c. 14. ita citat, ut nos modò habemus: ex quo intelligitur alia exemplaria Græca habuisse, *nondum enim erat spiritus datus;* quod etiam innuere videtur Nonnus. Sed sensus est omnino idem in utraque letione. Vnde Chrysostomus, & Græci dicunt, *nondum erat spiritus;* videlicet, *datus.* Quod autem ait; *quia Iesus nondum erat glorificatus;* ita intelligendum est, ante Christi Mortem, & Ascensionem dabatur Spiritus, sed paucis, & inuisibiliter, & parciori, & ad pauciores effectus. At vero post Christi glorificationem datus est omni generi hominum, Ioh. 2. *Effundam de spiritu meo super omnem carnem & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae, &c.* & datus est abundantissime, quod significat verbum *effundam:* & visibiliter datus est, & ad effectus miraculosos: loquebantur enim linguis, & morbos omnes sanabant, &c. hoc autem non est factum ante Christi glorificationem; quoniam non erat reconciliatum Deo genus humanum per eius Passionem, & Christus per quem dandus erat, nondum erat notus, nisi paucis, & ab his manu quodam amore diligebatur, adeò ut illis dicat Iohann. 16. *Expedit vobis, ut ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non venit ad vos:* quare oportebat Christum priùs ascendere, ut scirent homines, quod per eius Passionem comparassent, & quanti faciendus esset, & quo amore diligendus: glorificationem autem exponunt Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, & Hieronymus, loco citato esse Passionem. Et ita perpetuò exponit Chrysostomus; quoniam in illa Passione magna miracula visa sunt, & multum in ea eluxit charitas Christi. Sed communis expositio est vel de Resurrectione, ut intellexerunt Augustinus, & Beda; vel potius de Resurrectione, & Ascensione, & præsertim de Ascensione, ut idem Augustinus intellexit: & ita exposuit Hieronymus, quod, & ex ratione adducta intelligitur, & ex verbis Apostoli Ephes. 4. *Propter quod dicit;* *Ascendens in altum, captiuā duxit captiuitatem: dedit dona hominibus,* quod potissimum de Spiritu sancto intelligitur, ut docet Aug. 15. de trinit. c. 19. Adnotat autem recte Iansenius, his verbis alludere Euangelistam ad vaticinia Prophetarum, quibus promittebatur Spiritus sanctus copiose in omnes effundendus; quasi diceret; nondū erant impletae Prophétiae de Spiritu sancti effusione, quæ facta est in die Pentecostes.

Hic est verè propheta.] Adnotat Iansenius Prophetam ponī sine articulo, ut intelligatur unus ex Prophetis, ut c. 4. *Domine, ut video, Prophetæ es tu: sed profectò multi codices Græci habent articulum, licet non omnes habeant:* & ita intellexerunt Theophylactus & Euthymius, & Nonnus: aperte enim ponunt articulum, & exponunt; *Hic est Propheta ille promissus à Moysè, Deuteronomio. 18.*

*Spiritus non
datus ante
Christi glo-
rificationem
erit.*

Numquid à Galilæa venit Christus?] Vide verba illa capit. 1. à Nazareth potest aliquid boni esse?

Et de Bethlehem castello?] De Bethlehem diximus Michæl. 5. *Castellum propriè dicitur oppidum muris munitum; vt enim ait Valla lib. 4. elegantiarum c. 20. frequentes villæ, aut frequentes domus extra urbem dicuntur vicus, ad similitudinem vicus urbani; qui quidem si muris septus non sit, pagus dicitur: si autem murum habeat, dicitur Castellum: sed noster Interpres semper accipit Castellum pro vi- co, seu paruo oppidulo, etiam si muris non cingatur: itaque nullo modo significat apud nostrum Interpretrem arcem, seu munitam do- mum; quoniam semper est in Græco πόλις: quæ vox significat vicum, aut pagum; vt Matth. 9. & circumibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docens in Synagogis eorum. Lucae 10. Intravit Iesus in quoddam castellum, id est, Bethaniam oppidulum: quare aliquando pro eodem nomine Græco solet vertere vicum: vt Marc. 6. vt euntes in proximas villas, & vivos emant sibi cibos; & c. 8. Et apprehensa manu ceci eduxit illum extra vicum.*

Venerunt ergo ministri.] Illi videlicet, quos priùs missos fuisse dixit ante diem ultimum festiuitatis, quo hæc gesta sunt: credibile est enim, eos non statim voluisse illum apprehendere, aut quia tempus op- portunum expectabant, aut quia Domini verbis delectabantur, quem- admodum ex eorum verbis intelligi potest: loquebatur enim magna; & sicut ait Matth. c. 7. Loquebatur sicut potestatem habens, & non sicut Scriba eorum & Pharisi: & ideo noluerunt eum comprehendere. Cæterum Pontifices vocat Annam, & Caipham, inter quos deuoluebatur sumimum sacerdotium, quod iam erat annuum, Ioan. 11. cùm esset Pon- tifex illius anni.

Ex principibus.] Scilicet, qui probè legem norunt.

Maledicti sunt.] Scilicet, quia contra legem, hunc vt Messiam re- cipiunt, cùm Scriptura doceat, Messiam in Bethlehem nasciturum; ei- que solùm hic honos debeatur. Alludit ad illud Deuteron. 27. Ma- ledictus, qui non permanet in sermonibus legis huius, neque eos opere per- ficit.

Numquid lex nostra.] Prudenter dissimulat studium suum erga Chri- stum, ne eos magis irritet. Sed queritur, vbi nam lex hoc præcipiat? Nam lex quidem iubet, sine duobus, aut tribus testibus neminem in- terfici, Deuteron. 17. & 19. sed audire ab ipso reo non iubet. Monta- nus ait, legem, quæ in Deuteron. lata est, de veris, & falsis prophetis, neminem velle damnari, vt falsum Prophetam, nisi cognita causa ex ipsius sermonibus, & operibus; non ex testibus. Ideoque putat, Ni- codemum non de quibusuis loqui, sed de Prophetis. At nec ipse locum indicavit; nec video, vbi lex hoc præcipiat: tantum enim iubet, fal- sum Prophetam interfici, Deuteron. 13. & 18. Docet quidem c. 18. fal- sum Prophetam ex hoc deprehensum iti, quod non euenerit id, quod prædixit; sed id per testes cognosci poterat. Quare dicendum est; Ni- codemum

codemum de omnibus reis loqui, & alludere ad verba citata Deuter. 17. & 19. & ad illud Exod. 23. *Insontem & iustum non occides, &c.* In-de enim intelligitur, audiendum esse reum, ut pro se loquatur, sicut in omnibus iudiciis sit, & æquitas iuris naturalis expoicit. Et ita fa-ctum est in Passione Domini. Quod autem dicit: *Lex nostra iudicat, si-gnificat, damnari iubet.*

Numquid & tu Galileus es?] Augustinus, Beda, Rupertus, S. Thomas, Lyra, & Interlinealis intelligunt hoc per ignominiam dictum, ut voce-tur *Galileus*, quasi discipulus Iesu Galilæi; & ab ipso seductus, sicut Julianus apostata Christum vocabat *Galileum*; & omnes Christianos *Galileos*. Qué sensum reiiciunt Titelmanus, & Iansenius c. 75. eò quod in Græco non sit *Galileus*, sed *ex Galilæa es*? Et magis probant sensum hunc; numquid tu natus es in Galilæa, ut ratione patriæ velis huic homini fauere? Atque ita exponit Euthymius. Mihi videtur sensus Au-gustini satis probabilis, ut exponatur ita, *Nunquid tu iam ex Galilæa es*, id est, effectus es iam huius discipulus, & ab eo seductus: quemadmo-dum, qui *ex Galilæa* sunt: erant enim discipuli Domini Galilæi, & in vniuersum Galilæi magis illi fauere, quam Iudei. Possumus etiam ali-ter intelligere, & fortalsè melius, numquid tu ex Galilæa oriundus es, qui tantoperè ei prouinciae faues, ut velis eam ipsam præcreaticē esse Prophetarum, sicut & Iudeam? Et ideo rectè cohæret, quod statim aiūt; *Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit*: quæ verba Theophylactus putabat temerè & sine vlla consequentia dicta esse.

*Discipuli
Domini
Galilæi
erant.*

Scrutare Scripturas.] In Graeco nō est *Scripturas*, nec apud Chrysostomum, aut Theophylactū, aut Euthymiu; neque in quibusdā codicibus Latinis, ut testatur Erasmus. Sed est tamen apud Nonnum, & apud Augustinum; & omnes ita intelligunt *scrutandas* esse *Scripturas*.

A Galilæa non surgit Propheta.] In Graecis codicibus est, *surrexit*; sed Nonnus in præsenti legit *suscitatur*, & sanè optimè: nam aptior, & commodior videtur argumentatio, si legatur *surgit*, quam si legatur, *surrexit*: nam si dicant; *A Galilæa Propheta non surrexit*; poterit respōderi, non surrexit hactenus, sed modò *surgit*, aut *surgent* postea: sed cùm di-cunt *non surgit*, illud tempus præsens omnes temporis differentias cō-prehendit; quasi diceretur, nō est Galilæa apta Prophetis, non fert Pro-phetas; quam proprietatem adnotauimus c. 1. in illis verbis, *Ecce, qui tollit peccata mundi*. Ita nos dicimus: *Ex hac urbe, vel ex hac prouincia non prodeunt Poëta, aut Philosophi*, atque ita omnes loquuntur, tam Græci quam Latini, ut Virgilius in principio Georgicorum:

Hic segetes, illic veniunt felicius vna, &c.

Hoc est autē, quod dicunt in *Scriptura*; nō videmus ullum Prophetam *ex Galilæa extitisse, aut imposterum promittit*: ex quo intelliges, non surge-re Prophetam à Galilæa; cur igitur vis hunc, ut Prophetam recipi? Sed responderet Lyra, falsum esse, quod isti dicunt; quoniam ex Galilæa Debora Prophetis, & Eliseus, & Tobias. Respondebitur; Tobiā nō fuisse re-sceptū ab Hebræis, ut Prophetā. Debora autē potius colligitur non fuis-se ex Galilæa, ex Iudi. 4. Eliseus etiam fuit ex Abelmeula, 3. Reg. 19.

*Debora,
Ge. ex Ga-
litæa.*

Ribera in Euang. Ioan.

Cc quæ

quæ ciuitas non pertinet ad Galilæam, sed ad Samariam; est enim in forte dimidiat Tribus Manasse, quæ erat citra Iordanem, ut ait Montanus in libello de terræ promissa partitione. Atque hæc quidem diximus securi communem sententiam, quæ Prophetam hic accipit pro quo quis Propheta: nam mihi valde probabile est, illos non loqui nisi de Propheta illo, in lege promisso, qui nasciturus erat in Bethleem. Pater: nam ipsi aiunt; *numquid ex Principibus aliquis credit in eum, aut ex Pharisais?* Sed turba hæc, quæ non nouit legem: credere autem in illum, de Messia dicitur; non de aliis Prophetis: ergo de Messia loquuntur. Præterea, turba, quam ipsi reprehendunt, dicebat illum esse: Messiam: dicebant enim, *hic est verè Propheta, hic est Christus.* Reprehenditur autem Nicodemus, quod cum doctus sit, assentiatur turbæ imperitæ. Neque obstat, quod sine articulo ponitur Propheta: Aliquando enim ponitur nomen sine articulo, & idem valet, ac si cum articulo poneretur, ut ostendimus c. i. in illis verbis, *Et Deus erat Verbum.* Cæterum verbum *surgendi* iuxta phrasim Scripturæ de Prophetis, & magnis viris dicitur, Deutero. 13. *Si surrexerit in medio tui Propheta.* Eccl. 48. *Et surrexit Elias Propheta quasi ignis:* Matth. 11. *Internatos mulierum non surrexit maior Joanne Baptista.*

Et reuersi sunt unusquisque in domum suam.] Tantum valuit Nicodemii authoritas, ut iniquum eorum consilium tunc quidem impedierit, ac dissoluerit.

S A N C T U M



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T VIII.

1. **E**SVS autem perrexit in montem Oliveti : 2. Et diluculo iterum venit in templum, & omnis populus venit ad eum, & sedens docebat eos. 3. Adducunt autem scribæ, & pharisei mulierem in adulterio deprehensam: & statuerunt eam in medio, 4. Et dixerunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio. 5. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicas? 6. Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. 7. Cum ergo persecuerarent interrogantes eum, erexit se, & dixit eis: Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 8. Et iterum se inclinans, scribebat in terra. 9. Audientes autem unus post unum exibant, incipientes a senioribus: & remansit solus Iesus, & mulier in medio stans. 10. Erigens autem se Iesus, dixit ei: Mulier, ubi sunt, qui te accusabant? nemo te condemnauit? 11. Quæ dixit: Nemo, Domine. Dixit autem Iesus; Nec ego te condemnabo. Vade, & iam amplius noli peccare. 12. Iterum ergo locutus est eis Iesus, dicens: Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. 13. Dixerunt ergo ei pharisei: Tu de te ipso testimonium perhibes: testimonium tuum non est verum. 14. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est testimonium meum: quia scio unde veni, & quo vado: vos autem nescitis unde venio, aut quo vado. 15. Vos secundum carnem iudicatis: ego non iudico quemquam: 16. Et si iudico ego, iudicium meum verum est, quia solus non sum; sed ego, & qui misit me, Pater. 17. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. 18. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pa-

ter. 19. Dicebant ergo ei : Vbi est Pater tuus ? Respondit Iesus : Neque me scitis , neque Patrem meum : si me sciretis , forsitan & Patrem meum sciretis . 20. Hac verba locutus est Iesus in gazophylacio , docens in templo : & nemo apprehendit eum , quia needum venerat hora eius . 21. Dixit ergo iterum eis Iesus : Ego vado , & quaretis me , & in peccato vestro moriemini . Quò ego vado , vos non potestis venire . 22. Dicebant ergo Iudei : Numquid interficiet semetipsum , quia dixit : Quò ego vado , vos non potestis venire ? 23. Et dicebat eis : Vos de deorsum estis , ego de supernis sum . Vos de mundo hoc estis , ego non sum de hoc mundo . 24. Dixi ergo vobis , quia moriemini in peccatis vestris : si enim non credideritis quia ego sum , moriemini in peccato vestro . 25. Dicebant ergo eis : Tu quis es ? Dixit eis Iesus : Principium , qui & loquor vobis . 26. Multa habeo de vobis loqui , & iudicare , sed qui me misit , verax est : & ego que audiui ab eo , hæc loquor in mundo . 27. Et non cognoverunt , quia Patrem eius dicebat Deum . 28. Dixit ergo eis Iesus : Cum exaltaueritis Filium hominis , tunc cognoscetis quia ego sum , & à meipso facio nihil , sed sicut docuit me Pater , hæc loquor : 29. Et qui me misit , mecum est , & non reliquit me solum : quia ego , que placita sunt ei , facio semper . 30. Hæc illo loquente , multi crediderunt in eum . 31. Dicebat ergo Iesus ad eos , qui crediderunt ei , Iudeos : Si vos manseritis in sermone meo , verè discipuli mei eritis : 32. Et cognoscetis veritatem , & veritas liberabit vos . 33. Responderunt ei : Semen Abrahæ sumus , & nemini seruiuimus umquam , quomodo tu dicis : Liberi eritis ? 34. Respondit eis Iesus : Amen , amen dico vobis : quia omnis qui facit peccatum , seruus est peccati . 35. Seruus autem non manet in domo in aeternum , filius autem manet in aeternum . 36. Si ergo vos filius liberauerit , verè liberi eritis . 37. Scio quia filij Abrahæ estis : sed queritis me interficere , quia sermo meus non capit in vobis . 38. Ego quod vidi apud Patrem meum , loquor : & vos qua vidistis apud patrem vestrum , facitis . 39. Responderunt , & dixerunt ei : Pater noster Abraham est . Dicit eis Iesus : Si filij Abrahæ estis , opera Abrahæ facite . 40. Nunc autem queritis me interficere , hominem , qui veritatem vobis locutus sum , quam audiui à Deo : hoc Abraham non fecit . 41. Vos facitis opera patris vestri . Dixerunt itaque ei : Nos ex fornicatione non sumus nati : unum patrem habemus Deum . 42. Dixit ergo Iesus : Si Deus pater vester esset , diligenteris utique me : ego enim ex

Deo

Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.
43. Quare loquela meam non cognoscitis? Quia non potestis audi-
re sermonem meum. 44. Vos ex patre diabolo estis, & desideria
patris vestri vultus facere. Ille homicida erat ab initio, & in verita-
te non stetit: quia non est veritas in eo, cum loquitur mendacium, ex
propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius. 45. Ego autem
si veritatem dico, non creditis mihi. 46. Quis ex vobis arguet me
de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? 47.
Qui ex Deo est, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia
ex Deo non estis. 48. Responderunt ergo Iudei, & dixerunt ei:
Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium ha-
bes? 49. Respondit Iesus: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico
Patrem meum, & vos in honora stis me. 50. Ego autem non quero
gloriam meam: est qui querat, & iudicet. 51. Amen, amen dico
vobis: si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in
eternum. 52. Dixerunt ergo Iudei: Nunc cognouimus quia dæmo-
nium habes. Abraham mortuus est, & Prophetæ: & tu dicis: Si
quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in eternum.
53. Numquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus
est? & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis? 54. Respon-
dit Iesus: Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est: est Pater
meus, qui glorificat me, quem vos dicitis quia Deus vester est. 55.
Et non cognouistis eum: ego autem noui eum: Et si dixero quia non
scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem
eius seruo. 56. Abraham pater vester exultauit, vt videret diem
meum: vidit, & gauisus est. 57. Dixerunt ergo Iudei ad eum:
Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? 58.
Dixit eis Iesus: Amen, amen dico vobis, antequam Abraham fie-
ret, ego sum. 59. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Iesus
autem abscondit se, & exiuit de templo.

I N C A P V T VIII. S A N C T I
IESV CHRISTI EVANGELII
S E C V N D V M I O A N N E M,

C O M M E N T A R I A.

*Adultera
historia an
authentica,
& Canonis
ca.*

*Est verè
authentica,
& quibus
rationibus
conuinca-
tur.*

I Es v s autem perrexit.] Hæc omnia à fine cap. 7. vbi ait, *Et reuersi sunt, vsque ad illud; Ego sum lux mundi;* Caietanus testatur non esse ita authentica; quoniam licet Euangelium Ioannis authenticum sit, non tamen constat hanc esse partem huius Euangelij. Probat ex Hieronymo lib. 2. aduersus Pelagianos, vbi ait, hanc historiam Adulteræ non inueniri in multis Græcis, & Latinis codicibus: atque inde colligit Caietanus, non esse omnino authenticam; quoniam si esset, inueniretur in omnibus. Euthymius etiam docet, hæc in exactioribus exemplaribus Græcis, aut omnino non inueniri, aut obelo confossa esse, eò quod illegitima videantur: huiusque argumentum esse, quod nullus veterum ea sit interpretatus. Vnde nec apud Chrysostomum inueniuntur, nec apud Theophylactum, nec apud Nonum, nec apud cæteros Græcos. Ideò Anabaptistæ negant historiam Adulteræ canonicanam esse, aut pertinere ad Euangelium Ioannis; sed esse desumptam ex Euangelio Iudeorum apocrypho, ut ex verbis Papie Episcopi vicini Apostolorum temporis intelligitur: quæ referuntur ab Eusebio lib. 3. histor. Eccles. c. vlt. quorum errorem refert, & impugnat Sixtus Senensis lib. 7. Biblioth. hærel. 5. in 4. obiectione. At vero iam minimè licet dubitare de authoritate huius historiæ: esset enim periculosissimus error. Primo, quoniam Ecclesia Catholica proponit eam in quadragesima quasi Euangelium Ioannis, nec potuit in re tanta decipi. Aut si in hoc Euangelio decepta est, similiter potuit & in cæteris decipi. Deinde, quoniam extat Concilij Tridentini Decretum sess. 4. quod anathema pronuntiat esse eum, qui libros canonicos non receperit, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueuerint, & in Vulgata Latina editione habentur. Quamobrem non solum confidendum est, hanc historiam esse Canonicam; sed etiam esse partem Euangelij à Ioanne conscripti, quoniam Ecclesia proponit eam nobis, non solum ut Scripturam Canonicam, sed etiam ut Euangelium Ioannis, & ita habet Vulgata Editio. Ex quo patet; non esse ferendum, quod Erasmus scribit, & eum secutus Iansenius cap. 76. hanc historiam non esse principiò à Ioanne scriptam, sed vel ex apocrypho Euangelio additam, autoritatemque obtinuisse ex consensu Ecclesiæ; vel Ioannem post semel à se descriptum Euangelium, adiecisse eam: & ideo contigisse,

contigisse, ut in quibusdam Græcis codicibus haberetur, & non in aliis: quamvis Sextus lib. 1. Biblioth. cap. 22. affirmat, quosdam ex vetustioribus sensisse desumptam fuisse ex illo Euangelio apochrypho. Probatur hoc non posse dici: si enim ab alio quoquam huc transfata est ex Euangelio Hebræorum: non est ergo scripta à Ioanne, & ita Ecclesia deciperet nos cùm Euangelium Ioannis se proponere nobis testatur; immò nec erit Canonica, quoniam non est dictata à Spiritu sancto, cùm liber ille non sit Canonicus: non potest autem Ecclesia facere, ut sit Scriptura Canonica, quæ non est dictata à Spiritu sancto. Si autem ab ipso Ioanne desumpta est, cùm scribebat, ut concedit Sextus Senensis lib. 7. Biblioth. hæres. 5. profectò indignum est Canonicum scriptorem historiam ex apocryphis libris emendare: si verò postquam scripsit, hoc fecit, ut ait Iansenius; aut fecit id spiritu humano, & tunc non erit Canonica; aut Spiritu diuino, & tunc quæram, cur non hoc illi dictauerit Spiritus Dei, cùm primo scribebat? Concedetur etiam sine causa bis habuisse Ioannem revelationem ad scribendum Euangelium. Sciendum est igitur, Erasmus, Iansenium, Sixtum, & alios dupliciter in hac re deceptos fuisse. Primò, quia nullo modo sequitur, hæc historia scripta est in Euangelio Hebræorum, ergo inde desumpta est: apocrypha enim Euangelia conueniebant in multis cum verbis Euangeliis. Secundò, quoniam nullo ex authore constat, fuisse eam in Euangelio Hebræorum, nec Papias hoc dixit: nam licet apud Eusebium loco citato legerint ipsi hæc verba simul, & historiam quamdam de muliere adultera, quæ accusata est à Ludæis apud Dominum; & licet ita habeatur in translatione Rufini: tamen apud Eusebium in Græco, & in versione Musculi alter habetur: ita enim ait de Papia loquens, *Exposuit autem & aliam quamdam historiam de muliere, que multorum peccatorum gratia fuerit apud Dominum accusata: hoc autem non potest probari esse, quæ narratur hic à Ioanne: præterea quod dicunt hanc historiam non esse apud veteres, falsum est, quoniam Hieronymi tempore legebatur in multis Græcis, & Latinis codicibus, ut ipsi confitentur.* Imò verò Hieronymum adducunt contra suam ipsius sententiam: ipse enim adducit hanc historiam ad confirmationem suæ sententiæ, atque interpretatur, & ut probet esse authenticam, dicit in multis codicibus tam Græcis, quam Latinis legi. Idem facit Psal. 44. in illis verbis, *Propter veritatem, & mansuetudinem.* Deinde Chrysostomus hom. 6. in Ioannem citat eam ut Euangelicam. Augustinus hic eam exponit ut reliquum Euangelium. Ambrosius epistola 58. ad studium similiter eam refert, & exponit, ut partem Euangeli, & epist. 76. ad eundem in principio ita ait, *Ac semper quidem decantata quæstio, & celebris absolutio fuit mulieris eius, quæ in libro Euangeli, quod secundum Ioannem scribitur: Adulterij rea oblata Christo est.* Et Sedulius, qui iuxta Titemium claruit sub Theodosio Imperatore anno Domini 430, lib. 4. operis paschalis hanc inter alias historias Euangelicas elegantibus versibus refert. Iratus Clarus Hispanus lib.

*Scriptura
non potest
esse Canonica,
qua non
est dictata à
Spiritu san-
cto.*

*Apocrypha
Euangelia
in multi
convenie-
bant cum
verbis.*

contra Barimandum in fine in 6. Tomo Biblioth. Sanctorum , citat eam vt Euangelicam. Denique consensus Latinorum patrum ad præsens vsque tempus eamdem illi semper authoritatem detulit , quam cæteris Euangelij verbis. Postremò probatur ex contextu apertissimo horum verborum, cum præcedentibus & sequentibus : *Illi enim reuersi sunt in domos suas , Christus autem abiit statim in montem Oliueti , & manè loquebatur eis in templo.* Deinde dicit , uerum ergo loquutus est eis Iesus , quod non recte cohærebat cum præcedentibus , nisi semel eis iam loquitus fuisset , cùm adduxerunt ad eum adulteram.

In montem Oliueti.] Mons Oliueti , aut Oliuarum , vt est in Græco , est prope Ierusalem ad Orientem , inter Vrbem ipsam , & Bethaniam , incipitque statim post transitum torrentis Edron . Solebat autem Dominus noctu in hunc montem secedere orationis causa ; & etiam , vt ait S. Thomas , & alij , vt maneret in domo Marthæ , & Marie : erat autem Bethania sita in latere montis Oliueri.

In lege autem.] Omnes citant verba Leu. 20. aut Deuter. 22. sed ibi lex iubet tam adulterum , quam adulteram interfici : nihil tamen de lapidatione dicit. Abulensis super Leu. c. 20. quæst. 3. dicit , hic non exprimi genus mortis ; sed esse tamen lapidationem , qua posita est in principio eiusdem capititis , & in fine : & ita extendenda est ad adulteros. Probaturque ex hoc , quod modò Iudæi dicunt , & ex Dan. 13. vbi Susanna tamquam adultera producebatur lapidanda , atque ita argumentatur : hoc ex nullo alio librorum Moysi potest colligi : ergo colligitur ex isto ; & ita est iste locus intelligendus. Argumentatur etiam ex Deut. 22. vbi sponsa iubebatur lapidari ; ergo multo magis nupra. Mihi videtur , quamvis lex id non dicat expreſſè , consuetudinem esse legis interpretem , atque ex ea probari ita Moysen intellexisse.

Tentatis eum.] Quoniam sciebant Dominum esse valde misericordem , vt aiunt Augustinus , & Chrysostomus , nec passurum , vt mulier lapidaretur , atque ita accusaretur ipse , vt transgressor legis ; aut certè , si inberet lapidari , accusaretur crudelitatis , & contra propositum suum facere videretur , dicebat se venisse , non vt iudicarentur homines per ipsum , sed vt salvi fierent.

Quid , & cur scripserit Christus in terra. *Digito scribebat in terram.] De his Sixtus lib. 2. Biblioth. verbo , Iesu Christi digitæ scriptura. Quid scripserit , & cur scripserit , meritò quæritur. Prius incertum est , ideoquene variæ sunt ea de re patrum sententiæ. Hieron.lib. 2. contra Pelagium statim post medium ait ; *Digito scribebat in terra , eorum videlicet , qui accusabant , & omnium peccata mortalium secundum quod scriptum est in Propheta , relinquentes autem te in terra scribentur.* Quibus verbis videtur mihi significare non quid scripserit , sed cur scripserit : id est , scriptione illa significasse eos , qui aderat , peccatores esse , & Dominum reliquisse ; ideoque misericordia eius indigere , quam vt impetrarent , debere sua peccata recognoscere , & aliena relinquere , atque condonare. Ambrosius epist. 58. *Quid scribebat , nisi illud propheticum : Terra , terra , scribe hos viros abdicatos.* *Quod de Ieconia lectum est in Ieremias**

temia Propheta c. 12. in fine ; & epist. 76. ait ; *Et scribebat in terra quidem Vtique dicens ; Festucam, quia in oculo fratris tui est, vides ; trahem autem, quae in oculo tuo est, non vides.* Peccatores in terra scribuntur, iusti in celo, sicut habes dictum ad discipulos ; *Gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in celis.* Quod similiter intelligendum est : indicat enim, non quid scripsiterit, sed quid significauerit scribendo. Idem dicit Augustinus 4. de Consensu Euang. c. vlt. & omnes alludunt ad illud Hier. 17. *Omnes qui te dereliquerunt confundentur, recedentes a te in terra scribentur.* Secundam rationem ibidem addit Augustinus ; *Significabat se signa facere in terra humiliando se, quod capitum inclinatione monstrabat.* Tertiam ibi & hic tractatu 33. *Vt significaret se eundem esse, qui legem veterem digitum scriperat in tabulis lapideis, tempisque esse iam, ut lex sua non in lapide sterili sicut ante scriberetur ; sed in terra, quae fructum daret, ut videlicet desinerent iam duri esse, & fructum ferrent misericordia.* S. Thomas dicit, scripsisse eadem verba, quae protulit ; *qui sine peccato est, &c.* licet hoc certum non sit. Euthymius autem dicit, eos, qui respondere nolunt importuna, indignaque rogantibus, frequenter in terra scribere solere, quasi significantes se non attendere iis, quae dicuntur : idque etiam Dominum fecisse. Idem aiunt Montanus, & Iansenius, cap. 76. sed addunt ostendisse, non ad se pertinere illud iudicium ; unde in non-nullis Græcis codicibus postquam dictum est : *Scribebat in terra, additur, non sibi vendicans, scilicet iudicium illud, id est, nolens sibi sumere, & vendicare illam causam, & ideo ipsi perseverabant interrogantes.*

Ex his omnibus videtur colligi, Dominum non scripsisse notas aliquid significantes : quod mihi valde probabile videtur : nam ab iis, qui dicunt, literas significantes fuisse ; queremus unde id scire possint ? Quæremus, quid scripsiterit, cum secundò scripsit ? Omnes ergo rationes adductæ recipienda sunt, præsertim prima, & ultima simul iunctæ, ut iunguntur à Montano. Itaque nolebat ipse iudicare, sed illis ipsis ex conscientiis suis rem iudicandam relinquebat : quasi diceret (vt ait Augustinus) punienda est illa ; sed non à puniendis. Considerate vos metipos, & aut illam dimittite, aut simul cum illa legis poenam subite : *in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas*, Rom. 2. His addere possumus aliam rationem Bedæ, quæ ferè est eadem cum prima, per inclinationem humilitas intelligitur : per *digitum* subtilitas discretionis, & examiniis : nam digitus articulorum compositione flexibilis est, & eo res singulas discernimus, & indicamus : per *terram* significatur cor humanum, quod bonos, vel malos fructus ferre potest. Antè ergo quām Dominus respondeat, scribit in terra, instituens nos, ut cum proximorum errata conspicimus, non antè reprehendendo iudicemus, quām ad conscientiam nostram humiliter reuersti, diligenter excutiamus, quid in ea Deo placeat, aut displiceat, & quales nos simus, iuxta illud Gal. 6. *Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris.*

Ribera in Euang. Ioan.

D d

Qui

Qui sine peccato est vestrum.] Dupliciter intelligi possunt hæc verba, qui modò purus est à peccato, vel qui peccare non potest. Primus sensus conuenit rectè in illos: verisimile enim est neminem illorum tunc fuisse sine peccato. Secundus conuenit in omnes: omnes enim licet aliquando puri sint ab omni peccato, peccare tamen possunt, & necessitatibus peccandi subiacent, saltem venialiter. Est ergo æquum, vt qui aliorum peccata considerat, quæ ipse numquam admisit, recordetur se non esse impeccabilem; sed posse cädere perpetrare; & hic sermo est optimus. *Quod ut rectè intelligatur, notandum est, aliquando in Scriptura præsens tempus potentialiter sumi; id est, non solum significare, quod tunc est, sed etiam quod esse potest, vt Malach. 3. Ego enim Dominus, & non mutor.* Ad Titum 1. *Quam promisisti, qui non merititur Deus.* Ita intelligitur illud 1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus;* & Prover. 20. *Quis potest dicere, mundum est cor meum, purum sum à peccato?* Ita igitur dicit modò, qui sine peccato est, idque ex Græco intelligitur: nam vbi habemus, qui sine peccato est, totum id explicatur hoc nomine ἀναμέτρητος: quod significat, & eum, qui est sine peccato, & eum, qui est impeccabilis; utrumque docet Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, vbi dicit proprium esse solius Dei ἀναμέτρητος esse; id est, impeccabilem. Et Plato lib. 1. de Rep. inquit, *utrum principes ἀναμέτρητοι sunt, an potentes peccare?* Denique omnia nomina Græca deducta à præteritis passiuis, habent eamdem significationem, quam apud nos verbalia in *bilis*: & ita passim vtitur noster Interpres; quamuis interdum propter similitudinem, quam habent hæc nomina cum nostris participiis passiuis, solet Interpres vti, quasi ad imitationem Græcorū loquens, participiis passiuis, sed habentibus tamen eamdem significationem, quam nomina in *bilis*; ut videre licet in illis verbis 1. Petri 1. *in hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem.* & Hebr. 6. *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad ducendum.* 1. Corinth. 9. *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipient, nos autem ut incorruptam.*

Et iterum se inclinans scribebat in terram.] Omnes dicunt, hoc fecisse, vt locum illis præberet abeundi sine pudore: vertit enim se ad scribendum, quasi non attendens ipsos, nec aspiciens quid facerent. Ita Hieron. lib. 2. contra Pelagianos, & Euthymius, & Augustinus, & S. Thomas, & Recentiores. Ex quo magis probatur, quod diximus, in priori scriptione, non scripsisse literas aliquid significantes, & voluisse significare, non attendere se, quæ dicebantur: quare videtur, mihi secundò scripsisse, vt confirmaret rationes, quas adduximus, & quasi dicere volens, dixi vobis, quod mihi videbatur. Aliud dicere non pertinet ad me, nec aliud à me expectatis responsum. Iuxta Bedam etiam postquam alios reprehendimus, debemus nos ipsos excutere, ne illis, quæ reprehendimus, aut aliis quibuslibet simus facinoribus irretiti, & inclinemus nos deorsum; id est,

Debemus nos ipsos excutere postquam alios reprehenderimus.

id est , quām deiecti ex nostræ conditionis fragilitate simus , si non nos diuina pietas sustentet , humiliter inspiciamus .

Audientes autem hac.] In Græco est , *audientes autem & à conscientia redarguti . Quod additum videtur ab aliquo explicationis causa , & à margine translatum in contextum ; sed tamen vera est explicatio .*

Vnus post unum .] Quod est paulatim , & cum hæsitatione quadam , & cum pudore , recedentium .

Incipientes à senioribus .] Ambrosius epist. 58. vel quod ipsi plura haberent crimina , qui diu vixerant , vel quia priores vim intellexerunt sententiæ , quasi prudentiores : & cœperunt sua magis peccata deflere , qui alieni criminis venerant accusatores .

Neque ego te condemnabo .] Ostendit misericordiam in mulierem ; & tamen cùm fauet mulieri , non fauet peccato : ideo addit , noli amplius peccare . Quod notauit Augustinus , Beda , & alij . De sensu spirituali huius historiæ vide Ambrosium epist. 76. & Rupertum .

Ego sum lux mundi .] Quoniam variabat opinio hominum de Christo , & quidam dicebant esse Prophetam , aut Christum , alij seductorem esse turbarum , Pharisæi verò negabant esse Prophetam , palam eis aperit quis sit . de his verbis vide cap. 1. *Erat lux vera , &c . & vita erat lux hominum .*

Lumen vite .] Quo in æternam vitam perueniat , vt cap. 6. *verba vi-
tae eterna habes .*

Quia scio unde venio , aut quo vado .] Id est , scio me missum esse de cælo à Patre , & iterum ad eum peracta hominum redemptio- ne redditurus sum , & ideo verum est testimonium meum , quia omnia loquor , & facio iuxta præscriptum eius qui me misit , & ad quem re- diturus sum .

Vos secundum carnem iudicatis , ego non iudico quemquam .] Id est , carnali , & humano iudicio iudicatis , neque quidquam , nisi quod sensibus apparet , intelligere vultis , & ita de me malè iudicatis , & quia me in carne videtis , hominem purum putatis inani gloriae , atque aliis affectibus subiacentem vt vos ; & hoc est quod paulo antè di- xit , *nolite secundum faciem iudicare ;* quoniam autem illi dicere poterant , si iniuste iudicamus , quid nos non arguis , & condemnas . Re- spondet ; Ego modò non iudico , non enim veni vt iudicetur mun- dus , sed vt saluetur , si tamen vellem iudicare , ex numero damnato- rum essetis , & verum esset iudicium meum , neque esset secundum carnem vt vestrum , quia ego omnia iudico quemadmodum Pater meus vult iudicari , & vt ipse iudicat . ita Chrysostomus homil. 51. & Theophylactus , & Euthymius .

Quia in lege vestra scriptum , &c .] Citatur illud Deuter. 17. & 19. *In ore duorum vel trium testimoniū stabit omne verbum .* Vult au- tem probare verum esse , quod de seipso dixit , quandoquidem ipse & Pater idem testantur . *Quomodo autem id te-
status sit Pater , docuit cap. 5. Ego testimonium habeo maius Ioannem .*

Iansenius
reprobatur.

& est hic locus valde notandus ad probandam distinctionem diuinorum personarum contra Sabellium. Quare non probo, quod ait Iansenius cap.77. Christum quatenus Deus est reddere testimonium de se quatenus est homo, quasi quodammodo alius sit à se homine: nam cùm iste locus proberet distinctionem personæ Patris à filio, si ita intelligeretur, vt ait Iansenius, videretur ponere in filio duas personas. Est ergo Iesus, Pater est una persona, ego Deus & homo altera, & ita habetis testimonium duorum: nam quòd se Christus in testimonium præferat quasi unam personam tantum, patet ex præcedentibus, *Iudicium meum verum est, quia solus non sum, sed ego, & qui misit me Pater*, atque hoc ad legem satis erat, quæ tantum exigebat testimonium duorum.

Neque me scitis.] Cap.7. dixit, *Et me scitis, & unde sim scitis;* sed ibi loquebatur de origine sua secundum humanitatem, nunc loquitur de sua diuinitate: nec respondet eis apertius, quoniam malitiosè interrogabant, vt calumniarentur eum, & quia iam sèpe id dixerat, & ipsi intellexerant, vt vidimus cap.5.

Forsan & Patrem meum sciretis.] Quia eiusdem naturæ sumus. Ioan. 14. *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* De, forsan, vide quæ notauimus cap.5. in fine.

Gazophylacium ubi possumus.

Gazophylacium quid.

Hac verba locutus est Iesus in gazophylacio.] Quasi dicat, hæc loquutus est in conspectu omnium sacerdotum, & Pharisæorum in templo ipso sedens, & more magistri, cum autoritate, & libertate loquens; & tamen qui antea sollicitè eum quærebant ut interficerent, ne attingere quidem ausi sunt, quia ipse nollebat apprehendi, aut attingi, quia nondum illa hora venerat, quam ipse cum Patre suo ab æterno præstiterat morti suæ. quibus verbis ostendit suam diuinitatem, & voluntariè passum fuisse. Porro gazophylacium erat ad portam Orientalem atrij fœminarum, in quod votiva pecunia pro arbitrio offerentium coniiciebatur: nam fuisse in loco ad quem accedere mulieres possent, constat ex Lucæ 21. *Vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium diuites: vidit autem & quandam viduam pauperculam, mittentem era minuta duo.* Admonet autem Beda Marc. 12. in illis verbis contra gazophylacium: hoc nomen dici à γελα, quod lingua Persica significat diuitias; & εὐάθω, quod Græcè est custodio, significareque locum in quo diuitiae seruantur, quo nomine, inquit, & arcam, in qua donaria populi congregabantur ad usus templi necessarios, & porticus, in quibus seruabantur, appellabant. Primo modo capitul 4. Reg. 12. & Marc. 12. & Luca 21. secundo verò modo capitul Ioan. 8. Est ergo in gazophylacio, in loco in quo pecuniae templi seruabantur, siue in portico illa, & ita omnino intellexit Nonnus.

Dixit ergo iterum.] Iam enim semel dixerat hæc verba cap.7. vbi illa exposuimus.

In peccato vestro moriemini.] Quæritis me cùm prememini obsidione Roma

Romanorum, sed ego vos non liberabo, atque ita moriemini in peccato infidelitatis vestrae. Ita exponit paulo post: si enim non credideritis, quia ego sum, in peccato vestro moriemini. De hoc peccato dicit c. 15. *Si non venissent, & loquuntur eis non fuissim, peccatum non haberent, &c.* & quoniam cum peccato infidelitatis necessitate est plura esse peccata; ideo in hoc 2. loco legit Chrysostomus, *in peccatis vestris moriemini*, & ita habent codices Graeci: sed probabilior est nostra lectio, tantum enim repetit Dominus, quae prius dixerat, licet etiam multi codices Latini habeant in secundo loco, *in peccatis vestris*.

Vos de deorsum estis.] Ita legendum est, non, ut habent quidam codices, *deorsum*: nam antiquiores quidam codices ita habent, ut ait Titelmanus, id est, quemadmodum ex terra trahitis originem, ita terrena sapitis, & mundani estis, ac nihil celeste cogitatis, ut ego cogito; propterea me oditis, & permanetis semper in vestra infidelitate, cum sitis tam dissimiles mei, & me recipere recusetis, ne peccata vestra relinquere cogamini. Atque ita in peccato vestro moriemini: nam calamitatem a Romanis inueniendam non potestis vitare nisi credatis in me, & conuertamini, & longe abestis in credendo, implicati carnalibus, & mundanis cupiditatibus: credere autem debetis, quia ego sum, id est, dignitatem meam quam aequalis sum Patri, qui dixit Exod. 3. *Ego sum qui sum, & qui est misit me ad vos.*

Tu quis es.] Quoniam dixit, quia ego sum, nec aliquid propterea addidit, querit, ut magis explicet quis sit.

Principium, qui & loquor vobis.] His verbis solent Theologi vti, ut probent Christum esse Deum principiumque omnium creaturarum. Sed Erasmus & Titelmanus, & Iansenius, qui c. 77. utriusque verba transcripsit, & Caetanus, Isidorus Clarius, & Gagneius negant ullo modo posse locum ita intelligi, quoniam in Graeco *principium* non est nominatiui casus, sed accusatiui. Deinde ubi habemus, *quis*, in Graeco est *οτι*, id est, *quod*, vel *quia*. Itaque illud, *quod*, non potest esse relatum principij, quoniam principium apud Graecos est feminini generis, nec potest esse relatum Christi, quoniam *ο*, *η* est neutrius generis. Accedit consensus Graecorum, qui longe aliter intelligunt. nam Chrysostomus hom. 52. & Theophylactus & Euthymius accipiunt illud quod est in Graeco *τι λέγεται*, pro quo nos habemus, *principium*, aduerbialiter, ut idem sit quod omnino, aut in primis, aut quantum ad primum, quomodo capi apud Graecos probat Erasmus ex verbis Nazianzeni, & Galieni, ut sit sensus, in primis quod & loquar vobis, scilicet indigni estis, quia semper verba mea calumniamini, & de his omnibus reprehendere vos possem, & ideo ait, *multa habeo de vobis loqui, &c.* diximus autem *loquar*, quoniā verbum Graecum *λαλω*, pro quo nos habemus *loquor*, potest etiam esse subiunctiui modi. Iste sensus profectò valde durus est: sed quos alij adhibent, nihilo sunt moliores. Nam Nonnus ita scripsit, *Tu quis es?* & Christus respondit, *quod quidem volens ab initio dixi, habens innumera iudicare & loqui.* Titelmanus vero &

Montanus & Gagneius ita, *id quod à principio vobis loquor, id sum.* Iansenius c. 77. dicit hunc sensum videri sibi omnium conuenientissimum, *omnino sic est ut & loquor vobis;* quod dictum est propter illa verba, quae sequuntur, *in peccato vestro moriemini.* addidit, *multa habeo de vobis loqui & indicare.* Caietanus ita putat esse legendum: *In primis, quia & loquor vobis, multa habeo de vobis loqui & indicare,* id est, quia ego prædico vobis doctrinam salutarem, ideo possum de vobis multa loqui, testificando iniurias, quas mihi infertis, & indicare damnando vos. Ex his sequitur iuxta istorum autorum sententiam malè transtulisse nostrum interpretem, & bis errasse, primò quod vertit, *principium,* deinde quod voluit finiri sententiam in illis verbis, *loquor vobis:* nec ullum inuenire potui, qui nostram translationem defendat. Augustinus tamen & Beda, quos sequitur Joan. Arboreus, vindicatur illam defendere. Ita enim interpretantur, non dicit principium, scilicet sum, vider enim Augustinus principium esse accusatiui casus apud Græcos; sed principium, scilicet me credite, velut si veller dicere se esse veritatem, & rogantibus, *Tu quis es,* responderet, *veritatem;* dixerat enim, *nisi audieritis quia ego sum,* & quasi Iudei dicerent; *Quid te esse credemus?* responderet, principium, me credite: & addidit, *qui & loquor vobis.* qui, id est, quia humilis factus propter vos ad ista verba descendit: nam si principium sicuti est, ita maneret apud Patrem, neque homo factus esset, & vt homo hominibus loqueretur, quomodo ei crederent, cum infima corda intelligibile verbum sine sensibili voce audire non possent. Eodem ferè modo intellexit Pagninus, qui vertit principium, & per parenthesim interponit (*modico*) & statim, *quia & loquor vobis.* Ista expositio, quæ asserit Christum hoc loco dici principium, quia creator est omnium rerum simul cum Patre, sine dubio recipienda est, est enim antiquissima in Ecclesia. Ita exponit Ambrosius lib. 3. de fide c. 4. & lib. 1. in hexaemeron, c. 2. & 4. & Augustinus non hic tantum in commentariis, sed multis præterea in locis, vt lib. 11. confessionum, c. 8. & lib. 1. de Genes. contra Manichæos, c. 2. & in lib. imperfecto de Genes. ad litteram, cap. 3. & lib. 1. de Genes. ad litteram, c. 5. & lib. 5. de Trinitate c. 13. & lib. 11. de Civitate c. 32. & lib. 1. contra aduersarium legis & Prophetarum c. 3. Beata hic. Bernardus lib. 5. de consideratione, paulo ante medium. Ruperthus, S. Thomas, Lyra, & Glossa interlinealis, & ex recentioribus Pagninus, & Arboreus, vt diximus, & Clitouæus lib. 5. in Ioan. c. 23. in iis libris quos addidit Cyrillo. Ex his colligimus nonnulla, primò hic locum ita fuisse in veteri translatione antequam à Hieronymo corrigeretur, quod patet ex locis Ambrosij: secundò hunc locum non fuisse mutatum aut correctum, vt patet ex locis Aug. qui usus est translatione noui Testamenti, à Hieronymo correcta, vt patet ex eius epistolis ad Hieronymum: tertio, hanc lectionem nostram semper fuisse seruatā in Ecclesia Latina, vt patet ex cæteris auctoribus citatis. Ex his sequitur apertissimè antiquissimos codices Græcos ante tempora Christi, & etiam

etiam tempore Hieronymi, qui emendatores erant, ita habuisse, ut & nos habemus, alioqui Hieron. correxisset; ait enim in prologo Evangeliorum ad Damasum, *Hec præsens prefatiuncula tātū pollicetur quatuor Euangelia codicū Gracorum emendata collatione;* sed veterum, quæ ne multū à lectionis Latina consuetudine discrepant, ita calamo temperauimus, ut sis tantum quæ sensum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant. Cum igitur hoc verum sit, constat hanc nostram lectionē amplectendā esse, quam semper amplexa est Ecclesia Romana, penes quam ut veritas fidei mansit incorrupta, ita etiam Scriptura, qua fides hæc continetur, semper mansit integra, & incorrupta, ut ait Titelmanus in prologo apologetico pro interprete noui Testamēti: & Genesius Sepulueda epistola 6. ad Erasmum. Itaq; Græci codices, quos nūc habemus, & quos habuit Chrysostomus, vitiati fuerunt. Nec mirum hoc videri debet cū Ambrosius super epistolam ad Rom. 5. conqueratur suo etiā tempore corrupta fuisse Græca exemplaria, & de his quæ modò habemus, probat idem Lindanus lib. 2. de optimo genere interpretandi, c. 5. 6. & 7. Sepulueda etiam epistola 4. ad Erasmū, admonet illū Græcos libros, quos ipse laudare solet, & quorum autoritate recedit à nostra translatione, in multis vitiatos esse, affirmat etiam se vidisse in Bibliotheca Vaticana nonum Testamentū Græcū, quod multum discrepat à cæteris Græcis, & maximè conuenit cum nostra vulgata translatione, atque hoc dicit esse antiquissimum, cui Eras. epist. 7. ita respōdet: *Mea versio è libris Gracis non dānat nostram editionem (vulgatam) cū fatear interpres habuisse exemplar in multis locis emendatiū quam habuit Chrysostomus, aut Theophylactus.* Et paulo pōst: *Vidi & ipse codicē Euangeliōrum ex Biblioteca Campanioris, qui per omnia consentiebat nostra editioni Latinae.* Est igitur sensus: Ego sum principium & causa rerum omnium, sicut & Pater meus, qui tamen cū tantus sim nō dedignor vos alloqui & docere viā veritatis. & hoc videretur dicere Augustinns. Vel aliter, & fortasse magis propriè. Ego ipse, quem vos videtis, & quem loquentein auditis, sum principiū omniū rerū; ita c. 4. cū dixisset, mulier cū venerit Messias, &c. respōdit, *Ego sum qui loquor tecū.* & c. 9. *Tu credis in filium Dei? Quis est Dominus, ut credā in eum?* & dixit ei Iesus, *& vidisti eum, & qui loquitur tecum ipse est.* Ex quo sequitur optimā omnium lectionē esse, qui & loquor tecum, quam aliquando sequitur Ambrosius & Augustinus in pluribus ex locis citatis, licet aliquando legant, quod & loquor tecum, vt Ambros. in 2. & 3. loco citato; sed est idē omnino sensus, sum principiū quod loquor tecū. At multo receptior est prior lectio, qui loquor; nullo ramen modo videtur legendū, quia loquor tecū, non enim habet aptū sensum: nā non quia loquitur, principiū est; nec Aug. hīc mihi legisse videretur, quia, sed qui, licet in verbis expositionis videatur primo aspe&u legisse quia. optimè constat sensus verborum eius si legamus qui.

Multa habeo de vobis loqui & indicare.] Habeo, more Gracorum ponitur pro possum, ut adnotat Chrysostomus, & nos iam adnotauimus c. 4. vbi ait, ego cibum habeo manducare. Est ergo sensus, possem multa dicere, in quibus me sine causa calumniamini, & meam

& meam doctrinam, & possem vos conuincere & condemnare: sed Pater meus, cuius verbis loquor quicquid loquor, verax est, & propterea mea doctrina vera est, & tandem vera esse cognoscetur, respondentे Patre meo pro veritate, & illa manifestante. quæ expositio comprobatur ex verbis sequentibus:

Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum, &c.] Chrysostomus: Ita possem vos reprehēdere & punire, sed non me misit Pater, ut puniam, sed ut saluem: si ergo ad hoc me misit, & ille verax est, meritò ego neminem iudico, sed ad salutem loquor, non ad reprehensionem.

Et non cognoverunt, &c.] Cùm diceret Dominus, qui misit me, verax est, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater, non intelligebant Iudei loqui sibi de Deo Patre, atque illum affirmare esse Patrem suum naturalem. At contra hoc videtur esse illud c. 5. propterea Iudei prosequerantur Iesum, quia non solum soluebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, & qualem se Deo faciens. Respondetur, tunc quidem cognouisse, nunc autem et si idem Dominus significabat, non tamen idem intelligebant, siue quia multi ex his non erant, illi qui tunc adfuerant, siue quia oblii erant, aut quia magis excæcati. Græci codices habent, & non cognoverunt, quia Patrem eis dicebat, & ita est apud Nonnum: sed sensus tamen est idem, quamvis non est legendum Patrem eius, sed Patrem eis.

Cum exaltaueritis filium hominis.] Id est, cum crucifixeritis. Ioan. 3. Ita oportet exaltari filium hominis. Et c. 12. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum, hoc autem dixit significans, qua morte esset moriturus.

Tunc cognoscetis quia ego sum.] Ab eo tempore quo Dominus crucifixus est, cœperunt Iudei cognoscere eius diuinitatem, & eum vere à Deo misum fuisse, atque omnia fecisse ut à Patre acceperat, hoc autem cognoverunt ex signis, quæ facta sunt in passione. Vnde centurio exclamauit, *Verè filius Dei erat iste*, Matth. 27. & ex resurrectione, quam nummorum largitione conati sunt obscurare. Et ex aduentu Spiritus sancti in die Pentecostes. Quare plurimi his signis compuncti, & conuersi sunt, ac demum cognoverunt, quando in excidio Hierusalem senserunt diuinam vltionem. Et quamvis ad veritatem verborū satis est hoc cognitum fuisse illis omnibus qui conuersi sunt, tamen probabile est, ut ait Ianseinius, & multos eorum qui propter duritatem cordis credere noluerunt, hoc intellexisse.

Et qui me misit.] Tunc etiam cognoscetis mecum semper fuisse Deum, &c. ita Caiet. Possumus etiam intelligere, ut ait Ianseinius, esse continuationem eius quod de se dicere cœperat, sed qui misit me verax est. Atque ita videntur intellexisse Chrysostomus & Euthymius.

Si vos manseritis, &c.] Id est, si vos persistatis in fide ut cœpistis, vere vos in discipulorum numero habebo, & docebo vos omnia necessaria ad salutem, & veritas cognita & amata liberabit vos à seruitute diaboli,

diaboli, & peccati : nam liberare hoc loco non significat, à periculis & laboribus eruere, sed liberabit vos , id est , liberos , & ingenuos faciet, vt nullius serui sitis, quod indicat verbum Græcum ἐλεύθερος, hoc adnotat eleganter Augustinus tract. 40. & sermone 48. de verbis Domini, & eodem modo interpretantur Chrysostomus & cæteri Græci , & patet ex sequentibus, *Semen Abraham sumus, nemini seruimus*. Sed addit Chrysostomus hom. 53. *Dixit si vos manseritis, quoniam alij credere coepierant, & abierant, vt vidimus cap. 6. & cognoscetis veritatem, id est, me, nam Iudaica dogmata omnia figuræ sunt, ego autem sum veritas & adimplecio illarum figurarum, ita dixit cap. primo, Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

Semen Abraham sumus.] Id est, quæ est ista libertas quam nobis polliceris, nos verè liberi sumus cùm sumus posteri Abrahæ, qui nemini seruivit, sed Propheta fuit, & in summo pretio apud Deum, & apud homines, non habemus vnde cuiusquam serui esse possimus. Quæri auté potest, qui sint qui hæc dicūt, illi qui crediderat, vt voluit Chrysostomus & Theophylactus, an cæteri qui aderant, vt vult Augustinus. Mihi videtur probabilius esse illos, qui non crediderant, qui vt verba illa audierunt, continuò prosilierunt, ad respondendum sibi etiam iniuriam fieri interpretati. patet hoc ex verbis Domini, *Scio quia filii Abraham esatis, sed queritis me interficere, quia sermo meus non capit in vobis*, quod non est credibile dici de his qui crediderant.

Semen Abraham qui esse se dixerint.

Et nemini seruimus unquam.] Chrysostomus, & Theophylactus, & Euthymius dicunt mentitos esse Iudeos, cùm seruierint Ægyptiis & Chaldaeis, & in terra promissionis aliis nationibus, sed dissimulasse Dominum, quoniam non de huiuscmodi seruitute loquebatur, sed de alia multo grauiore, nempe de seruitute peccati, à qua solus Deus liberare potest. Mihi quod ait Caietanus videtur valde probabile, istos non loqui de maioribus suis, qui seruierant, sed de se qui nulli seruierant. nam licet tunc Romanis seruiebant, non tamen vt serui, sed vt liberi tributa pendentres.

Omnis qui facit peccatum.] Quicumque ille sit, siue seruus, siue ingenuus, siue nobilis, siue ignobilis, ex quibuscumque parentibus natus sit, si facit peccatum, amittit libertatem, & fit seruus peccati, quia peccatum in eo dominatur, & subditum diabolo, mortisque æternæ reum efficit: atque ita quandiu manet in peccato, serui eius estis, licet gloriemini patrem vestrum esse Abraham. hoc intelligitur ex verbis Apostoli Rom. 6. *Nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, servi estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obediens ad institiam.* & ex Proverb. 5. *Iniquitates sua capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.*

Liberatem perdit qui peccat.

Seruus autem non manet in domo in eternum.] Chrysostomus expavit: Seruus non habet potestatem domus, ideo neminem potest liberare, cùm sit seruus; ego vero vt filius, habeo potestatem do-

Ribera in Euang. Ioan.

E e mus

mus Patris mei , & possum vos liberare : vestri autem Sacerdotes non possunt , quia sunt servi . At vero sensus est satis perspicuus , sumpta à rebus humanis similitudine , alludit enim ad legem & consuetudinem Hebraeorum , & est sensus : Seruus aliquando est in domo Patris famil . at non semper , quoniam septimo anno , aut certè anno 50 . Iubilæi manumittendus est , si fuerit Hebraeus , Exod . 21 . & Deuterona . 15 . Si autem fuerit ex aliis nationibus , semper seruiebat , Leuit . 25 . & tamen hic non manet in domo semper , quoniam vendi potest , filius autem semper manet , quoniam est hæres & dominus . Est ergo ac si diceret , etiamsi filii Abrahamæ sitis , & sitis modò in domo Dei ; si serui peccati efficiamini , eiiciemini tamen , & non obtinebitis hæreditatem filiorum , quæ est æterna beatitudo . Date igitur operam ut veram libertatem & ingenuitatem consequamini , accedentes ad me qui filius sum , & ut filius autoritatem & potestatem habeo in domo Patris mei . Hoc explicat eleganter Apostolus Gal . 4 . Itaque fratres non sumus ancilla filij , sed liberae , qua libertate Christus nos liberauit ; & ibidem adducit ex Gen . 21 . Eunice ancillam , & filium eius , non enim hæres erit filius ancilla cum filio libera . Denique tota allegoria Pauli tendit ad hoc quod Dominus docet , & de hac potestate , quam habet Christus in domo Dei , quæ est Ecclesia , eleganter Paul . Hebraor . 3 . & Moysès quidem fidelis erat in tota domo eius tamquam famulus in testimonium eorum , que dicenda erant ; Christus vero tamquam filius in domo sua , quæ domus sumus nos .

Sermo meus non capit in vobis.] Id est , corda vestra sunt plena immunditia , & sunt nimis crassa , ideo hæc sublimis & spirituialis doctrina non capit in eis . Chrysostomus hom . 53 . *Non dixit , non capit in sermonem , sed sermo meus non capit in vobis , ad doctrinæ magnitudinem significandam .*

Ego quod vidi apud Patrem .] Ego loquor atque operor quemadmodum Pater meus docuit me loquendum esse & operandum : vos loquimini & operamini , quemadmodum pater vester diabolus vos docet , quod ex sequentibus magis patebit .

Pater noster Abraham est .] Nos nullum patrem agnoscimus præter Abraham , qui nihil mali nos docuit cùm sanctus fuerit .

Opera Abraham facite .] Quasi dicat , nihil vobis proderit id in quo maximè gloriamini , patrem vestrum esse Abraham , nec obtinebitis hæreditatem promissam filiis Abraham , & hoc est quod dicit Ioan . Matth . 3 . *Facite ergo fructus dignos pænitentia , & ne relitis dicere intra vos : Patrem habemus Abraham , &c .*

Nos ex fornicatione non sumus nati .] Non videtur hoc posse intelligi de corporali fornicatione , ut intellexerunt Origenes tomo 22 . in Ioann . & Euthymius & Theophylactus , & paulo post Chrysostomus ,

mus, nihil enim ad hoc pertinet quod pro ratione reddunt, vnum patrem habemus Deum. Quare intelligendum est de spirituali fornicatione, id est, idolatria, quæ passim fornicatio appellatur in Prophetis; & ita glossa vtraque, & Lyra, & S. Thomas, & Iansenius c. 7. Deinde more Scripturæ quæ abstractis vtitur pro concretis, Idololatriam ponit pro Idololatris, quasi dicant, nos neque idola habemus, nec ex parentibus idololatris geniti sumus, quorum idola filii colunt, & mores patrum imitantur; ita dictum est Ezech. 16. Hac dicit Dominus Ierusalem: Radix tua & generatio tua de terra Chanaan: pater tuus Amorrah, & mater tua Cetha. Non igitur habemus idola, sed vnum Deum, verumque colimus, ideoque eum patrem nominamus, ipse enim populum Israël vocat filium suum primogenitum, Exod. 4. eo quod non colat idola ut ceteri populi. Ex quibus verbis intelligitur, satis hic locus, sed apertius ex Hier. 3. Polluisti terram in fornicationibus tuis, &c. ergo saltem ammodo voca me pater meus, id est, desine iam colere idola, & poteris me patrem vocare. *Ego enim ex Deo processi & veni.*] Processi ut Deus, veni homo factus, ita Augustinus tract. 42. & vtraque glossa & S. Thomas. Iansenius hanc expositionem parum probat, manuique idem vtroque verbo significari: locus autem quo refellit Augustini sententiam, videtur mihi eam optimè confirmare Ioan. 16. & credidistis, quia à Deo exiui: exiui a Patre, & veni in mundum, &c.

Quare loquela meam non cognoscitis: Quia non potestis audire sermonem meum.] Id est, quia maximum odium, quo me prosequimini, non finit vos audire sermones meos & intelligere, inde non cognoscitis loquela meam, quæ facile ipsa se prodit, cuius sit, nempe Dei, ex loquela enim cognoscitur, unde aliquis sit. Matth. 26. *Vere & tu ex illo es, nam & loqua tua manifestum te facit.* De hoc diximus c. 5. in illis verbis, nec vocem eius audistis.

Et desideria patris vestri vultus facere.] Id est, quia ille maximè amat & desiderat, videlicet homicidia, & mendacia, dicit autem desideria, ut ait Chrysostomus, ut ostendat, & ipsos & diabolum maximè his operibus delectari.

Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.] Homicida dicitur, quia primos parentes spiritualiter occidit; ab initio, quia ex quo potuit homicida esse, occidit: non potuit autem occidere antequam homo esset. ita Augustinus, & authores paulo post nominandi. Augustinus tract. 43. *Noli ergo putare te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades, si fratri tuo mala persuades, occidis, & vt scias, quia occidis, audi Ps. 56.* Filii hominum, dentes eorum arma, & sagittæ, & linguæ eorum gladius; dicitur etiam diabolus homicida, quia in ipso mundi initio, stimulauit Cain ad occidendum fratrem suum Abel.

Et in veritate non stetit.] Prima huius loci expositio est, non mansit

Idololatria,
pro idolola-
tris.

Diabolus
cur homici-
da.

in officio, non fecit quod naturam suam, & gratiam acceptam decebat, ut diximus cap. 3. in illis verbis, & nemo ascendit in cælum, in finem illius annotationis, atque ita intelligere solent sancti: nam Chrysostomus hom. 53. interpretatur in veritate, id est, in vita rectitudine, & etiam Euthymius similiter intelligit. Augustinus tract. 42. & 11. de Ciuitate cap. 13. & lib. 11. de Genesi ad litteram c. 16. & 23. & in libro contra Adimantum c. 5. & lib. 2. contra litteras Petiliani c. 3. & Rupertus, & S. Thomas & Lyra.

Sed huic expositioni, à tot Patribus receptæ refragatur Iansenius c. 77. probans Dominum non loqui de veritate vitæ, sed de veritate verborum, cui opponit mendacium verborum: itaque iuxta illum est sensus; in veritate non stetit, scilicet illorum verborum: *In quacumque die comederas de ligno, quod est in medio paradisi, morte morieris*, hoc est, amplexatus non est hanc veritatem, sed dixit, *Ne quaque moriemini*, &c. Sed obstat eius expositioni, quod proprietatem verborum non retinet, ille enim dicitur stare in aliqua re, qui eam cœpit, & in ea perseverat. Quare iuxta priorem expositionem, quæ valde probabilis est, ita videtur totus locus exponendus, non seruauit Deo fidem, quam debebat, quia non est veritas in eo, id est, quia odit omnem veritatem, quocumque modo dicatur veritas, siue sit, quæ posita est in verbis, siue quæ in impletione promissorum, siue quæ in rectitudine vitæ; inde fit, ut amet mendacium, & sit pater eius. Augustinus tamen 11. de Ciuitate cap. 14. ita exponit illam causalem, *quia veritas in eo non est*, ut doceat, *quaia*, non significare causam, sed indicium quoddam, ut sit sensus, ex eo quod veritas in eo non est, ostenditur quod in veritate non steterit; adducit illud Psal. 16. *Ego clamavi, quoniam exaudiisti me Deus*, id est, exaudiitio tua fuit indicium clamoris mei. At vero si penitus verba consideremus, probabilius videtur, Dominum non loqui de peccato, quo diabolus recessit à Deo, patum enim id ad rem præsentem pertinebat, sed de damno quod intulit primis parentibus. Ideo ait, *homicida erat ab initio*, id est, ex quo homines esse cœperunt; quare consequens est, ut illud, *in veritate non stetit*, intelligatur eodem modo, id est, non permanxit in amore veritatis, sed potius amavit mendacium, & per illud hominem occidit, quia veritas in eo non est, id est, ex quo à Deo per peccatum recessit, odit Deum & veritatem, quæ à Deo est, & ita cùm dicit, *quaia*, verè reddit causam. Eodem ferè modo intelligit Theophylactus, ait enim non stetisse in veritate, quia cùm tentauit Euam, Deum calumniatus est apud homines, quasi præ inuidia prohibuisset eis esum ligni. Deinde calumniatus est homines apud Deum, ut cùm dixit Iob 1. *Nunquid Iob frustra timet Deum*.

Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur.] Theophylactus: Cum homines loquuntur mendacium, quasi re aliena utuntur: diabolus autem re propria utitur. nam ipse est pater mendacij, homines ab alio

accipiunt, aut didicerunt mendacium; id est, à diabolo: diabolus autem non ab alio, sed à se, quia nullum umquam audierat mentientem. Simili ratione exponit Euthymius: Ex propriis loquitur; id est, propria loquitur, quod ita dicemus apertius, cùm loquitur mendacium, non profert illud ex honestate nature, quam à Deo accepit; sed ex iis, qua habet ipse propria, id est, ex sua depravata voluntate, ex sua malitia, & ex odio, quo homines prosequitur, quia mendax est, id est, maximè delectatur mendacio; quare vos propria illius opera facitis, cùm me oditis, & veritatem doctrine mea calumniamini. Paulo aliter exponit S. Thomas in illis verbis, Si ego testimonium perhibeo: quæ expositio esset accommodatior, si diceret Dominus, cùm loquitur ex propriis, mendacium loquitur.

Et pater eius.] Hieronymus lib. 6. super Isa. cap. 14. in illis verbis, sēnem pessimorum, &c. docet quosdam existimasse ex hoc loco patrem diaboli esse draconem, qui regnat in mari, qui Hebraicè dicitur *Leviathan*. Manichæi etiam, ut constat ex locis citatis Augustini, dicebant Patrem diaboli esse malum principium: omnes enim isti intelligebant, & pater eius, scilicet diaboli, imò & Nonnus ita intellexit, ait enim, mendax est ex mendacijs patre natus. At verò concors sententia est Hieronymi, & Augustini, & Chrysostomi, & omnium expositorum, intelligendum esse patrem eius, id est, mendacij, & meritò cùm proximè præcesserit, cùm loquitur mendacium. Pater autem dicitur, more Scripturæ, primus auctor, & inuentor, ut Gen. 4. Genuitque Adam Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atque pastorum. Genes. 4. Et nomen fratris eius Iabal, ipse fuit pater canentium cithara, & organo. Iob 38. Quis est pluvia pater, & quis genuit stillas roris. Ita intelligitur illud Isa. 9. Vocabitur nomen eius, &c. pater futuri seculi. Simile est illud in externis auctòribus, Dardanus Iliace primus pater verbis, & auctor.

Ego autem quia veritatem dico non creditis mihi.] Multi codices Latini (ut qui Clementis VIII. iussu emendati sunt) habent, Si veritatem dico; sed tamen Chrysostomus, & cæteri Græci, & Augustinus, & Rupertus, & multi alij libri Latini habent, quia veritatem dico; quasi dicat, Diabolum imitamini qui est auctor mendacij: mihi autem credere non vultis, non aliam ob causam, nisi quia veritatem dico, quam vos ad imitationem diaboli oditis, hoc est quod dixit cap. 5. Ego veni in nomine Patris mei, & non accepistis me; si aliis venerit in nomine suo, illum accipietis.

Quis ex vobis arguet me de peccato.] Id est, hinc patet, vos non aliam ob causam mihi contradicere, nisi, quia inimici estis veritatis: nam si ita non est, dicite peccatum meum. Neque enim vitam meam culpare potestis ut mihi non credatis, neque doctrinam, quasi falsa sit. Propter vitam ait, quis ex vobis, &c. propter doctrinam, si veritatem dico vobis; id est, quandoquidem nullo modo potestis in mea doctrina ostendere aliquid falsitatis, quare non creditis mihi? Arguere, gnere autem non significat hîc reprehendere; multa enim ei obiicie- quid hic de- bant, quod esset vorax, potator vini, quod Sabbatum non custodiret: notet.

Pater quo-
modo dica-
tur diabo-
lus.

sed significat argumentis, & ratione conuincere, quod Græcè dicitur ἐλέγχειν, vnde Aristotelis liber de Sophisticis Elenchis. Ita ad Titum 1. ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Et Ioan. 16. Cum venerit ille, arguer mundum de peccato; id est, conuincet eum esse peccatorem. & ita intelligitur illud Hebr. 11. Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium; id est, conuictio. Vbi nos habemus arguet, in Græco est arguit, & ita etiam legit August. sed nihil refert ad sensum.

Qui ex Deo est, verba Dei audit, &c.] Iansenius cap. 77. exponit, qui Dei spiritu prædictus est. Theophylactus, qui Dei filius est. Sed omnis ex positionibus non dixit, qui Dei est, & Dei non estis, omnia enim sunt Dei saltem ratione creationis, sed qui ex Deo est, id est, qui ex Dei partibus, qui est ex iis qui à Deo electi sunt, ut secum semper maneat. Probatur aperte ex verbis eiusdem Apostoli 1. epist. cap. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permanessent utique nobiscum:* ergo eodem modo illi tantum sunt ex Deo, qui semper cum eo mansuti sunt. Ii autem qui electi sunt, non solent diu repugnare verbo Dei, sed tandem vincuntur, & parent illi: reprobi autem omni tempore repugnant, & irrident, & hostili odio prosequuntur veritatem, iuxta illud Rom. 2. *Iis autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescant veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio,* & hoc est quod ait Dominus Ioan. 18. *Ego in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati; omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam.* Exemplum huius rei habuimus cap. 6. quando eodem sermone andito reprobi dixerunt, *Durus est hic sermo, &c.* electi autem dixerunt, *Verba vita eterna habes;* & ex hac ratione elegit Paulus argumentum aduersus Iudeos Actuum ultimo, illis verbis, *quia bene Spiritus sanctus.*

Ex Deo quis.

Samaritanus maximum opprobrij genus apud Iudeos.

Nonne bene diximus nos, quia Samaritanus es tu.] Sæpe Dominum vocauerant Samaritanum, ut ex his verbis intelligitur, & notat Chrysostomus, quod erat maximum opprobrij genus apud Iudeos: sicut si apud nos quis hereticus dicatur, ut explicuimus cap. 4. præsertim in illis verbis, *non enim contundit Iudei Samaritanis:* nunc autem confirmant se bene dixisse, quoniam Samatitani dicebant se esse veritatem religionis, & cognitionem Dei, non apud Iudeos, ut diximus in illis verbis c. 4. *Pares nostri in monte hoc adorauerunt;* & hoc ipsum Dominus dixisse illis videbatur, illis verbis, *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* *Et demonium habes.*] Id est, insanus, & in te dæmonium loquitur, qui nos dicit non esse filios Dei, nec Abraham, sed diaboli, quod intelligitur ex verbis cap. 10. *Demonium habet, & insanit, quid eum auditis.* Alij dicebant, *hec verba non sunt dæmonium habentis;* &c.

Ego dæmonium non habeo.] Ad conuictum Samaritani nihil respondet, notum enim erat maledictum esse hominum ira ardentium, eumque nec Samaritanum esse natione, nec moribus. August. tract. 43. &

Grego

Gregorius hom. 18. in Euang. dicunt non negasse se esse Samaritanum, quoniā Samaritanus idem significat quod custos, & ipse est custos noster. & Lucæ 10. recte se vocauit Samaritanum in illa parabola, *Samaritanus autem approprians alligauit vulnera eius*. Sed ad illud, *demonium habes*, putauit esse respondendum, quoniam ad gloriam Dei, & ad auctoritatem doctrinae pertinebat, ne putaretur furiosus, & verbis diaboli loqui: *vult autem erudire nos*, vt ait Chrysost. hom. 54. vt quæ ad Deum pertinent, maiorem in modum defendamus, quæ ad nos, contemnamus. Præterea notandum est Dominum in superbos, cùm reprehendendi sunt, & in adulatores vehementem, & asperum esse solere, in eos verò, à quibus iniuria afficitur, lenem, & mansuetum, vt Matth. 21. dicentibus, *Magister, scimus quia verax es*, &c. respondet; *Quid me tentatis hypocrita*. Et in hoc capite superbientibus, quod filii essent Abrahæ, dixit, *Vos ex patre diabolo estis*; dicentibus verò, *Samaritanus es tu*, &c. tantum respondet: *Ego dæmonium non habeo*. Notandum est etiam, quod notat Gregorius hom. cit. Dominum potuisse illis dicere: *Vos dæmonium habetis*; sed accepta, inquit, iniuria etiam quod verum erat dicere veritas noluit, ne non dixisse veritatem, sed prouocatus contumeliam reddidisse videretur. Ex qua re quid nobis innuitur, nisi vt eo tempore, quo à proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera mala raccamus, ne ministerium iustæ correctionis in arma vertatur furoris.

Et vos in honoraſis me.] Scilicet appellādo Samaritanū & dæmoniacū. Codices quidā Græci & Latini habent *inhonoratis*, sed sensus est idem.

Si quis sermonem meum feruauerit.] Non cedit contumelias, nec propterea definit eos docere, vt salui fiant, &c.

Si ego glorifico meipsum.] Respondet ad illud verbum, *quem te ipsum facis*; quo obiiciebatur illi, quod nimis se efficeret; & maiorem gloriam, quam sibi deberetur, vendicaret. Hæc verba exposuimus cap. 5. vbi ait, *Si ego testimonium perhibeo de meipso*, &c.

Exultauit ut videret diem meum.] *ἀγαλλιάσεις* Græcè; id est, *exultatio*, potius significat gesticulationem lætantis, quam gaudium ipsum. Est ergo hīc *exultauit*, cum exultatione concipiuit; vt omnes Græci exponunt; quasi dicat, sciebat Abraham me aliquando venturum esse in mundum, & gestiebat atque optabat vehementer cognoscere, quando id futurum esset. Augustinus tract. 43. *Credens exultauit sperando*, vt videret intelligendo. Itaque sumpta est similitudo ab iis, qui gestu & motibus exultantium ostendunt se aliquid magnopere optare. Chrysostomus hom. 54. & Teophylactus, & Euthymius, dicunt hunc diem esse diem passionis, quem tunc vidit Abraham, cùm in monte voluit immolare Isaac, & pro illo immolauit arietem, Gen. 22. Augustinus autem intelligit de Incarnatione quam vidit Abraham Gen. 24. cùm seruo, quem mittebat, vt quæreret vxorem filio suo Isaac, dixit, *Pone manum tuam subter fæmur meum*, vt adiurem te per Deum cali & terra. Per fæmur, inquit Augustinus, genus intelligitur; ergo

Dies Domini
ni quid.

ergo quid fuit illa iuratio , nisi quia significabatur de genere Abrahæ venturum in carne Deū cœli & terræ: possumusque autem de utroque die intelligere, sicut intelligit S.Thomas: modò autem intelligamus in his visionibus non solum cognouisse incarnationem , & passionem, quas antè cognouerat , sed tempus illarum.

Vidit & gauisus est.] Ostendit, vt ait Chrysostomus, eos alienos esse ab Abraham, quandoquidem, de quibus ille gauisus est, ipsi tristantur.

Quinquaginta annos nondum habes.] Ex his verbis Irenæus lib. 2.c. 39. in fine, & 40. probat Dominum cùm hæc dicebant excessisse annum ætatis quadragesimum , & propè accessisse ad quinquagesimum, quod & ex omnium sententia , & ex Euangelio intelligitur planè falsum esse. Est autem sensus, vt te maximè prouectum ætate fingere velis, certè quinquagenarum te facere non potes , cùm aspectus ipse indicet, ne quadragenarium quidem esse; quomodo ergo videre potuisti Abraham ? dicendum erat, quomodo Abraham vidit te , quandoquidem Dominus non dixit se vidisse illum ; sed hoc quod dicunt est magis inuidiosum : nam Abraham potuit ipsum videre propheticis oculis, ipse autem non videbatur , quomodo videre potuisset Abraham. Cæterum Chrysostomus legit , *quadragesima annos* , & Euthymius testatur nonnulla exemplaria ita habere , esseque veriora , cùm tamen Græci omnes & Latini summa confensione legant *quinquaginta*. Ex quo patet nostrum interpretem habuisse exemplaria multis in locis emendatoria quām Chrysostomus.

Antequam Abraham fieret ego sum.] Abraham factus est vt homo, ego vt Deus semper sum; quoniam autem illi inuerterant Domini respcionem , dicentes , & *Abraham vidisti*, ostendit id quoque verum esse, ac prænouisse ipsum antequam fieret.

Ut iacerent in eum.] tamquam in blasphemum , qui lapidari iubebatur Leuit. 24. Augustinus : *Tanta duritia quò currerent nisi ad similes*.

Abscondit se.] Quia nondum venerat tempus passionis , & vt nos doceret, fuga furorem persequentium declinare.

Dominus
cur se abs-
conderit.

SANCTVM

S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T I X.

1. **T** preteriens Iesus vidit hominem cœcum à nativitate: 2. Et interrogauerunt eum discipuli eius: Rabbi, quis peccauit, hic, aut parentes eius, ut cœcus nascetur? 3. Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo. 4. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari. 5. Quādū sum in mundo, lux sum mundi. 6. Hac cūm dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos eius. 7. Et dixit ei: Vade, lava in natatoria Siloë (quod interpretatur Missus.) Abiit ergo, & lanit, & venit videns. 8. Itaque vicini, & qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: Nōnne hic est, qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant: Quia hic est. 9. Alij autem: Nequaquam, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Quia ego sum. 10. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? 11. Respondit: Ille homo, qui dicitur Iesus, lutum fecit: & unxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoria Siloë, & lava. Et abiit, & laui, & video. 12. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. 13. Adducunt cum ad Phariseos, qui cœcus fuerat. 14. Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus, & aperuit oculos eius. 15. Iterum ergo interrogabant eum Pharisei quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. 16. Dicebant ergo ex Phariseis quidam: Non est hic homo à Deo, qui sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: Quomodo potest homo peccator hoc signa facere? Et schisma erat inter eos. 17. Dicunt ergo cœco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia propheta est. 18. Non crediderunt ergo Iudei de illo, quia cœcus fuisset, & vidisset, donec vocauerunt parentes eius, qui videbant. 19. Et interrogauerunt eos, dicentes: Hic est filius vester, Ribera in Euang. Ioan.

F f quem

quem vos dicitis, quia cæcus natus est? Quomodo ergo nunc videt? 20. Responderunt eis parentes eius, & dixerunt: Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est: 21. quomodo autem nunc videat, ne scimus: aut quis eius aperuit oculos, nos nec scimus: ipsum interrogate: etatem habet, ipse de se loquatur. 22. Hac dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudeos: iam enim conspirauerant Iudei, ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret. 23. Propterea parentes eius dixerunt: Quia etatem habet, ipsum interrogate. 24. Vocauerunt ergo rursum hominem, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo, nos scimus quia hic homo peccator est. 25. Dixit ergo eis ille: Si peccator est nescio: vnum scio, quia cæcus cum essem, modo video. 26. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? 27. Respondit eis: Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? numquid & vos vultis discipuli eius fieri? 28. Male dixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. 29. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus: hunc autem nescimus unde sit. 30. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, & aperuit meos oculos: 31. Scimus autem quia peccatores Deus non audit: sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. 32. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cæci nati. 33. Nisi es set hic a Deo, non poterat facere quidquam. 34. Responderunt, & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. 35. Audiuit Iesus quia eiecerunt eum foras: & cum inuenisset eum, dixit ei: Tu credis in Filium Dei? 36. Respondit ille, & dixit: Quis est, Domine, ut credam in eum? 37. Et dixit ei Iesus: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. 38. At ille ait: Credo, Domine. Et procidens adorauit eum. 39. Et dixit Iesus: In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant. 40. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci sumus? 41. Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. nunc vero dicitis: Quia videmus. Peccatum vestrum manet.

IN CAPVT IX. SANCTI
IESV CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,
COMMENTARIA.

ET præteriens Iesu.] Iansenius c. 78, dicit hoc non contigisse, cùm Dominus exiuit de templo, quoniam cùm exiit de templo, non aderant discipuli, qui modò dicuntur fuisse. At Chrysostomus hom. 55. aperte docet venisse ad cæcum sanandum quando è templo egressus est; & Theophylactus, & Euthymius, & S. Thomas, & Lyra, & alij, & satis colligitur ex istis verbis, & præteriens Iesu, nam coniunctio, copulat hoc cum eo, quod præcessit: fecit autem hoc miraculum, ut ait Chrysostomus, ut hoc beneficium eorum duritatem, & immanitatem placaret, vique re ipsa doceret, quod dixerat se Deum esse, & maiorem Abraham. Ad obiectionem Iansenij de discipulis facile respondetur, eos, ut Dominum in templo non viderunt, exiisse, & eum consecuros fuisse.

*Cur egred
sui è templo.*

Quis peccauit, hic, an parentes eius.] Occasio interrogandi fuit verbum illud, quod cap. 5. dixerat paralytico, *Noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ex quo videtur existimasse omnē morbum pœnam esse peccati. Et autem dubium, quomodo querant, an ipse peccauerit cùm peccare non potuerit antequā nasceretur. Chrysost. & Theop. & Euth. dicunt discipulos potius dubitare quam percontare; quasi dicant, quam causam cæcitatis huins esse existimabimus? an eius peccata; sed non potuit peccare nondum natus; an peccata parentum; sed non vindicentur filij pro parentibus puniendi. Deut. 24. *Non occidentur patres pro filiis, neque filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Montanus putat occasionem interrogandi sumptā esse ex veteri Hebræorum traditione, quæ scripta est in d. lib. misnaioth, in tractatu de benedictionibus c. 9. vbi ita dicitur: *Qui viderit mutillum, cæcum, ato capite, claudum, erysipela affectum, albinginosum, dicat: Benedictus sit index veritatis.* Ex quibus verbis docebantur ad pœnam peccati esse huiusmodi morbum; sed quoniam hoc intelligebatur de cæco facto, cùm viderent hunc cæcum natum, querunt quid de eo dicendum esset; non enim erat illud expressum in traditione Iudæorum, & quamvis hæc probabiliter dicantur, alia tamen videtur esse ratio probabilior, non enim possumus dubitare apud Iudeos communem fuisse errorem illum Pythagoræ de migratione animarum de corpore in corpus, quod quidem multi affirmit, sed præcipue Iansenius cap. 16. & 56. & 66. quamvis argumentum, quo id confirmant, minimè mihi placeat; afferunt enim illud Matth. 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* Alij Ioannem Baptistam, alijs autem Eliam, alijs vero Ieremiam, aut unum

*Morbis pec
cati pœna.*

ex Prophetis; non enim id dicebant, quod putarent illorum animas migrasse in corpus Domini, sed dicebant ipsos Prophetas resurrexisse, ut bene ait Lyra Matrh. 16. pater aperte ex Luce 9. & hesitabat, eo quod diceretur à quibusdam, quia Ioannes surrexit à mortuis, à quibusdam verò, quia Elias apparuit, ab aliis autem, quia Propheta unus de antiquis surrexit: in Græco autem hic, & paulo post, cum de Prophetis eisdem loquitur; pro eo, quod nos habemus, *surrexit*, est, àres, id est, *resurrexit*. Nec obstat, quod dicit Iansenius cap. 56. eos, cum dicunt Ioannem resurrexisse à mortuis, intellexisse, rediisse eius animam in corpus Christi, nam id non est resurgere, cum non resurgat nisi corpus, quod cecidit, præsertim cum Iudei & intelligerent, & crederent veram corporum resurrectionem. Præterea si anima Ioannis venit in corpus Christi, quod abiit anima quæ erat Christi? non igitur id me mouet, sed primum quod Philo doctissimus inter Iudeos, ita sensit lib. de somniis, & lib. 2. de plantatione Noë; & Iosephus lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. tradit Phariseos, quorum secta certissima putabatur, ita sentire, animam quidem omnem incorruptam esse, transire autem in alia corpora solas bonorum, improborum verò interminabili supplicio cruciari. Et idem lib. 3. cap. 14. affirmit idem ex sua sententia. Denique ita habetur in Thalmud in 4. ordine tractatu 2. & plurimis aliis in locis, ut refert Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. verbo, *traditiones seniorum*, in fine. Sed omnium maximè me mouet, quod paulo post aiunt Iudei huic cæco, *in peccatis nostris estotus, & tu doces nos.* Quibus verbis, ut interpretantur Chrysostomus, & Theophylactus, & Euthymius, & alij, manifestè illi impropertant, quod propter peccata sua cæcus natus sit. nec tantum hoc credebat vulgus Iudeorum de animabus bonorum, ut de Phariseis docet Iosephus, sed de animabus etiam malorum; docet enim Thalmud loco citato, animam si in primo corpore peccet, mitti in secundum, in quo si iterum peccet, mitti in tertium; quod si neque in illo peccare desistat, detrudi in gehennā. Cum ergo Iudei ita opinarentur, videntur mihi Apostoli ideo interrogasse, an ille cæcus peccasset, quia vel ipso quoque ita tunc credebant, vel certè dubitabant, verum ne esset quod Iudei sentiebant. Quod si querás, cur Dominus non correxit errorem, aut dubitationem Apostolorum? Respondeatur correxisse cum dixit, *neque hic peccauit, &c.* quasi diceret, hic nullum peccatum fecit, & ita non potuit esse causa suæ cæcitatis; parentes autem eius peccauerunt quidem, nō tamen peccata eorum fuerunt causa, ut cæcus nasceretur. Demum potuit eos postea aperte docere, licet scriptum non sit, aut certè Spiritui sancto relinquere, à quo docendi erat omnē veritatem.

Vi manifestentur opera Dei.] Ut videant omnes, quæ & quanta Deus facere possit. Chrysostomus legit, ut manifestetur gloria Dei.

Me oportet operari, &c.] Id est, oportet ut ego faciam, quæ Pater per me fieri voluit in salutem hominum. ita Rupertus. Vel, ut aiunt Theoph. & Euthymius, *opera, per quæ ostendam me aqualem patre esse.*

Dones

*De anima,
Phariseorū
traditio.*

*De eadem,
doctrina
Thalmud.*

Donec dies est.] Id est, quandiu præsens vita agitur, ut homines possint in me credere; statim enim sequitur, *nox, id est, iudicium, &c seculi finis*, in qua iam homines non possunt credere, nec mereri, ita Theophylactus, & Euthymius, & Rupertus. Sed est secunda expositio Lyrae, quam merito magis probat Iansenius c. 78. diem dici præsentiam Christi corpoream: ut enim sol efficit diem, ita quoque Christi præsencia, qui est sol iustitiae; ut sit sensus, dum sum in hac vita mortali, cum hominibus; venit nox quando nemo potest operari, id est, veniet mors mea, quando ab hominibus abstrahar, & non potero docere eos, & miracula facere per meipsum, quia Pater vult, ut in cœlum ascendam, & ita iam nihil apud Iudeos per me operabor; licet Lyra exponat, *venit nox*, ut prima expositio intellexit. Hæc sententia Iansenij, & Lyrae quantu[m] attinet ad illud, *donec dies est*, confirmatur maximè ex eo, quod ait statim, *quandiu sum in mundo, lux sum mundi*, & ideo mihi magis placet, quam prima. Sed tamen quod statim sequitur, *venit nox*, aliter intelligendum puto, quoniam duriusculum videtur dicere Christum post passionem nihil potuisse operari, Apostolis tanta eius virtute miracula facientibus. Est ergo sensus: Venit mors mea, per quam ego sol iustitiae abstrahar à Iudeis, & illi manebunt in tenebris, & tunc non potero operari apud illos, quoniam obstat illorum incredulitas, & ideo discipuli mei transibunt ad gentes, relictis Iudeis. Act. 13. Sed quoniam repellitis illud, & indignos vos indicatis æterna vita, ecce conuertimur ad gentes; ita enim dicit Dominus modò, non potero operari, sicut ait Marcus c. 6. & non poterat ibi virtutem villam facere, scilicet propriet incredulitatem eorum; quod si aliquis obiciat, post ascensionem Domini multa miracula facta fuisse in Iudea per Apostolos, hoc non obstat, quoniam quemadmodū saepè dicit Scriptura, excæcatos fuisse Iudeos, & relictos, licet multi conuersi sint, quia isti multi nulli ferè erant, comparatione eorum, qui sunt excæcati; ita multa miracula facta per Apostolos inter Iudeos breui tempore, quo apud illos fuerunt, quasi nulla reputantur respectu eorum, quæ fecerunt inter Gentiles, & semper facta sunt per prædicatores Euangelij. Nec est contemnenda explanatio Montani, *donec dies est*, id est, dum Iudei non sunt penitus obdurati, & excæcati, veniet nox, id est, excæcati eorum.

Quandiu sum in mundo, lux sum mundi.] Id est, nunc dum inter eos versor, volo, ut, velint, nolint, operibus ipsis cognoscant me esse lucem mundi, qui cunctos illustro doctrinâ, & exemplo, quod ex similitudine huius illuminationis corporeæ intelligere poterunt.

Et fecit lutum ex spuma.] Non quod lutum quicquam per se efficere posset ad illuminationem cæci, sed ut eo facto se Deum ostenderet. Ut enim filius, si vas, quod habet in manibus, constringatur, ex o[mni]odem luto illud reparat; ita qui hominem fecerat ex luto, per lutum illum reparat, reddens ei quod deerat. ita Irenæus lib. 5. & Chrysostomus hom. 55. in illis verbis, ut manifestentur opera Dei: & ibidem Theophylactus, & Euthymius & Glossa, quæ etiam addit, de salina lutum fecit,

*Dies quid hic.
Nox quid.*

*Lutum ad
quid factum
ex spuma.*

quia Verbum caro factum est. Salvia est sapientia quæ ex ore Altissimi prodidit, terra est caro Christi, & est desumptum hoc ex Augustino hic, & lib. 50. homiliarum, homil. 43.

Vade, & lava in natatoria Siloë.] De natatoria diximus cap. 5. in illis verbis, probat capiscina. Siloë meminit Isai. c. 8. pro eo quod abiecit populus iste aquas Siloë, quæ vadunt cum silentio. Est autem fons, ut loco citato ait Hieronymus, ad radices montis Sion, qui non iugibus aquis, sed incertis horis, diebusque ebullit, & per terrarum concava, & antra saxi durissimi cum magno sonitu venit: ex aquis huius fontis facta erat piscina, sive natatoria, cuius meminit Scriptura 2. Esdræ 3. quæ dicitur à Hierusalem uno millario, in quo apparuit fides, & prompta cœci obedientia, ut norat Euthymius, & ut scribit Aranda tractatu de terra sancta c. 22. ad radices partis meridionalis montis Sion, est nunc antiquissimum ædificium instar balneorum, & ibi est natatoria Siloë, huius fontis aquæ fluant per planam vallem, quæ etiam dicitur Aloë, & ideo dicuntur in Esaiā vadere cum silentio. Non putauit autem Euangelista omittendam esse nominis interpretationem, quia vidit ibi latè mysterium, nempe per Christum missum à Patre illuminandum esse cœcum, id est, genus humanum per fidem, & Baptismum; ideo, iuxta Augustinum hic, & homil. 43. ex lib. 50. homil. & iuxta cœteros exposidores, & Ambrosium 3. de sacramentis cap. 2. per hanc Natatoriam intelligitur Baptismus, dicitur autem Siloë, sive (ut est in Hebreo) Siloah, à verbo salab, quod est mittere, & puto idem esse nomen, quod Gen. 49 ponitur, vbi nos habemus, donec veniat, qui mittendus est, & ita prorsus videretur sentire Lypomanus in Catena super Genesim, licet multum recentiores Hebrei reclament, qui legunt, donec veniat Siloh, & varia in eo nomine confingunt; sed est aduentendum in hoc loco Genesis ultimam litteram non debere esse in he, sed in chet. Facile enim potuit error irreperere propter magnam litterarum similitudinem, aut certè una posita est pro altera, quoniam passim commutantur inter se litteræ gutturales. Hoc verum esse indicat paraphrasis Chaldaica, quæ habet, donec veniat Messias. Vnde noster interpres cum Euangelistâ consentiens, recte vertit, qui mittendus est. Sed quoniam hoc nomen Siloah à mittendo dicitur, æquè videretur significare missum, & mittendum, ac propterea in Genesi vertendum fuit mittendus, quoniam de re futura erat sermo; in Evangelio autem missus, quoniam iam aderat, qui mittendus erat.

Et schisma erat inter eos.] Id est, diuisio. I. Corinth. 1. Obsecro autem vos fratres, ut idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata. Idem vocabulum est in eadem Epistola cap. 11. Audio enim scissuras esse inter vos. & Ioh. 10. Dissensio iterum facta est inter Iudeos.

Quia Propheta est.] Sine articulo ponitur Propheta, nesciebat enim illum esse Prophetam illum eximium promissum in lege.

Extra Synagogam fieret.] Id est, excommunicaretur, ut explicuimus cap. 6. vbi ait, haec dixit in Synagoga.

Piscina, sive
natatoria
unde facta.

Natatoria
quid.

Da gloriam Deo.] Id est, nihil huius hominis meritis, aut potestati tribuas, est enim peccator, & ideo nullam ad huiusmodi opera virtutem habere potest.

Si peccator est, nescio.] Non dubitat esse iustum, quem Prophetam esse dixerat, sed irridet cætitatem Pharisæorum, ut ait Augustinus.

Quid fecit tibi?] Sæpe interrogant, ut aliquando aliquid eliciant, quo aut Christū calumniari, aut certe eius gloriam obscurare possint, &c.

Maledixerunt ergo ei.] Id est, conuicti sunt, non enim intelligendum est, imprecatos illi fuisse aliquod malum, hoc indicat verbū Græcum *κατέσφεν*, quod verbum est i. Corinth. 4. *Maledicimur, & benedicimus.* Est autem lœdoria siue conuictum, ut ait Basilius in regulis brevioribus quæst. 24. omne verbum, quod dicitur animo afficiendi contumeliam, etiam si ipsum verbum non sit contumeliosum, ut ex hoc loco probat Basilius. August. tractatu 44. *Tale maledictum super nos, & super filios nostros.*

Lœdoria, siue
conuictum quid.

Hunc autem nescimus, unde sit.] Id est, cuius spiritu instinctus, & motus ad nos venerit.

Scimus autem, quia peccatores Deus non audit.] Augustinus purat, hunc adhuc quasi inunctum loqui, id est, tamquam non plane videntem, quasi inuctum, & non lotum in interiori facie, ut patet ex eodem lib. 50. homil. hom. 43. nam cæcus non vidit, donec lotus est. & libro 2. contra epistolam Parmeniani c. 8. & lib. 1. retractionem c. 3. & S. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 16. ad primum, *Quamvis*, inquit, *possit verificari de peccatore, in quantum est peccator*, id est, in quantum petit secundum desiderium peccati, tunc enim non auditur ex misericordia, licet aliquando auditatur ad vindictam. Probat autem Augustinus falsum esse, quod cæcus dixit in his locis ex Lucæ 18. ubi Deus audiuit publicanum dicentem, *Deus propitiatus es to mihi peccatori.* At verò antequam de veritate huius propositionis dicamus, sciendum est argumentum esse ad hominem, & esse validissimum; quasi dicat, vos dicitis hunc hominem esse peccatorem, & ideo nihil illi esse tribuendum, dicitis enim, *Da gloriam Deo; nos scimus, quia hic homo peccator est.* quo verbo docetis Deum non facere miracula per homines peccatores, hoc ipsum ego dico, & cum non possit negari hunc fecisse in me signum maximum, quale non est auditum haec tenus à sacerculo, id est, à principio mundi, quomodo potestis negare illum esse iustum. Quod autem attinet ad veritatem huius dicti, Iansenius c. 78. dicit esse verum, idque dixisse cæsū, quod in multis Scripturæ locis legitur, ut Ps. 33. *Oculi Domini super iustos, & aures eius in precessorum.* & ibidem, *Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos.* Contra de malis Proverb. 8. *Qui declinant aures suas, ne audiant legem, oratio eius erit execrabilis.* Isai. 1. Et cum multiplicaueritis orationem, non exaudiem, manus enim vestra sanguine plena sunt. Quod si aliquando Deus peccatores audit, hoc non obstat dictis sententiis, quia non est regulare, *Peccatores sed rarum.* hæc Iansenius. At verò legitimus huius loci sensus est, *Deus raro audiri.*

non audit peccatores; ut miracula per eos faciat ad confirmationem, & ad approbationem vitæ eorum. Ira exponit S. Thomas, & Lyra, Clitoræus, & Montanus, & ita intelligendi sunt Thcophylactus & Euthymius dicentes, non audit Deus peccatores in miraculis faciendis, qui sensus sumitur ex præcedentibus, Christus dicebat se esse filium Dei; & in mundum venisse, ut homines saluos facheret, & in huius doctrinæ testimonium miracula faciebat, sicut ipse ait cap. 5. *Ipsa opera que ego facio testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Ait igitur cæcus, si hic homo esset peccator, & deciperet nos, nequaquam eum Deus audiret, ut per eum hæc miracula facheret. Intelligitur etiam hoc ex verbis Pharisæorum: *Da gloriam Deo, nos scimus, quia hic homo peccator est.* Quorum sensu cæcus ex parte assentiens dicit peccatores non audiri à Deo, videlicet in re, de qua modò agitur, & ideo dicit, *Nisi esset hic homo à Deo, non poterat facere quicquam.* Hoc autem totum intelligendum est de veris miraculis, quæ, nisi diuinâ virtute, fieri non possunt, non de apparentibus, qualia potest facere diabolus.

Eiecerunt eum foras.] Scilicet à concilio suo; nec est improbabile, quod ait Lyra, eiecisse, & fecisse eum absque Synagoga, ut intelligi potest ex eo, quod superius dixit. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra Synagogam fieret.

Et dixit eis Iesus, in iudicium, &c.] Græci non legunt, *eis.* Latini tamen codices ita habent, & nihil refert ad sensum.

*Iudicium
quomodo
sumitur à
Patribus.*

In iudicium ego in hunc mundum veni.] Dupliciter potest hic locus intelligi. Primo, in multorum damnationem ego veni, eorum scilicet, qui tam apertis miraculis credere nolunt, & ideo damnabuntur, non ex meo aduentu, sed ex malitia sua. Ita Chrysostomus, & Theophylactus. Secundo, veni in iudicium, id est, ad discernendum, & separandum electos à reprobis: nam qui non videbant, id est, qui ignorabant diuina mysteria, nunc ea cognoscent per veram fidem; iij autem, qui se iactabant optimè cognoscere ea, ut Pharisæi, cæci manebunt. ita sumit Augustinus *iudicium*, & ita intelligit Lyra, & Iausenius. S. Thomas, & Euthymius utrumque sensum videntur probare; sed posterior viderut probabilior, quoniam non tantum dixit; veni, ut videntes cæci fiant, quod pertineret ad iudicium sumptum pro damnatione; sed dicit, *et qui non vident videant*, &c. quod pertinet ad opus discretionis. Hic sensus reddetur dilucidior ex iis, quæ diximus cap. 5. in illis verbis, *Neque enim Pater indicat quemquam.*

*Cæci pro
ignorante.*

Si cæci esatis, &c.] Id est, si reuera ignorantibus esatis, neque legissetis Scripturas, neque opera mea vidissetis, quæ non patiuntur, vos ignorare, me esse Messiam, non haberetis peccatum infidelitatis. Atque reuera non esatis ignorantibus, ut plebeij, sed istantes vos habere lumen scientiæ, & cognitionem Scripturarum, peccatum habetis infidelitatis, quod semper manet, & ita cæci manebitis, & in peccato vestro moriemini.

Potest

Potest etiam exponi, ut ait Augustinus, si ceci essetis, scilicet in opere vestro, & agnosceretis vos lumine indigere, non haberetis peccatum, quoniam quereretis, à quo doceremini; & probat hunc sensum Augustinus, ex eo quod ait, *nunc verò dicitis, quia videmus.* Ex quo intelligitur Dominum non loqui de eo, quod erat, sed de eo, quod ipsi putabant de se.

De spirituali sensu huius miraculi, vide Ambrosium lib. 3. de Sacramentis, cap. 2. & Augustinum & Theophylactum propè finem huius cap. & Rupertum.

Ribera in Ewang. Ioan.

Gg

SAN



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T X.

1. **A**MEN, amen dico vobis: qui non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. 2. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. 3. Huic ostiarius aperit, & oves vocem eius audiunt, & proprias oves vocat nominatim, & educit eas. 4. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. 5. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. 6. Hoc proverbum dixit eis Iesus. Illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. 7. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen, amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. 8. Omnes quotquot venerunt, fures sunt, & latrones, & non audierunt eos oves. 9. Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. 10. Fur non venit nisi ut furetur, & mactet, & perdat. Ego veni ut vitam habeant, & abundantiū habeant. 11. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. 12. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oves proprie, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oves: 13. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. 14. Ego sum pastor bonus: & cognosco meas, & cognoscunt me me&e. 15. Sicut nouit me Pater, & ego agnoscio Patrem: & animam meam pono pro ouibus meis. 16. Et alias oves habeo, que non sunt ex hoc ouili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fieri unum ouile, & unus pastor. 17. Propterea me diligit Pater: quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. 18. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam: Hoc mandatum accepi a Patre meo. 19. Dissenſio iterum facta est inter Iudaos propter sermones hos. 20. Dicebant

Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid cum auditis? 21. Alij dicebant: Hæc verba non sunt dæmonium-habentis: numquid dæmonium potest cæcorum oculæ aperire? 22. Fæta sunt autem Encænia in Ierosolymis: & hiems erat. 23. Et ambulabat Iesus in templo, in portico Salomonis. 24. Circumdederunt ergo eum Iudei, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. 25. Respondit eis Iesus: Loquor vobis, & non creditis. opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me: 26. Sed vos non creditis, quia non estis ex omnibus meis. 27. Oves meæ vocem meam audiunt: & ego cognosco eas, & sequuntur me: 28. Et ego vitam æternam do eis: & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea. 29. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. 30. Ego & Pater unum sumus. 31. Sustulerunt ergo lapides Iudei, ut lapidarent eum. 32. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? 33. Responderunt ei Iudei: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum. 34. Respondit eis Iesus: Nonne scriptum est in lege vestra: quia ego dixi, dixi estis? 35. Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui Scriptura: 36. Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum? 37. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. 38. Si autem facio: & si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis, & credatis quia Pater in me est, & ego in Patre. 39. Quærebant ergo eum apprehendere, & exiuit de manibus eorum. 40. Et abiit iterum trans Iordanem, in eum locum, ubi erat Ioannes baptizans primum: & mansit illuc. 41. Et multi venerunt ad eum, & dicebant: Quia Ioannes quidem signum fecit nullum. 42. Omnia autem quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant. Et multi crediderunt in eum.

**I N C A P V T X . S A N C T I
IESV CHRISTI EVANGELII
S E C V N D V M I O A N N E M ,**

C O M M E N T A R I A .

AMEN, amen dico vobis.] Ne dicerent Pharisei, non propter nostram cæcitatem ad te non venimus, sed quia deceptor es, & aliena à veritate doces, ostendit in hoc capite se non esse deceptorem, sed pastorem, & omnino hominum salutem querere. ita Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius; docet etiam Phariseos, & alios nonnullos, qui eos præcesserant, non esse pastores populi, sed latrones, & occisores, & quid causæ sit, ut Pharisei sibi non crederent.

*Verus pa-
stor quis.
Quis fur.
Quis latro.*

Ille fur est, & latro.] Id est, hoc est certissimum signum, quo pastor à fure discernitur: nam verus pastor non habet, cur latebras querat, & furtim ingrediatur, quod proprium est furis; fur dicitur, qui occulteret, & dolose furatur; latro, qui spoliat, & occidit. Augustinus tract. 45. **F**ur est, quia quod alienum est, suum dicit: latro est, quia & quod furatus est, occidit. & eadem vis est in Græcis nominibus; quoniam autem idem, qui prius est fur, post etiam fit latro occidendo, sicut ait statim, fur non venire, nisi ut furetur, & mactet, & perdat, ideo ait, ille fur est, & latro.

Et educit eas.] Ad pascua.

*Veris pasto-
ris officium
quod.*

Ante eas vadit.] Scilicet ut rectam viam demonstret, & ita non mutus præcedit, sed voce suâ prouocans eas ad sequendum: hoc autem dicit iuxta quarundam regionum morem, in quibus pastores præcedunt, & oves eos sequuntur, quem probabile est tunc fuisse in Iudæa. ira Lyra & Iansenius c. 39. At Chrysostomus homil. 58. aliter intelligit, ita enim ait: **C**ontrarium pastores faciunt, sequuntur, non præcedunt; sed ut se omnium ad veritatem inueniendam ducem ostendat, contrarium pastoribus morem seruat. Idem aiunt Theophylactus, & Euthymius, & S. Thomas; addit Euthymius Christum præcedere, quia fecit, quæ docuit, & exemplo suo nos inuitauit ad sequendum; & probatur contra Iansenium hunc morem non fuisse in Iudæa, & sustulit eum de gregibus ovium, de postfæctantes accepit eum; & 2. Reg. 7. Ego tulite de pascuis sequentem greges; atque ita videtur refelli prima explicatio. Secunda etiā Chrysostomi & aliorū nō videtur posse recipi, quoniam hæc est parabola, ut Euangelista testatur; quare necesse est, ea quæ dicuntur non solū vera esse in re, ad quā affertur similitudo

Psal. 71.

litudo, sed etiam prius vera esse in re, vnde petitur similitudo. Caietanus & Claudius dicunt pastorem ipsum, qui Dominus est gregis, præcedere ut feras abigat, & pascua ostendat, & oves eius voce commotæ illum sequuntur; ita enim ait, *& illum sequuntur oves, quia scimus vocem eius*, & custodes, & ministri sequuntur, de quibus non loquitur modò, quia tantum agit de præcipuo pastore; hæc expositio probabilis est. Ego tamen aliter respondendum arbitror, non esse istum morem in Iudea, vt semper pastores præcedant, vt iam probatum est; sed cum pastor notus est ouibus, & illæ sunt eius voci asluefactæ, tunc rectè fieri potest, vt ipse præcat, etiamsi nonnulli ministri subsequantur, quia satis est pastoris iam nota, & familiaris vox; & de huiusmodi pastore loquitur Dominus, vt patet ex eius verbis, atque hoc ita fieri solere probatur ex Psal. 79. *Qui regis Israël, intende, qui deducit velut oves Ioseph.* & vbi nos habemus ducem, L X X. posuerunt, *διδώνειν*, quod significat ducem esse itineris, & viam demonstrare, vt cum aliquis cæcum præcedit, vt recta via eum ducat: hoc verbum est Matth. 15. *Cæci sunt, & duces cæcorum*, vbi nos habemus duces, in Graeco est *ἀστόροι*, & ibidem, *cæcus autem, si caco ducatum præstet*, est idem verbum: probatur etiam ex Hieremia 17. *& ego non sum turbatus, te pastorem sequens*, vbi notum est sumi metaphoram ab ouibus pastorem sequentibus, & est sensus, etiamsi illi me vt mendacem riderent; tamen ego non sum turbatus, quia tu me præcedebas, vt pastor oves; ego enim non dicebam nisi quod tu dicere iubebas.

Hoc proverbiū dixit eis Iesus.] Vbi nos habemus proverbiū, in Graeco est *παρομία*, & Latine proverbiū dicitur. Videmus autem proverbia ferè semper aliquid obscuritatis habere, & aliud significare, quam primo aspectu videantur. Vnde à nonnullis Graecis ita definitur: Paroemia est aliquid apertum obscuritate contingens. Solet autem oriri hæc obscuritas ex eo, quod proverbia habent in se aliquam similitudinem, vel ab aliqua similitudine sumunt, inde quævis parabola, aut similitudo præsertim si obscurior sit, vocatur in Scriptura Hebraicè *מַסָּל*, à verbo *מַסָּל*, quod in passiuā voce significat assimilari, Graecè autem *παρομία*, sive *παραβολή*, Latine parabola, sive proverbiū. Exemplum habemus Ezech. 16. *Omnis qui assumit vulgo proverbiū, in se assumet illud, dicens, sicut mater, ita & filia eius.* Et c. 18. *Quid est quod inter vos parabolam veritatis in proverbiū istud, in terra Israël dicentes: Patres comedenterunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt;* in Hebreo est ad verbum, *Quid vobis parabolice loquimini parabolam;* idem enim est ibi *parabola*, & proverbiū. Exemplum est etiam in Proverbiis Salomonis, quæ propterea dicuntur ab Hebreis *מַסָּלִים*, & à nobis dicuntur *parabola*, sive *proverbia*; ita capitulū hīc proverbiū pro parabola, vt exponunt Euthymius & alij. Hinc etiam omnis obscura elocutio solet dici *masal*, sive *parabola* & *proverbiū*, quia metaphoras habet & similitudines, vt Ioan. 16. *Hac in proverbiis loquuntur sum vobis:* pro quo Augustinus 1. de Trinit. cap. 10. legit, in *autem Quid vobis regnū meum nō vides, inquit, Gg. 3. similitus*

Paroemia
quid.

Proverbiū
pro parabo-
la.

similitudinibus, id est, hæc loquutus sum vobis obscurè; quod satis patet, ex eo, quod sequitur, *Venit hora, cùm iam in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciaro vobis.* Et postea, *Ecce nunc palam loqueris, & proverbiū nullum dicis.* Hæc videtur docere Beda in principio Proverbiorum: & ad intelligentiam dictorum notandum est, illud verbum Prou. i. vbi Salomon de suis proverbiis ait, *Animaduert parabolam, & interpretationem, verba sapientium, & enigmata eorum.*

Dixit ergo eis iterum Iesus.] Quoniam non intellexerunt parabolam, dixit secundò eamdem parabolam verbis apertioribus.

Ouile, Ec-
clesia.

*Ego sum ostium.] Non fuit necesse exponere quid sit ouile, nam cùm loquitur de ouibus, quas electas esse subindicat, constat ouile esse Ecclesiam, in qua sunt electi mixti cù multis reprobis. Dicit autem se esse ostium ouiu, id est, per quod oves ingredi debeant in Ecclesiam, & in viam salutis, quandoquidem nisi per Christum nulla potest esse salus, Ioan. 6. *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.* Rom. 5. *Per quem habemus accessum per fidem in gratiā istam, in qua stamus, & gloriamur in spe filiorū Dei.**

*Omnes quotquot venerunt.] Quotquot venerunt, subaudiendum est, ante me, nec loquitur de Prophetis, ut Manichæi calumniabantur, quoniam Prophetæ non tam venerunt, quādā missi sunt à Deo; sed loquitur de falsis prophetis, qui populum deceperunt, de quibus Ier. 23. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipse prophetabant.* Et 2. Petri 2. *Fuerunt verò, & pseudo-Prophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis;* tales fuerunt Teudas & Iudas Galilæus, de quibus Actu 5. tales etiam fuerunt seniores, qui multas traditiones docevere Iudæos contra veram Dei doctrinam; isti fuerunt fures, & latrones, quia non intrauerunt per ostium, quod est Christus, cùm nec missi sint ab eo, ne docuerint populum veram Dei doctrinam, in qua Christus expectabatur, & per fidem & cærenonias, ac sacrificia ipsum significantia colebatur.*

Oves, electi.

Ostium, &
pastor quis.

*Sed non audierunt eos oves.] Id est, electi non receperunt eos, et si qui fortè seducti sunt, citò resipuerūt. Sed restat modò magna difficultas, quomodo illa, quæ superfluit in parabola, possint ad hunc sensum accommodari, ait enim, *qui autem intrat per ostium, pastor est ouiu, huic ostiarius aperit.* Si Dominus est ostium, quis est pastor? Aug. tract. 45. & 46. dicit cumdē Christum esse ostium, & pastorem, quia ipse dicit, *Ego sum ostium, & etiā dicit, ego sum pastor bonus.* quod si ita est, Christas intrat per se ipsum, & quidē hoc potest concedi: nō ostium est, quatenus per ipsum intramus ad Deū, & ad beatitudinem; pastor autem, quatenus præbet nobis pascua doctrinæ salutaris, & docet viā veræ beatitudinis. Ut autē pseudo-Prophetæ non intrabant per hoc ostium, quia non docebant homines verā doctrinā, per quam Christū redemptorē expectarent, & eū ad recipiendū præparent; ita Christus dicitur intrare per ostium, id est, per se, id est, quia docet hominēs verām doctrinam, & aperuit prophetias, quibus ipse promittebatur, vt ab hominibus reciperetur. Chrys. & Theoph. & Euth. facilius hunc nodum dissoluunt, docent enim ostium esse spiritum sanctum, iuxta quæ semper docuit Christus.*

At

At huic expositioni nō conuenit expositio ipsius Domini, qui ait, *Ego sum ostium*; propterea existimō Dominū, cūm ait, *qui autē intrat per ostiū, pastor est ouium*, non de se loqui, sed de suis ministris, id est, de quocumque bono pastore, vt hoc signo malus pastor discernatur à bono, quod bonus intrat per ostiū, malus refugit hoc ostiū, & ascendit aliunde; unde hīc sine articulo ponitur pastor, vt hoc significetur: postea autē, cūm iam de scipio loquitur, *Ego sum pastor bonus*, articulus additur, & quidē duplex, itaque cum in fine c. 9. dixisset, peccatū Pharisæorum manere, quia non ignorantia, sed malitia ipsum auersabantur, docet statim in principio huius capititis, quām graue sit ipsoꝝ peccatū, & quām noxiū vniuerso populo; quasi dicat, dicitis vos videre, & populi magistri esse vultis, cūm tamen nō magistri sitis, aut pastores, sed fures, & latrones, quia nō vultis recipere me, & docere populū, quod de me cognoscitis ex Scriptura, sed docetis eū traditiones seniōrū contra veram Dei doctrinā, quas discitis à vestris pseudo-Prophetis, qui fures fuerunt & latrones, sicut & vos estis. Ostiariū Aug. tract. 46. dicit esse ipsum Christū, quatenus scipsum aperit, & scipsum exponit: vel etiā esse Spiritum sanctū, nam ostiū est Christus, Christus autē est veritas; quis autē aperit ostiū, nisi qui docet omnem veritatem, quod de Spiritu sancto scriptum est Ioan. 16. *Ipse vos docebit omnem veritatem*; & hoc secundū mihi videtur multo probabilius: sed quemadmodū in ostio tantū consideratur ratio ostij, quod per illud ingrediantur, & nō dicitur Christus, quatenus ostiū minus est Domino domus, aut alterius naturæ ab ipso; ita Spiritus sanctus dicitur Ostiarius, eo quod per Christū introducit illos, & eis aperit omnē veritatem, nō quod minister sit, aut minor Domino domus, id est, Patre, id est, aut sit maior ostio, quod est Christus. atque hoc considerandū esse tantummodo in rebus, quibus vtitur Scriptura ad aliud significandū, docet elegāter Rufinus in principio Symboli, *Ego sum ostium*: quoniam dixerat se ostiū, per quod oues, & pastores ingredierentur, nunc exponit cur se ostiū dixerit, quoniā ad vitam nemo ingredi potest nisi per ipsum, & ideo ait, *per me si quis introierit*.

Etingreditur, & egreditur, & pascua inueniet.] Theoph. exponit, magnā habebit securitatē, hoc enim significat per hoc quod dicit, *ingredietur, & egreditur, &c.* quasi adnotans esse peculiarem Scripturæ phrasim: quod expressiū docent Titel. & Ians. c. 79. & probant hanc phrasim ex Psal. 120. *Dominus custodiet introiū tuum, & exitum tuum*, id est, Dominus te custodiat in omnibus, ad quæ miseris manū sive domi, sive foris. & 1. Reg. 18. *Et egrediebatur, & intrabat in conspectu populi*, id est, liberè, & familiariter cū eis cōuersabatur: ita nūc ingredietur, id est, securè conuersabitur, ad omnia, quæ volet, liberè se conuerteret. Mont eodem ferè modo, *habebit sui potestatē*. & *verā libertatē*; at verò, quoniā ita loquitur de hominibus, vt à metaphorā ouium non recedat, quod patet ex eo, quod ait, *& pascua inueniet*, videtur hæc expositio non admodū germana, quoniā hoc potiū videt Dominus dicere, *ingredietur in ouile, & egreditur ad pascua*; iste enim est introitus, & exitus ouiū; deinde ingredi, & egredi nō significat securitatē habere, aut libertatē, vt postea indicabimus. Aug. tract. 45. dupliciter exponit, *primo tunc ingredimur,*

quando interius cogitamus, egredimur, quando exterius operamur; hæc expositio potest confirmari, ex paraphrasi Chaldaica, quæ, vbi nos habemus Psal. 120. Dominus custodiat introitum tuum, &c. ita habet, Deus custodiet exitum tuum ad negotiationem, & introitum tuum ad studia legis; sed tamen huic expositioni Augustinus prefert alteram, quam dicit se colligere ex verbis Domini sequentibus, Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant; ut vitam habeant, scilicet ingredientes in Ecclesiam per fidem, quæ per dilectionem operatur; & abundantius habeant, scilicet egredientes per idem ostium, scilicet per fidem Christi, quoniam veri fideles moriuntur, & abundantius habebunt vitam, in æterna beatitudine. Quod autem ait, & pascua inueniet, dicit ad utrumque referri posse, & ad ingressum, & magis propriæ ad egressum, tunc enim vera pascua inuenient, quando saturabuntur, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, qualia pascua inuenit, cum dictum est, Hodie mecum eris in paradiſo, Lucæ 23. Hæc secunda expositio Augustini mihi magis placet, propter rationem iam adductam contra primam expositionem: seruat enim proprietatem verborum, & metaphoræ ouium. Sed possumus aliter etiam interpretari, non sumendo propriæ hæc verba, sed referendo ad peculiarem quandam phrasim Hebræorum,

*Quid per introitum & exitum Au-
tor noster intelligat.*

qua per introitum & exitum intelligitur non libertas, aut securitas, vt illi auctores volebant, sed omnia opera, quæ homo facit, aut facere debet; vt 2. Reg. 3. Ignoras Abner filium Ner, quoniam venit ad te, ut deciperet, & sciret exitum tuum, & introitum tuum, & nosset omnia, quæ agis. Et 3. Reg. 3. Ego autem sum puer parvulus, & ignorans egressum, & introitum meum, quomodo me gerere debeam in operibus meis, & in regni administratione; & ita intelligitur illud, Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum, id est, omnia opera tua, ut rectè & prosperè vbique operearis, & illud, & egrediebatur, & intrabat in conspectu populi, id est, omnia opera, quæ faciebat David, placebant populo; ita etiam intelligitur illud Actor. 1. In omni tempore, quo exiuit, & intravit inter nos Dominus Iesus, id est, omni tempore, quo operatus est inter nos docendo & miracula faciendo. Eodem modo ingredietur, & egredietur, id est, faciet omnia opera sua, dabitur illi abundans gratia, qua omnia præcepta possit implere, & facere quicquid debet, ut Deo placeat, & ingressus per me inueniet pascua, id est, doctrinæ libertatem, & mysteriorum cœlestium cognitionem, quibus instruatur, & reficiatur, & excitetur ad operandum, iuxta illud Psal. 22. Dominus regit me, pro quo est in Hebræo, Dominus pastor meus, & nihil mihi deerit, in loco pascue, ibi me collocauit. Et Ezech. 34. In pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excellisis Israël erunt pascua. Quæ Ezechieliis verba Hieronymus intelligit de beatitudine, & de Ecclesia, & de utroque intelligendum, & pascua inueniet, ut & August. exposuit.

Fur non venit.] Quoniam dixit, per me si quis introierit, saluabitur.
quibus verbis ostendit eos solos saluari posse, qui ad se accederent per viam fidem, probat modò id, quasi dicat, sicut larrones sua

lucra

lucra quærebant, & honores, & opes, & oues trucidabant, ita ego veni, ut vitam habeant, non enim possunt haberent nisi per me. Cæterum hæc verba, ut vitam habeant, & abundantiū habeant, iam exposuimus ex Augustino de gratia & de gloria, & ita etiam intelligit Chrysostomus hom. 58. & Euthymius, & S. Thomas, & Iansenius. Possimus etiam exponere cum Iansenio, ut vitam habeant per iustificationem, & abundantiū habeant, quotidie magis ac magis in via Dei proficientes, iuxta illud 1. Thessalonic. 4. *Vt quemadmodum accepistis à nobis quomo^d oporteat vos ambulare, & placere Deo; sic & ambuletis, vt abundantis magis.* Possimus etiam tertio modo exponere, ut vitam habeant, scilicet gratiæ, soluto iam pretio per passionem, quod haec tenus expectabatur, & ut abundantiū habeant, quæ haec tenus homines habebant, & impleantur verba Prophetarum, quæ magnam gratiæ copiam pollicentur futuram tempore legis gratiæ.

Ego sum pastor bonus.] Quoniam dixerat se esse ostium, per quod & ne quis putaret pastorem esse Dominum ex eorum numero, quos per ostium ingredi dixit, ait, *Ego sum pastor bonus, cum duplice articulo, ego sum ille pastor, ille bonus, id est, princeps pastorum omnium, cui cæteri, in officio pastorali famulantur, quod nobis optimè exposuit Petrus 1. epistola cap. 5. Pascite, qui in vobis est gregem, &c. & cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem gloria coronam.* Alludit autem sine dubio Dominus ad prophetiam Ezech. c. 34. *Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, seruum meum David.*

Animam suam dat.] Id est, eius officium est, vitam omnibus periculis exponere pro ouibus, hanc phrasim adnotauimus cap. 1. vbi ait, *qua illuminat omnem hominem.*

Mercenarius autem, &c.] Id est, qui non ob utilitatem ouium, sed gratia mercedis, & lucri suscipit earum curam; quod satis exponitur verbis sequentibus. De his mercenariis pulchre Ier. 23. & Ezech. 34. *V. a pastribus Isræl, qui pascibant semet-ipso, &c.* Videtur autem notare præsentes Pharisæorum mores, & simul nobis describit formam veri pastoris euangelici, & mercenarij.

Cuius non sunt oues propria.] Videtur ex hoc sequi, omnes pastores Ecclesiæ esse mercenarios, quoniam oues illorum non sunt propriæ, sed Domini. Vnde & ipsi Petro ait Dominus Ioan. ultimo, *Pascione meas, non dixi, tuas.* Respondetur, hos esse pastores, & non mercenarios, si recte suo munere fungantur, quoniam veri pastoris locum, & auctoritatem habent, & oues pascunt, quasi suas, propter amorem, quo Christum prosequuntur; quare si ita non pascunt, iam magis mercenariis quænà pastoribus similes sunt.

Videt lupum.] Id est, tyrannum à fide Christi homines deterrentem, aut hereticum, aut denique diabolum persecutions excitantem in Christianos. 1. Petri. 5. *Aduersarius vester diabolus tam-*

Ribera in Euang. Ioan.

H h

quam

*Pater Christi-
sus.*

Eius officiū.

*Mercena-
rius quis.*

*Pastores;
Ecclesiæ
qui, co-
rūnque of-
ficiū.*

quam leo rugiens circuit, querens quem devoret.
Et dispergit oves.] Lyra exponit, recedere facit à suo pastore, id est, ab unitate Ecclesiastica. At non videtur bene ita exponi, nam segregare ab unitate Ecclesiae, quid est aliud, quam rapere, & occidere. Ideo aliter mihi dicendum videtur. Lupus oves quasdam rapit, & quas non rapit, dispergit dum eum fugiunt qua quæque potest, ita lupus, id est, hereticus, aut tyrannus, si non potest omnes vincere, & terrefacit tamen, & fugat, ac perturbat, & multa bona, quæ faciebant, relinquere cogit.

Et non pertinet ad eum de ouibus.] Id est, non sunt illi curæ oves, aut salus ouium. Marc. 4. *Magister non ad te pertinet, quia perimus.* Quod apertius Lucæ 10. *Non est tibi cura quod soror mea reliquit me solam, &c.* his enim in locis omnibus est in Græco idem verbum μέλλει.

Quæ desiderantur à bono pastore.

Ego sum pastor bonus.] Iterum repetit, vt & magis confirmet, & ostendat id verum esse, quoniam habet ea, quæ in bono pastore desiderari possunt, id est, cognoscere oves, & cognosci ab illis, & animam pro illis dare, in quibus facile cætera omnia pastoris officia intelliguntur.

Et cognosco oves meas.] Id est, cognosco omnes electos, quos adducturus sum in vitam æternam hoc intelligitur optimè ex 2. Tim. 2. *Et subuerterunt quorumdam fidem, sed firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt eius.*

Et cognoscunt me mee.] Id est, habent in animis suis intimam mei cognitionem, & vocem meam cognoscunt, & sequuntur, vt oves, quæ vultum, & vocem pastoris sui nouerint: de hac cognitione dicemus verbis sequentibus.

Sicut nouit me Pater, &c.] Hæc verba possunt coniungi, cum præcedentibus, ad hunc modum cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ, vt statim pro similitudine ponatur, *sicut nouit me Pater, &c.* vt sit sensus, sicut Pater me nouit, & ego Patrem, ita oves meæ cognoscunt me, & ego illas, atque ita intellexerunt Caietanus, & Iansenius cap. 79. tunc autem in his verbis ira intelligenda est similitudo, vt intelligamus non poni æqualitatem, sicut cap. 6. *Sicut me misit viuens Pater, & ego viuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me;* Sed mihi multo magis placet nouam sententiam incipere ex his verbis, *sicut nouit me Pater, &c.* vt volunt Chrysostomus, & Euthymius, & vt omnes codices indicant, vt sit sensus, sicut Pater nouit me, id est, intime diligit, & omnia sua mihi communicat, & omnia, quæ volo, facit; ita ego diligo Patrem, & cognosco quod velit, & vt eius voluntas impleatur, trado ei vitam meam, & volo libenter mori, vt salui fiant electi, quos mihi commisit, & dedit. Itaque verbum,

verbum, cognosco, non solum actum intellectus indicat, sed etiam amorem, & opera, quibus amor indicatur ita accepit, cum dixit, cognosco oves meas, &c. ex quo intelligitur illud Rom. 8. Quos predestinavit, & cap. 11. Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit, & illud, Cognovit Dominus, qui sunt eius; ita etiam Amos 3. Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognitionibus terre; inde Matth. 7. Tunc confitebor illis, quia non nos vos, id est, nolo vobis benefacere, quod nouimus. Osee 13. Ibi cognoui te in deserto. Quod autem dicit, pono animam meam, præsenti tempore vtitur, propter rei celeritatem, & certitudinem, quia cito positurus erat in passione.

Cognosco,
quid deno-
tet.

Et alias ones habeo.] Significat eos, qui electi erant ex gentilitate, quos propter hanc electionem æternam vocavit ones, sicut & cap. 11. eosdem vocat filios Dei; sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum, ideo dixit, que non sunt ex hoc ouili, id est, ex hoc populo Iudeorum.

ones Domi-
ni qua.

Et fiet unum ouile, & unus pastor.] Prædicit Gentiles per prædicationem Apostolorum ad fidem esse adducendos, & ex eis, atque ex Iudeis, unum populum, & unam Ecclesiam fieri debere; fiet unum ouile, id est, unus grex intra eamdem Ecclesiam, & habebunt omnes eundem pastorem Christum. Osee 1. Et congregabunt filii Iuda, & filii Israël pariter, & ponent sibi met caput unum; & Micheæ 2. Congregabo Iacob totum, & haec prophetia impleri cœpit prædicantibus Apostolis, cum conuersa est multitudo Gentilium, & quotidie impletur in Gentilium, & Iudeorum conuersione, & denique implebitur in fine mundi, cum conuerterentur Iudei, non est tamen putandum aut factum esse aliquando, aut futurum esse postea, ut omnes homines conuertantur ad Euangelium Iudei, & Gentiles, ita ut nullus restet infidelis, non enim loquitur de omnibus hominibus, sed de ouibus, id est, de prædestinatis ex utroque populo.

Gentilium
conuersio
prædicatur.

Propterea me diligit Pater.] Quoniam videtur nullo modo posse concedi mortem Christi esse causam solam ut diligatur à Patre, autores variè haec verba interpretantur. Caietanus ita: Non dixit, propterea diligit me Pater absolute, sed quia pono animam meam, diligit me Pater, ut iterum eam sumam. Sed hanc expositionem, quæ etiam videtur esse Lyra, Iansenius duram & coactam esse dicit; propterea ipse ita putat exponendum: Sicut si filius semper Patri suo charissimus, aliquid faceret, quo magnopere Patri gratificaretur, vere dicere posset, propterea me diligit Pater, quia hoc opus feci; ita modo Christus dicit, propterea me diligit Pater, quasi dicat, in hoc erga me peculiarem rationem amoris & complacentie habet Pater, & ex ea parte me gratissimum habet, quod ei ita consentiam in amore hominum, ut pro eis mors velim. Hanc expositionem simul cum verbis defumpsit ex Titelmano. Sed obstat ei, quod in hac similitudine: Pater sine dubio intensius amaret filium, quam antea, nec aliter vere dicere posset, propterea me diligit Pater.

Hh 2 At

At Christus propter passionem non intensius amatur à Patre. Mihi videntur hæc verba pendere ex præcedentibus, & alias oues habeo, & fiet unum ouis, & unus pastor, ut sit sensus, propterea Pater ita me diligit, vt dixi, id est, ita me honorat, vt velit, me ab omnibus hominibus agnosci, & adorari, & omnes ad me conuersti, vt sim omnium caput & princeps, quia ego pono animam meam pro illis; & alludit pro rorsus ad illud, quod dictum est Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur, &c.* usque ad finem capituli: nam visitatum est valde in Scriptura, vt causa ponatur pro effectu; sic hic ponitur dilectio pro beneficiis ex ea securis: ita Deus dicitur diligere, & odire, & irasci, & misereri, quia facit opera, quæ ex his affectibus sequuntur in hominibus, & ita intellexit hic S. Thom. dilectionem.

*Dilectio pro
beneficiis.*

Vt iterum sumam eam.] Quoniam dixit pono animam, ne putent cum ita esse moriturum, vt non resurgat ait, pono quidem illam, sed iterum sumpturus, vt cum postea audierint Iudei prædicari resurrectionem, sciant non solum verum esse, quod prædicatur, sed etiam ab ipso fuisse prædictum; & hoc magis explicat verbis sequentibus, *Nemo tollit eam à me, id est, nemo posset eam à me tollere, sed ego à me ipso, id est sponte mea illam pono.*

In hoc sequitur au-
tor senten-
tia Paluda-
ni & Dio-
nysii Cister-
cens, tamen

Hoc mandatum accepi à Patre meo.] Chrysostomus hom. 59. Præceptum se à Patre accepisse dicens, nihil aliud ostendit quam idem Patris videvi, quod facit, & addit dixisse eum: *Bonus pastor animam suam dat pro omnibus;* vt ostendat se præcepto non indigere. Et hom. 75. exponens illa verba cap. 15. *Sicut & ego Patris mei præcepta seruavi,* ait rursus, *Humano more loquitur, neque enim legistorem legis subditum esse oportet.* Et ibidem Cyrillus: *Quod Patri placere videbat, vt ipse faceret, & quod definitum erat, id mandatum vocat.* Idem sentit Theophylactus, & Euthymius hic, & ita intelligendum est illud cap. 14. *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio;* & Philip. 1. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Et probari potest apertissime ex 1. Tim. 1. *Lex iusto non est posita,* &c. Si enim iustus non indiger lege, vt faciat voluntatem Dei, quanto magis Christus; quod autem scriptum est ad Gal. 4. *Misit Dominus filium suum natum ex muliere, factum sub lege,* nihil aliud significat, quam Christum sponte sua, se subiecisse legi Moysis, opera legis implendo, vt legem probaret, & ad se ordinaram esse doceret, & Iudeis omnem calumniandi occasionem adimeret, vt docet S. Thomas 3. p. quæst. 40. artic. 4. & eodem modo videntur explicare Ambrosius ibi, & Augustinus in libello expositionis eiusdem epistolæ. Idem etiam significat Dionysius cap. 4. de cœlesti Hierarch. cùm dicit Christum obsecutum fuisse paternis institutis, & traditionibus.

Dissensio iterum facta est.] Dicit iterum alludens ad illud cap. 7.

Dissensio

Diffensio itaque facta est in turba propter eum.

Dæmonum habet.] Hoc exposuimus c.8. nunc nomen ipsum explicabimus. Dæmon apud Ethnicos semper in bonam partem sumitur, & ^{Dæmon & dæmonium quid.} Deum significat. Dicitur enim *Dæmon* apud Græcos, quasi *δαίμων*, id est, *sciens*, à verbo *δαίμων*, quod olim significabat *scio*, vt auctor est Plato in Cratyllo, & Lactantius lib.2.c.15. & Augustinus q.de Ciuit.c.20. Propterea Dij ab Homero, & ab aliis passim dicuntur dæmones: dæmonium autem significat Deum summum, qui omnia gubernat, aut denique Deum. Vnde Proverbium Græcorum, *Homo homini dæmonium*, ^{Pro. apud Græcos: Homo homini dæmoniū.} & ita intelligitur, illud, *nō uorum dæmoniorum videtur annunciator, quia Iesum, & resurrectionem annuntiabat eis*, id est, nouorum Deorum. Sed quoniam isti Dij gentium erant mali Angeli, & damnati, inde in Scriptura numquam ista nomina sumuntur in bonam partem, sed semper tribuuntur damnatis spiritibus, vt ait Augustinus 9. de Ciuitate c.19. vt Psal.95. *Omnis Dij gentium dæmonia. 1. Corinth.10. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Sed est præterea notandum ex Montano lib. de arcana serm.c.5. hoc nomen ita significari malos spiritus in Scriptura, vt connotet simul autoritatem quandam, & potestatem Deo aduersantem, & hominibus nocere studentem, quam præ superbia sibi usurpat, quod ego omnino fieri arbitror, quoniam dæmon Deum significat, & ideo quando Scriptura vult significare istam potestatein Deo aduersantem, vtitur hoc nomine; hinc sit, vt hoc nomen Deo opponi soleat, vt Deuter.32. *Immolarerunt dæmonis, & non Deo.* Hinc dictum est Lucæ 11. In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia; ita dicunt Christum dæmonium habere, quasi velint ostendere, non consentire cum Deo, sed ei potius aduersari, & ita dicunt, *Numquid dæmonium potest cœcorum oculos aperire; quasi dicant, etiamsi posset, non faceret, cum semper hominibus nocere studeat.*

Facta sunt autem encanaria, &c.] Encanaria vocantur, festa dedicatio- ^{Encanaria quid.} nis templi, vt notant Augustinus, Beda, & cæteri, vnde, *ἐνενάντιον si- gnificat dedicare, iniciari. 3. Reg.8. Dedicauerunt templum Domini Rex, & filii Israël.* Vbi nos habemus, *dedicauerunt*, est in Græco hoc verbum. Constat autem ter fuisse templum dedicatum, primò quando ædificatum est à Salomone: secundò quando reuersi de captiuitate Babylonica, iterum ædificauerunt, & dedicauerunt Deo templum: tertio quando fuit prophanatum ab Ethniciis, & ex parte dirutum, & recuperatum est à Iudeis, & mundatum, ac dedicatum tempore Iude Machabæi; quare dubium est de qua dedicatione loquatur Euangeli- ^{Et quare instituta.} sta. Nonnus quidem ait hanc solemnitatem, de qua modò loquitur Euanglista, fuisse institutam in memoriam primæ dedicationis; sed hoc falsum esse constat, quoniam illa facta est mense septimo, vt patet 3. Reg. 8. Cùm autem hæc facta est, hyems erat, vt ait Euanglista. Tota ergo dubitatio est de secunda, & tertia. Chrysostomus hom. 60. & Theophylactus, & Euthymius, & Erasmus, & Caietanus dicunt

hæc encœnia fuisse facta in memoriam secundæ dedicationis; sed si ne dubio, dicendum est facta esse in memoriam tertiaræ, quemadmodum docent Glosa, & Beda, & S.Thomas, & Lyra, & Titelmanus, & Iansenius c.93. & Montanns. Ratio istorum authorū est, quoniam Iudæi post redditum ex Babylone dedicauerant templum tempore veris, tertia autem dedicatio facta est hyeme, id est, 25. die mensis Noni, qui est Nouember, ut patet i. Machab. 4. sed videtur hæc ratio parum efficere: nam secundum templum perfectum est tertia die mensis Adar, qui est mensis ultimus, ut patet i. Esdræ 6. cui responderet apud nos Februarius; nec est dubitandum statim factam esse dedicationem, ut ex eodem loco intelligi potest.

Cur ergo non dicimus Euangelistam loqui de hac dedicatione secunda, quandoquilem non est facta tempore veris, sed tempore hyemis? Respondetur Euangelistam sine dubio loqui de tertia, & hoc probatur ex eo, quod in solâ tertia dedicatione legimus institutum fuisse, ut dies ille quotannis celebraretur. i. Machab. 4. Atque hic mos seruatus est, usque ad tempus Iosephi, ut ipse scribit 12. Antiquit. c.11. 1. post aduentum Christi. Deinde, quoniam dedicatio secunda facta est 23. die mensis Adar, ut ait Ioseph. 11. Antiquitat. c.4. qui mensis erat duodecimus, ut docet Scriptura Esther 3. & 5. & 16. Quare mendosè legitur, in hoc posteriore loco Iosephi, 23. mensis 11. qui est Adar, cum sit legendum mensis 12. Ex quo patet Pascha continuò celebratum esse post viginti dies, quandoquidem celebrebatur 14. die mensis primi. His autem viginti diebus non videntur fieri potuisse, ea quæ Euangelista narrat: nam ait in fine huius capituli, & abiit iterum trans Iordanem, & mansit ibi, & multi venerunt ad eum, & c. 11. Cum esset ibidem, accersitus est, ut Lazarum sanaret, & inuenit eum iam quatuor dies habentem in monumento, & postea abiit in regionem iuxta deseruum, & morabatur ibi cum discipulis suis.

Deinde dicit Euangelista cap. 12. *Iesus ergo ante sex dies Pascha venit Bethaniam;* ergo non potest intelligi de secunda dedicatione, sed de tertia. Sed virget Caietanus, & probat solam secundam dedicationem factam fuisse hyeme, quoniam facta est die tertia mensis 12. hyems autem incipit mense decimo, & comprehendit duodecimum; habet enim tres menses & eodem arguento probat tertiam dedicationem non fuisse factam hyeme, sed potius Autumno: nam mense septimo, qui est September, incipit Autumnus, & cum habeat tres menses, comprehendit mensem nonum, qui est Nouember, cuius 25. die facta est tertia dedicatio: non ergo loquitur de illa Euangelista, quandoquidem facta est hyeme. Respondetur tamen menses nostros non adæquatè correspondere mensibus Hebraeorum, quoniam illi cum luna incipiebant, & finiebant menses suos. Vnde septimo mense correspondet September,

Iosephi loci corrumpit.

Menses nostri à mensibus Hebraeorum differunt.

ber , & pars Augusti ; octauo mensi October , & pars Nouembris ; nono Nouember , & pars Decembris . Cum autem haec dedicatio tertia facta fuerit 25. die mensis Nouembris , iam sine dubio pertinet ad hyemem , quandoquidem mensis nonus continet partem Decembris . Eadem ratione mensi decimo correspondet December , & pars Ianuarij ; vndecimo Ianuarius , & pars Februarij ; duodecimo Februarius , & pars Martij . Cum igitur secunda dedicatio facta fuerit , iuxta Iosephum , 23. die mensis 12. Inde authores citati merito dicunt factam fuisse tempore veris , quoniam mensis 12. continet partem Martij , quo incipit ver . Vnde Lyra dicit factam fuisse mense Martio , S. Thomas die Martij . Totum hoc satis probatur ex eo , quod nostrum Pascha celebratur eodem tempore , quo Iudei celebrabant suum , nec discrepamus ab illis , nisi paucissimis diebus , & tamen semper ferè incidit nostrum Pascha in mensem Aprilem , cum illi semper celebrent suum Pascha 14. die primi mensis , cui dicitur vulgo Martius correspondere .

Et hyems erat.] Augustinus tract. 48. *Hyems erat , & frigidi erant , ad illum enim diuinum ignem accedere pigri erant . Euthymius , Hyems erat , non solum ob aeris intemperiem , sed etiam ob infidelitatem ; est enim notanda celeberrima regula Scriptura qua solet ex notatione temporis , & similiū circumstantia autem tacite ostendere , qualis sit res qua narrari incipit . Hanc tradit , & confirmat eleganter Gregor. 2. Moral.c.2.*

In porticu Salomonis.] De hac porticu nihil certi tradunt huius loci exposatores , ut notarunt Titelmanus & Iansenius c. 93. S. Thomas dicit esse locum , in quo Salomon stetit , in quo , peracta dedicatione , oravit . Titelmanus , & Iansenius dicunt forte ita dici , quia ibi Salomon loquebatur populo , aut ibi morabatur dum sacrificia siebant . Caietanus haec omnia impugnat , quoniam cum templum Salomonis fuerit exustum à Chaldaeis , iam non manebat porticus à Salomone exusta . Sed iam huic obiectioni responderat . S. Thomas , & alij similiter respondent , dici porticum Salomonis , quoniam altera ei similis aedificata est in eodem loco . Sed nihil necesse est diuinare , cum veritas intelligi possit ex Iosepho , qui lib. 6. de Bello Iudaico cap. 6. ita ait : *Templum supra altissimum collum aedificatum est , huius collis partem orientalem è regione urbis Salomon praeinxit muro , & aggere planiciem cinxit , erat enim collis undique praecipus , & declivis , atque ita in planicie porticum extruxit , & ceteris ex partibus nudum templum mansit , donec paulatim posterioribus facultis totus collis muris cinctus est , & populo semper aliquid aggeris accumulante coequatus est immensis sumptibus , & maxima planicies relicta , in qua aliae porticus extructae sunt , presertim ab Herode qui etiam vallem profundiissimam versus orientale*

*Porticus
hec Salomo-
nis quid.*

tales urbis latus è regione templi complanauit; & ibi quadriporticum pulcherrimam fecit, ut ait idem Iosephus 15. antiquita. c. 14. Porticus, quam Salomon adificauit in illa planicie, à se coequata, dicta est porticus Salomonis, quoniam eius tempore tantum à parte orientali complanata fuerat propensitas montis, & postea catena porticus additæ fuerant, & quamvis adiutorium eretum in hac planicie, eversum fuerit à Chaldais, mansit tamen area illa, que ab eo magnis sumptibus complanata est, atque ideo porticus in ea adificata hac peculiari ratione semper retinuit porticum Salomonis. Quod autem putat Titelmanus, & Iansenius videtur suspicari, hanc porticum esse, de qua dicitur 3. Reg. 6. & porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis iuxta mensuram latitudinis templi, falsum omnino est, nam ea porticus erat, quæ dicitur vestibulum, & erat interior atrio sacerdotum; quare Salomon, cum sacerdos non esset, nullo modo in ea orare, aut loqui populo potuit; meminit tamen Scriptura huius porticus Salomonis 2. Paralip. 4. & vocat eam basilicam grandem, ita enim ait: *Fecit etiam atrium sacerdotum, & basilicam grandem, & ostia in basilica, qua texit are;* in hac basilica erat atrium virorum, & atrium mulierum, & atrium prophanum; & quamvis dicamus templum ex cæteris partibus nadum fuisse relictum, non est putandum hanc porticum non cinxisse ex omni parte templi, cingebat enim, ut ex locis citatis Iosephi intelligi potest, ex Beda in lib. de templo Salomonis c. 16. sed haec porticus erat ab Oriente ad modum longa, & spaciofa, cæteris autem partibus admodum angusta, quoniam Salomon non complanauit, nisi profunditatem, quæ erat à parte orientali. Cum igitur dicit Euangelista Dominum deambulasse in portico Salomonis, intelligendum est in atrio virorum, quod proximum est atrio sacerdotum, vbi & orare, & loqui potuit Salomon: nam quadri porticus, & porticus duplices additæ ab Herode ab Oriente, non pertinebant ad porticum Salomonis, sed copulabantur cum atrio prophano.

*Christum
quare cir-
cumde-
rint Iudai.
Tollendi
verbum.*

Circumdederunt ergo eum. Quasi multum optantes eius responsonem, & quasi cogere eum volentes ipsa multitudine, ut sibi responderet, ut possent eum in sermone capere, & accusare.

*Quousque animam nostram tollis? Non accipitur tollis animam, quasi dicat, occidis nos, sed tollis, id est, sublevas, & suspendis, ut vertunt Pagninus, & Erasmus, & ex Graeco est apertum, vbi est *ἀπειστέλλεις*, id est, tollis Euthymius interpretatur *suspensam*, ac dubiam tenes: fingunt se cruciari desiderio cognoscendi veritatem.*

*Prædestina-
torum pra-
mium.*

Loquor vobis, & non creditis.] Id eit, iam diu vobis veritatem aperio, nec umquam creditis; non est, quod vobis respondeam, cum ipsa opera, quæ ego virtute, ac potestate à Patre accepta facio, satis respondeant ad id, quod queritis. At vos non vultis credere, non quia veritatem non audieritis, sed quia non estis ex prædestinatis, illi enim audiunt vocem meam, & credunt, & ego eos cognosco, & amo, & quia me sequuntur, do illis vitam æternam. Cum autem dicit, non creditis, quia non estis ex omnibus meis, non est intelligendum diuinam reprobationem

nem causam esse illis non credendi , causa enim est eorum pertinacia, *Non crederetis*
 & superbia, sed loquitur more Scripturæ recepto, etiam apud nos; qua-
 si dicat, damnandi estis , cùm non sitis ex electis, & admissi estis pec-
 cata, quibus hanc damnationem mereamini , atque ita nòn est mitum
 vos non credere non ita similiter dixit cap.8. *Propterea vos non creditis,*
quia ex Deo non estis.

Et non peribunt in æternum.] Videlicet dicere , peribunt ad aliquod
 tempus , vel videbuntur perire , non tamen peribunt in æternum. ita
 Interlinealis intellexit. At non est iste sensus, nihil enim hic affirmatur,
 sed totum negatur; id est, numquam peribunt, vt Ioan. 13. *Non lauabis*
michi pedes in æternum. Psal. 118. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas.
Marc. 113. qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum , non habebit re-
missionem in æternum , sed reus erit æterni delicti ; & Ioan. 40. Non sicut in
æternum. Ex his locis cognita phrasis Scripturæ, intelligenda sunt alia,
 quæ primo aspectu videntur habere posse sensum illum. Interlinealis,
 vt Psal. 14. *Qui facit haec , non impunebitur in æternum , & Psal. 30. Non confun-*
dar in æternum , &c.

Et non rapiet eos quisquam de manu mea.] Id est, nec ipsi exire volent,
 nec quisquam erit tam potens, vt eas mihi eripere possit in perpetuum:
 hoc probat ex verbis sequentibus, *Pater meus quod dedit mihi , &c.* Cùm
 autem dicit , *de manu mea , & de manu Patris mei ,* manum vocat potes-
 statem.

Pater meus , quod dedit mihi , maius omnibus est.] Chrysost. & cæteri Græci legunt, *Pater meus , qui dedit mihi , maior omnibus est , id est , Pater meus ,* qui dedit mihi has oves , maior, & potentior omnibus est, & ita nemo poterit de manu eius rapere. At Hilarius lib.7. de Trinit. Fol.4. & August. & Latini legunt, sicut nos habemus, *quod dedit mihi , maius omnibus est.* Et omnis expositionibus Titelmani, & Erasmi , qui hoc, quod datum est filio, putant esse oves; sensus communis, & germanissimus est , dixi neminem erexitur mihi è manibus oves , quoniam Patri meo nemo potest eripere; ergo nec mihi , qui habeo eandem cum Patre naturam, & potestatem nam quod mihi Pater dedit, est res omnium maxima, quâ ipse maiorem non habet, id est, substantia sua, quam dedit mihi per æternam generationem: cùm autem Pater nihil maius habeat eo, quod dedit mihi, sequitur me eandem cum illo habere potestatem. Ita omnino exponit Hilarius loco citato; atque ita firmiter, vt putet aliter non posse intelligi. Atque vt videamus , quantam autoritatem habeat hæc expositio , ita exposuit Consilium generale Lateranense, c.2. quod refertur in c. damnamus de summa Trinitate & fide Cathol. vbi ita ait: *Pater enim ab aeterno filium generando , suam substantiam ei dedit ,* *suxta quod ipse testatur: Pater quod dedit mihi , maius omnibus est.*

Ego , & Pater unum sumus.] Quoniam dixit , *Pater , quod dedit mihi ,* *maiis omnibus est , & id obscurum videbatur , simûlque ne quis putaret*
filium aliqua in re esse Patrem minorem , eò quod ab illo hanc potestatē
acepisset , ait ; Ego , & Pater unum sumus ; quasi dicat , distinctæ quidem
ii. 31. Riberia in Enarr. Ioan. *Li* *funt*

*Arrianis
& Sabellia-
nis conuin-
cēdū locū.*

*Erasmus
pro Arria-
nus.*

sunt personæ, & ideo dixi *sūmus*, sed yna est essentia, & ideo dico, *vnum* *sūmus*; quare nihil inferius de me sentire debetis, quam de Patre meo, quibus verbis cōuincuntur simul Arrius, & Sabellius. Sed est dubium, an hie locus probet unitatem essentiæ in Patre, & Filio: Nam Arrianī contendunt int̄imare huius loci, cūm dicentes, non intelligi vnum de essentiâ, sed de cōcordia voluntatū. Imò Erasmus i. Ioan. 5. in illis verbis: *Tres sūnt, qui testimoniū dant in cælo*, non parum illis fauet. Inquit enim, hoc testimonio quomodo prosternetur Arrianus: nisi doceas vnum in sacris litteris non appellari, nisi quæ sūt eiusdē substātiæ; sed cūm sint innumerā loca Scripturæ, in quibus non unitatem essentiæ, sed cōsen-*sū*, mutuāmque benevolentia significat, ad firmādam opinionem Orthodoxi valabit, ad retundendā hæretici pertinaciam nō video, quantū valeat. Probat præterea secundò Christum loqui hic de concordia, quā habet cum Patre, quia Christus nō respōdet ad id, quod dixerat, se esse vnum cum Patre, sed ad id, quod appellabat Deum Patrem suū, séque singulari modo vocabat filiū Dei, videlicet ratione huius concordiæ.

Tertiò probatur ex Ioan. 17. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint vnum, sicut & nos; & ibidem, ut omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis vnum sint.* Aduersus hanc expositionem pugnant non solum omnes expoſitores huius loci, sed etiā universorum sanctorū Patrum consensus, qui ad unitatem essentiæ comp̄bandam hoc testimonio vtuntur tamquam validissimo, & apertissi-*mo*, & quod aliter interpretari impium iudicent. Vide inter alios Hilariū 7. de Trinit. Fol. 4. similiter Concilia hoc potissimum loco semper vtuntur aduersus Arrianos, ad probandam consubstantialitatem Filij. Ut autem hæc loca omittamus, quæ sunt innumera, vnum tātū proferamus ex Concilio Sardicensi antiquissimo trecentorum septuaginta Episcoporum; in epistola igitur ad omnes Episcopos, quam refert Theodoretus lib. 2. histor. Eccles. c. 8. docet Concilium hæc verba, *Ego & Pater, &c. omnino esse intelligenda de unitate substantiæ; & de interpretatione Erasmi ita loquitur: Hoc autem illorū blasphemia, atque corruptibilis interpretatio est, hac gratia eum dixisse contendunt: Ego, & Pater vnum sumus, propter concordiam, & unanimitatem.* Sed reprobauimus omnes Catholicī intellectū eorum fatuum, & abiectū sicuti mortalium hominū, &c.

Ad primam Erasmi rationē responderet August. lib. 2. contra Maximinū Arrianorum Episcopū c. 12. & lib. 3. c. 22. vbi vrget Maximinū, vt proferat aliquem locum ex veteri, vel novo Testamento, vbi vnum dicantur res diuersarum naturarum: sed neque ille proferre potuit & August. confirmat non posse proferri: nā quando loquitur de Apostolis, dicit *vt ipsi vnum sint*, quoniam habebat eamdem naturā, non autē dicit, *vt vnum sint nobiscum*; nemo enim dicere audebit, aliquē hominē, quantumvis sanctum, vnum esse cum Deo, sed, *vt sint inter se vni*, sicut nos sumus vnum, & lib. 3. c. 22. magis explicat, non enim negat aliqua posse dici vnum propter dilectionem, & concordiam, *vt i. Corint. 3. Qui autē plantat, & qui rigat, vnum sunt.* & Gal. 3. *Omnes enim vos vni estis in Christo Iesu;* sed docet neque dici vnum, nisi quæ sunt eiusdē naturæ. Quare si

fint

sint diuersæ naturæ, etiamsi se mutuò diligent, non possunt dici vnū: vt Paul. Apost. non potest dici unum cum Deo. Rationem huius doctrinæ reddit hic S. Thom. quod vnū dicitur; sicut ens, vnde sicut aliquid nō dicitur ens simpliciter nisi secundum substantiam; ita nō dicitur vnū nisi secundum substantiam, aut naturam: ideo quæ sunt diuersæ naturæ, nū quam inueniuntur dici unum, nisi cum addito, vt 1. Corinth. *Qui autem adharet Deo, unus spiritus est.* Ex quo patet etiāsi Pater, & filius sunt unum concordia, & dilectione, prius tamen probari hinc ipsos esse unum substantiam. Obiicit sibi Aug. illud 1. Ioan. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua, & sanguis, & hi tres unū sunt.* cui obiectioni ita respōdet: Propter hoc admoniti ne fallaris; hec enim sacramenta sunt, in quibus non quid sunt, sed quid ostendant, semper attenditur, quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia; si ergo illa, quæ his significantur, intelliguntur, ipsæ innueniuntur unius esse substantiam, tamquam si dicamus, petra, & aqua unum sunt, volentes per petram significare Christum, per aquam Spiritum sanctum; sed quia Christus, & spiritus sanctus unius sunt, eiusdemque naturæ, & ideo cum dicitur, petra, & aqua unū sunt, ex ea parte recte accipi potest, quia iste res, quarum est diuersa natura, aliarum quoque signa sunt rerum, quarū est una natura, quibus verbis significat August. hæc tria dici unū, nō quatenus sūt res quædā, sed quatenus sūt signa triū personarū, quæ sunt eiusdem naturæ.

Ad secundā rationem Erasmi, quæ probat Dominū loqui hic de concordia, respōdet plane loqui de unitate essentiæ, alioqui nihil probaret eius ratio, quæ est huiusmodi: Nemo potest rapere electos de manu Patris mei: ego & Pater unū sumus, id est, eiusdem naturæ, & potestatis; ergo nemo potest rapere de manu mea. Ita respondent Catholici cōtra Erasimum, vt Castro lib. 5. contra hæres. verbo Deus, hæresi. At videtur non satisfacere hæc respōsio, quoniam idem colligetur, si intelligatur, Vnum sumus concordia, & voluntate, ad hunc modum Patris meo nemo potest eripere; ergo cum ille velit idem, quod ego volo, & sumus cōcordes, nemo mihi eripere potest, quia ego nolo mihi eripi, & Pater vult idem. Respondetur primò non posse hoc dici, quoniam, vt iam probatū est ex Aug. non possent dici Pater unum, & filius, quantumvis cōcordes essent, nisi essent eiusdem naturæ: hæc autem unitas naturæ multo efficacior est ad probandum, quod Dominus vult, quam unitas concordia, quæ est metaphorica, ergo cum Christus hoc non ignorauerit, de hac unitate non loquitur in sua ratione.

Secundò, quia in his verbis, *Ego & Pater, &c.* nō ponitur noua ratio, sed explicatur ratio iam facta, quod si loqueretur de concordia, iam illa verba redūderent. *Pater, quod dedit mihi, matus omnibus est.* quæ ita, vt sūt in nostra translatione, semper legit Ecclesia Latina, penes quam mansit omni tempore incorrupta Scriptura, sicut incorrupta fides Tertiò quia si loqueretur de concordia voluntatum tantum, quilibet beatus dicere posset, ego, & Pater unū sumus; ergo Michael Archangelus, quem constituit Deus super omnes animas suscipiendas, posset in sua persona utri eadem responsive qua Christus, quod est blasphemum. Postremò probatur, quoniam Iudæi, quantumvis essent hebetes,

ex his verbis intellexerunt Christum dicere, se esse aequalem Patri, ut ostendit Euangelista dicens; *sustulerunt ergo lapides*, scilicet quoniam blasphemiam dixisse iudicarunt & postea, de bono opere non lapidamus te, sed pro blasphemia, & quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. hunc autem eorum intellectum Christus non corredit, ut absurdum, sed potius rationibus adductis confirmauit, ut verum. Atque hoc argumento probat istam veritatem Hilarius 7.de Trinit. fol. 5.

Scriptura similitudinibus saepe videntur rerum maiorum, quam ad quas illae adferuntur.

Ad solutionem tertij argumenti, quod nititur illo loco Ioan. 17. *Vt sint unum, sicut & nos unum sumus*, est adnotanda regula utilissima, ad intelligentiam Scripturæ; scriptura vel enuntiando, vel exhortando solet saepè propouere similitudines rerum multo maiorum, quam sint illæ, ad quas afferuntur, non ut significet aequalitatem, sed ut proponat exemplaria quædam, si exhortatur, ut magis, magisque ad ea accedere festinemus, si enuntiat, ut rem illam, ad quam explicandam assertur similitudo, maiorem esse intelligamus, quam videbatur, & hoc tam in bonam, quam in malam partem. Exhortando, ut Lem. 11. *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*. Matth. 5. *Estote ergo & vos perfecti, sicut Pater vester celestis perfectus est*. Luc. 6. *Estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est*. Enuntiando, ut Ioan. 6. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem: & qui manducat me, & ipse viuet propter me*, ostendit dignitatem vita illius, multo maiorem esse, quam putamus &c. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta seruavi, & maneo in eius dilectione*, ostendit dilectionem, quam prosequitur seruantes mandata, esse maximam, & admirabilem. Idem videmus fieri in prophanicis libris, ut apud Virgilium:

*Constitit Aeneas, clarique in luce resulfit
Os, humerosque Deo similis, &c.*

Ita igitur ait, *vt sint unum, sicut & nos*, id est, *ut sint maximè uniti*, quo accedant ad nostram unitatem, quoad maximè fieri poterit: ita omnes sancti intelligunt hunc locum. Aug. 2. contrà Maximinum c. 12. ait: *Volebat enim eos, qui naturâ unum erant, in hoc ipso, quo unum erant, esse perfectos*. & latius lib. 5. cap. 22. Sed adhuc apertius Concil. Lateran. in cap. Damnamus cuius verba sunt: *Cum ergo veritas pro fidelibus suis orat ad Patrem, volo, inquietus, ut ipsi unum sint in nobis, sicut & nos unum sumus*, hoc nomen (*unum*) pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio charitatis in gratia, pro personis vero divinis, ut attendatur identitas unitas in natura; quemadmodum alibi Veritas ait: *Estote perfecti, sicut & Pater vester celestis perfectus est*; ac si diceret manifestius: *Estote perfecti perfectione gratiae, sicut Pater vester celestis perfectus est perfectione naturæ, ut raque videlicet suo modo, quia inter creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari quam inter eos maior sit dissimilitudo notanda*.

Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo.] Videlicet veritatem docendo, infirmos sanando, & alia miracula faciendo. Dicit autem, ex Patre meo, id est, ex potestate, quam dedit mihi Pater. Præterea dicitur,

more Hebreorum, bona opera ostendere alicui, pro benefacere illi, vt Ecclesiastes 2. Nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere anima sua bona de laboribus suis. Et Psal. 4. Multi dicunt, quis ostendet nobis bona, id est, quis nobis benefaciet. ita ibi Augustinus, & Euthymius, & alij veteres. Similiter Psal. 84. Ostende nobis Domine misericordiam tuam. Sicut è contrario, ostendere mala, est punire, aut mala facere alicui. Psal. 59. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino compunctionis. Et Psal. 70. Quantas ostendisti mihi tribulationes multas, & malas.

Bona opera
ostendere
alicui, pro
benefacere
illi, phrasē
Hebr.

In lege vestra.] Lex, vt notat Augustinus tract. 48. & 15. de Trinit. cap. 18. aliquando strictè sumitur, & significat tantum quinque libros legis, vt Matth. 11. Lex & Prophetæ usque ad Ioan. Et 22. In his duobus mandatis univera lex pendet, & Prophetæ. Aliquando latè, vt complectatur omnes libros veteris Testamenti, vt 1. Corinth. 14. In lege enim scriptum est, quoniam in aliis linguis, &c. quod sumptum est ex Isa. 28. & Ioan. 15. Sed vt adimpleatur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis. Quod est in Psal. 34. Ita modò sumit verbum ex Psal. 81. & ait, in lege vestra. Aliquando vero Psalmi distinguuntur à lege & à Prophetis, vt Luce 24. Oportebat impleri omnia, qua scripta sunt in lege & Prophetis, & Psalmis de me. Ratio est, quia Psalmi, licet contineant prophetiam, habent tamen hoc peculiare, quod sunt hymni.

Lex quan-
doque strictè
sumitur,
quandoque
latè.

Psalmi ali-
quando à
lege & Pro-
phetis di-
stincti.

Si illos dixit Deos.] Argumentum est à minori ad maius, ex verbis Psalimi scriptura vocat Deos illos, ad quos sermo Dei factus est; si ergo illi sine blasphemia dicuntur dij; ergo, melius sine blasphemia Deus dici poterit ille, quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, male igitur vultis me lapidare, quasi blasphemauerim. Sed vt vim huius argumenti videamus, sunt quædam explicanda. Primum est illud, Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, quod non videtur ex Psalmo illo colligi posse: nam, iuxta Euthymium, & Titelmanum, & iuxta Lyran, hic & ibi, & iuxta Iansenium cap. 93. & Montanum, in illo Psalmo sermo est de iudicibus, & principibus, qui ratione officijs solent dij appellari in scriptura. Respondetur, hanc sententiam non bene coherere cum verbis Domini, non enim dixit; Deos vocat quibus officium iudicandi commissum est, sed illos, ad quos sermo Dei factus est, & quod ait Iansenius iuxta Hebreos dici sermonem Dei fieri ad aliquem, cum aliquod ei à Domino datur negotium, falsum est, vt enim constat ex plurimis locis Prophetarum, tunc sermo Dei dicitur fieri ad aliquem, cum ei Dominus loquitur. Hierem. 1. Quod factum est verbum Domini ad eum. Et cap. 1. Et factum est verbum Domini ad me, dicens, &c. numquam autem inueniemus ita loqui Scripturam, cum homo ad officium aliquod gerendum eligitur, sed cum Deus ei loquitur. Quare, vt optimè ibi interpretatur Augustinus: Dij vocantur omnes filii Israël, quibus, quoniam Christum recipere noluerunt, ait statim: Vos autem sicut homines moriemini. De eisdem dicitur Isai. 1. Filios enutriai, & exaltavi; ipsi autem spreue-

Dij qui vo-
centur in
Scriptura,
ex Aug.

runt me. Est ergo sensus, Deos vocat filios Israël , eò quod ipsi Deus legem dederit , & ipsi eam receperint , & in eum crediderint , hinc enim homines vocantur dij per participationem , & cum generaliter ibi omnibus loquatur , deinde peculiariter loquitur iudicibus , quod istis auctoribus occasio fuit erroris. Ex his verbis argumentatur Augustinus tract.48. posse probari diuinitatem Christi , cuius rationem ita explicat S.Thomas : Non sit aliquid participatiū tale , nisi ex participatione eius , quod est per essentiam tale : ut non sit participatiū ignis , nisi per participationem ignis per essentiam ; ergo non sit aliquis participatiū Deus , nisi per participationem eius , qui est Deus per essentiam ; ergo verbum Dei , id est , filius , cuius participatione homo efficitur Deus , est Deus per essentiam : sed Dominus propter eorum ruditatem aptius argumentari voluit.

Et non potest solus Scriptura.] id est , dissolui , irrita fieri , & non impleri. Matth. 5. Nolite putare , quoniam legem veni soluere , aut Prophetas , non enim veni soluere legem , sed adimplere.

Sanctificare quem Pater sanctificauit.] Augustinus intelligit , cui Pater sanctitatem dedit per generationem. At quoniam sanctificare est sanctum facere , non videtur filius , ut Deus , posse sanctificari. Præterea id , quod tamquam blasphemum Iudæi accusabant , erat illud , *Et quoniam tu homo cùm sis , facis te ipsum Deum.* Quare , ut ait Caïetanus , oportebat , ut in hac responsione Dominus ostenderet se hominem esse Deum ; sequenda est ergo expositio Hilarij . 7. de Trinit. fol. 5. quam sequuntur S.Thomas , & Caïetanus , & Ianuenius , & alij , ut sanctificari refertur ad Christum , quatenus homo est . *Omnis enim* (inquit Hilarius h̄c) *de homine responso est , quia Dei filius , etiam filius hominis est : nec loquitur de omni sanctificatione , sed de ea omnium maxima , qua natura humana unita est verbo Dei.* Sed quia dubitari poterat , vnde posset colligi Christum loqui de huiusmodi sanctificatione potius , quam de alia , respondet S. Thomas : duplicitē posse intelligi , ex his verbis ; primò ex eo , quod ait , *quem Pater sanctificauit* ; Pater enim dicitur ad filium , & ita significat sanctificasse eum , ut esset filius : nam cùm de cæteris loquitur , dicitur Deus eos sanctificare . Secundò ex verbis sequentibus , & misit in mundum ; mitti enim in aliquem locum , non conuenit , nisi rei , quæ erat antequam mitteretur ; ergo filius , qui missus est in mundum , antea erat , quam mitteretur ; & , ut ait Caïetanus , si erat antea , non erat ut pars mundi , aut ut creatura , sed ut Deus , qui solus est extra mundum vniuersum : nam omnes creaturæ tā corporeæ , quam spirituales , sunt partes vniuersi . Probant etiam Hilarius , & S.Thomas hoc modo accipi h̄c sanctificationem , ex illo Rom. 1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute , secundum spiritum sanctificationis.* Probari quoque potest ex eo , quod sequitur , *quem pater sanctificauit , & misit in mundum* , scilicet , ut p̄s eum sanctificantur cæteri : ad Rom. 3. *Vt sit ipse iustus , & iustificans eum , qui ex fide est Iesu Christi.* Illi autem , qui sanctificaturus erat cæteros , non satis erat , ut sanctus esset , per participationem , nisi esset

esset per essentiam. Eodem ferè redit, quod Theophylactus, & Euthymius interpretantur; sanctificavit, id est, segregauit, elegit scilicet, ut excellentiori quadam modo sanctus esset.

Si non facio opera Patris mei.] Quoniam subobscurè dixerat, se esse Deū usus est verbo sanctificandi, quod aliis etiam modis intelligi potest, atque hoc fecerat, ne, si palam diceret, subito excandescerent, nunc vult exponere se de sanctificatione illa loqui, qua humana natura unita est Verbo, argumento sumpro ab operibus, ut ait Hilarius supra, dicens: Si non facio eadem opera, quæ Pater meus facit, &c. ex quibus aperte cognoscere possitis me esse Deum, & habere cum illo eandem potestatem, ut solo imperio resuscitare mortuos, expellere dæmones, quævis morborum genera curare.

Quia Pater in me est, & ego in Patre.] Id est, vnum sumus, & indiu-
dua societate alter alteri cohæret: nam in rebus creatis non possunt
reperiiri duo, quorum vnum propriè loquendo sit in alio, quia non po-
test illorum esse una numero natura. At Pater manens Pater (ut expo-
nit Chrysostomus) est totus in filio, & totus est filius in Patre ma-
nens filius.

Querebant ergo eum apprehendere.] Videlicet non ausi sunt lapidare,
quoniam conuicti sunt argumento Christi, non esse illam blasphemiam.

Et exiuit de manib[us] eorum.] Scilicet eodem modo, quo in fine c. 8.

Et abiit iterum trans Iordanem.] Scilicet quo iam olim semel venerat,
cum esset ibi Ioannes.

Vbi erat Ioannes baptizans primum.] Id est, in Bethbaram, ut diximus
cap. 1. in illis verbis, *hac in Bethania facta sunt.* Dixi autem, *vbi erat*
baptizans primum; quoniam postea baptizauit in Enon iuxta Salim, ut
vidimus cap. 3. Hunc locum elegit Dominus, ut homines, cum audi-
rent, recordarentur eorum, quæ de eo dixerat Ioannes; atque ita fa-
ctum esse docet Euangelista, quia qui ad eum veniebant, dicebant,
omnia quæcumque dixit Ioannes de hoc, vera erant.

Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.] Quasi diceret, quamuis
non solemus credere nouis Prophetis, nisi signa faciant, & Ioannes
nullum fecit, tamen vera esse, quæ de hoc dixit, res ipsa ostendit; vi-
de hoc cap. 2. in illis verbis, *Quod signum ostendis nobis quia haec facis.*

SANCTVM



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T X I.

LRAT autem quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ, & Marthæ sororis eius. 2. (Maria autem erat, que vnxit Dominum unguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur.) 3. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas infirmatur. 4. Audiens autem Iesus dixit eis: Infirmitas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur Filius Dei per eam. 5. Diligebat autem Iesus Martham, & sororem eius Mariam, & Lazarum. 6. Ut ergo audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus. 7. Deinde post hæc dixit discipulis suis: Eamus in Iudeam iterum. 8. Dixerunt ei discipuli: Rabbi, nunc quærebant te Iudei lapidare, & iterum vadis illuc? 9. Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt hora diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt. 10. Si autem ambulauerit quis in nocte, offendit, quia lax non est in eo. 11. Hæc ait, & post hæc dixit eis: Lazarus amicus noster dormit: sed vado ut à somno excitem eum. 12. Dixerunt ergo discipuli eius: Domine, si dormit, saluus erit. 13. Dixerat autem Iesus de morte eius: illi autem putauerunt quia de dormitione somni diceret. 14. Tunc ergo Iesus dixit eis manifestè: Lazarus mortuus est: 15. Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed camus ad eum. 16. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad condiscipulos: Eamus & nos, ut moriamur cum eo. 17. Venit itaque Iesus: & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. 18. (Erat autem Bethania iuxta Ierosolymam quasi stadiis quindecim.) 19. Multi autem ex Iudeis venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. 20. Martha ergo ut audiuit quia Iesus venit, occurrerit

currit illi; Maria autem domi sedebat. 21. Dixit ergo Martha ad Iesum, Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: 22. Sed & nunc scio, quia quemcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. 23. Dicit illi Iesus: Resurget frater tuus. 24. Dicit ei Martha, Scio quia resurget in resurrectione in nouissimo die. 25. Dixit ei Iesus: Ego sum resurrectio, & vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet. 26. Et omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in aeternum, Credis hoc? 27. Ait illi: Utique Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti. 28. Et cum haec dixisset, abiit, & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magister adest, & vocat te. 29. Illa ut audiuit, surgit cito, & venit ad eum: 30. Nondum enim venerat Iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco, ubi occurserat ei Martha. 31. Iudei ergo, qui erant cum ea in domo, & consolabantur eam, cum vidissent Mariam quia cito surrexit & exiit, secuti sunt eam, dicentes: Quia vadit ad monumentum, ut ploret ibi. 32. Maria ergo, cum venisset ubi erat Iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. 33. Iesus ergo, ut vidit eam plorantem, & Iudeos, qui venerant cum ea, plorantes, infremit spiritu, & turbavit seipsum. 34. Et dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. 35. Et lacrymatus est Iesus. 36. Dixerunt ergo Iudei: Ecce quomodo amabat eum. 37. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic, qui aperuit oculos ceci nati, facere ut hic non moreretur? 38. Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum; erat autem spelunca: & lapis superpositus erat ei. 39. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha, forer eius qui mortuus fuerat: Domine, iam factet, quatriduanus est enim. 40. Dicit ei Iesus: Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? 41. Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. 42. Ego autem sciebam quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat, dixi: ut credant, quia tu me missisti. 43. Haec cum dixisset, voce magna clamauit, Lazare veni foras. 44. Et statim prodit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis, & facies illius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: Soluite eum, & sinite abire. 45. Multi ergo ex Iudeis, qui venerant ad Mariam, & Martham, & viderant quae fecit Iesus, crediderunt in eum. 46. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisaos, & dixerunt ei quae fecit Iesus. 47. Collegerunt ergo

Pontifices & Pharisai concilium, & dicebant: Quid facimus: quia hic homo multa signa facit? 48. Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum, & gentem. 49: Unus autem ex ipsis Caiphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quidquam. 50. Nec cogitatis quia expediet vobis ut unus mortatur homo pro populo, & non tota gens pereat. 51. Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset Pontifex anni illius prophetauit, quod Iesus meritus erat pro gente. 52. Et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. 53. Ab illo ergo die cogitauerunt ut interficerent eum. 54. Iesus ergo iam non in palam ambulabat apud Iudeos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem que dicitur Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis. 55. Proximum autem erat Pascha Iudaorum: & ascenderunt multi Ierosolymam de regione, ante Pascha, ut sanctificarent seipso. 56. Quarebant ergo Iesum, & colloquebantur ad-inuicem, in templo stantes: Quid putatis, quia non venit ad diem festum? Dederant autem Pontifices, & Pharisai mandatum, ut si quis cognoverat ubi sit, indicet, ut apprehendant eum.

IN CAPUT XI. SANCTI IESV CHRISTI EVANGELII SECUNDVM IOANNEM, COMMENTARIA.

RAT autem quidam.] Scilicet eo tempore, quo Dominus erat trans Iordanem.

De castello Maria, & Marthæ.] Incertum est, inquit Ianse-nius cap. 102. utrum dicatur iste vicus Maria, & Marthæ, eo quod essent eius dominae: an eo quod in eo natae sunt, quomodo cap. 1. vocavit Beth-saidam ciuitatem Andrea, & Petri.

Maria autem erat, qua vnxit Dominum unguento.] Titelmanus, & Ianse-nius cap. 102. & latius cap. 48, contendunt Euangelistam non loqui modò de illaunctione mulieris peccatricis, cuius meminit Lucas cap. 7. sed potius de ea, quam narraturus est cap. sequenti, ubi ait, Maria autem accepit libram unguenti, &c. nec mirum, nam Augustinus, qui habetur praecipuus patronus contrariæ sententiae, dubitare videretur. tractatu 48. ait enim, Ecce ipsa soror Lazari, si tamen ipsa est, qua pedes Domini, vnxit unguento, &c. Ad intelligentiam horum verborum, quae sunt c. 12. sciendum est, magnam fuisse apud veteres controuersiam,

uersiam, utrum eadem fuerit mulier, quæ Lucæ 7. dicitur peccatrix, & quæ postea Matth. 26. & Marc. 14. vñxit Dominum, & hæc de qua modò loquitur Ioan. c. 11. & 12. Quidam dicunt fuisse tres mulieres, Pluresne
fuerint Ma-
ria, disce-
ptatur. vt Orig. hom. 35. in Matth. vbi hoc à se probari putat magnis argu-
mentis, & citat se in commentariis Ioan. in quibus modò nihil habe-
mus. Idem sensit Chrysost. hom. 61. in Ioan. & Nicephorus lib. 1. Ec-
clesiast. histor. c. 27. Theoph. Lucæ 7. & ibidem Græcus, vt citat S. Thom-
as in Catena, Euthymius Matth. 26. & deum memoriæ Patrum no-
strorum Iacobus Faber libellum edidit de triplici Magdalena, & alium
edidisse fertur Clitouæus eodè argumento. Alij putant fuisse duas, al-
teram cuius hæc meminit Ioannes, alterâ cuius meminere cæteri Evan-
gelistæ, vt Chrysost. hom. 81. in Matth. & homil. vlt. in Marc. Hieron.
Matth. 26. Idem sentit Bernardus serm. 23. in Cantica, licet profus non
audeat affirmare : & quod maxime videtur virgere, Apostoli apud Cle-
mentem lib. 3. constitutionum Apostolicarum, aperte hoc dicunt; eo-
rum enim verba sunt: *Eran nobiscum Mater Domini, & sorores eius, patera Maria Magdalena, & Maria Iacobi, & Martha, & Maria sorores Lazari.* Nihilominus licet olim sancti Patres dubitauerint, iam certissimum haberi debet, nec dubitare licet, vnam, & eamdem mulierem
fuisse apud omnes Evangelistas, nempe Mariam Magdalenam sororem
Lazari, licet non vna fuerit vñctio. Hanc sententiam, non deerant, qui
defenderent tempore Origenis, vt ipse indicat loco citato. Ex quo patet
non fuisse Gregorium auctorem eius, vt putare videtur Baptista Mân-
tuanus in vita Magdalene. Ea tuctur Aug. lib. 2. de consen. Euang. c. 78.
& 79. Greg. hom. 33. in Euang. Beda Marc. 14. & Lucæ 7. Innoe. lib. 2. de
facio altaris mysterio c. 6. S. Thomas super Matth. c. 26. & super Ioan. c.
12. Caet. Matth. 26. & in primo Ienitaculo q. 1. Iansen. c. 48. Denique
est communis sententia omnium autorum huius temporis, quam late
confirmauit Roffensis Martyr tribus voluminibus editis contra Incum-
bentem Fabrum, & hæc sententia sola hodie recipitur, ceteræ iam diu ex-
ploste sunt. Probatur priuò argumento Roffensis ex Matt. 26. *Vbicunque
predicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, dicetur, & quod hæc fe-
cit in memoriam eius.* At vbiicumque prædicatur hoc Euangelium credi-
tur hæc mulier fuisse Maria Magdalena soror Lazari, & ipsa sola no-
minatur: ergo illa revera fuit, alioqui non impletetur prophetia Christi,
quoniam hoc factū non tribueretur ei, qui fecit, sed alteri. Secundò
probatur ex his verbis Ioan. *Maria autem erat, quæ vñxit Dominum vñ-
guento, & exterst pedes eius capillis suis.* Hoc enim refertur ab Evangelista
quasi iam factum eo tempore, quo Lazarus ægrotabat, quare cum id
quod narratur cap. 12. fuerit, iam resuscitato Lazaro, diuersa est hæc
vñctio ab illa. Non autem inuenimus vbi Maria soror Lazari vñxerit
pedes Domini, nisi quando narratur à Luca; ergo tunc sine dubio
fuit, & illud respicit Evangelista, non ad id, quod narraturus erat
cap. 11. hoc argumento vñctur lib. 2. de Consens. Euang. cap. 79. Augu-
stinus, & S. Thomas Ioan. 12. & alij. Sed respondet Clitouæus lib. 7.

*Vnum tan-
tum fuisse
constat.*

super Ioan.c. 14. ex sententia nonnullorum, & Iansenius.c. 48. hoc non obstat, quoniam Iohannes dicit, *que vnxit pedes, &c.* & cùm id ipse scriberat, iam erat factum, licet tempore historiæ, quam ibi narrat, factum non esset; quemadmodum Matth.c. 10. & Lucas.c. 6. cùm inter nomina Apostolorum loquuntur de Iuda, addunt, *qui & tradidit eum*, non quod eum iā tradidisset eo tempore, quod tunc describitur ab Evangelistis, sed quoniam cùm ipsi scriberant, iam tradiderat. Ad hoc possemus dicere cum Iansenio nihilominus probari hinc, quod volumus, licet Euangelista respiciat ad historiam c. 12. quoniam cùm dicit, *erat autem Maria, que vnxit pedes, &c.* satis indicat solam Mariam vnxisse pedes: nam si alia mulier etiam vnxisset, non satis indicaret Iohannes hoc signo quod volebat. Sed tamen dicimus Ioannein prorsus allusisse ad hist. Lucæ 7. Quoniam enim legerat Euangelium Lucæ, & sciebat peccatrixem illam, quæ Dominum vnxit, versari in ore omnium Ecclesiæ, tamquam de re omnibus nota loquitur. *Erat Maria, &c.* & ideo non necesse habuit referre omnia, quæ tunc facta sunt, quod obiciunt Clitouæus & alij; sed more suo narrata ab aliis prætermittens quod Lucas tacuit, scilicet quænam esset illa mulier, addendum putauit. Præterea satis indicat loqui de re iam gesta, cùm ægrotabat Lazarus, non enim ait, *Maria est, quæ vnxit Dominum*, vt Matth. cùm loquitur de Iuda, sed, *Maria autem erat*; ita enim solent res præterita narrari, vt Lucæ 8. *Maria que vocatur Magdalene, de qua septem daemona exierant.* Quasi dicat, cùm siebant hæc quæ modò scribo, iam exierant daemona. Et Iohannes 19. *Venit autem Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum.* Et ibid. *Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus.* Et c. 18. *Erat Caiphas, qui consilium dederat Iudeis, &c.* Quibus in locis semper præterita referuntur ad tempus, quo siebant ea, quæ tunc scribebantur. Atque hunc esse morem Euangelistæ huius, patet etiam ex c. 12. *Dixit unus ex discipulis eius Iudas Iscariotes, qui erat eum traditum, & c. 6.* in fine. *Dicebat autem de Iuda;* hic enim erat eum traditum. Denique, vt rectè argumentatur Caietanus, licet Euangelistæ uti soleant anticipatio, tamē anticipatio illa habet locū, quando res gesta non narratur in suo loco, in quo erat narranda; sicut Matth. c. 23. multa narrat de Iohanne Baptista, quasi uno tempore gesta, quæ gesta sunt diuersis, vt patet ex Ioan. 1. quoniam postea non erat illa suo loco narraturus: aut etiam habet locū, quando occasio anticipandi vrget; quæ hīc non possunt dici: nam vñctio illa narratur cap. 12. proprio loco, & eo tempore quo gesta, & nulla causa vrgebat Euangelistam, vt anticipatione vteretur, cùm in cap. sequenti esset eam nominatus, & vñctionem ipsam narraturus. Si ergo respicit hīc Ioann. ad historiam Lucæ, vt probatum est; ergo illa mulier peccatrix, erat Maria soror Lazari. Vltimò probatur ex probatis historiis Massiliensium, apud quos Maria Magdalena vixit, quas affert Roffensis, & ex antiqua sepulcri eius inscriptione, quod à sancto Maximino scriptum putatur, in quibus ei cuncta tribuantur, quæ nunc vni tribuantur Magdalena. Postremò probatur

Iohannes Eu-
angelista
anticipatio-
ne vñ soli-
tus in scri-
bendo.

Quando lo-
cum habeat
anticipatio.

probatur, ex communi consensu Ecclesiae, & ex officio approbatu ab Ecclesia Romana, in quo docet Ecclesia Magdalenam fuisse sororem Lazarai: ait enim: *Beata Maria, quas sumus Domine, suffragis adiuuemur cunctis precibus exoratus quatriduanum fratrem vinum, &c.* Deinde hanc fuisse peccatricem, docet in hymno Vesperarum, *Maria soror Lazari, quae totum commisit criminis, &c.* & in hymno Laudum, & eadem die canit Euangelium mulieris peccatricis. Et esset profecto intollerabilis error, si Ecclesiam suam Christus sineret in hoc falli, ut sanctissima foeminae notam meretricie turpidinitis falsò inureret, & simul falleret nos, patiens, ut omnes concionatores doceant sororem Lazarai fuisse meretricem, si causa fuit & virgo: quare nullo modo iam dici potest.

Ad locum illum ex Clemente responderetur, librum illum Apostolicarum constitutionum multa continere falsa, & suspecta, quorum quædā eiudem interpres adnotauit, & plura possent adnotari: tale est hoc quod de Maria dicitur, nec mirum, nam ibidem dicit Mariam Iacobi non fuisse sororem Virgin. quod est contra omnes sanctos, & contra veritatem, ut ostendimus c.2. in illis verbis, & frates eius.

Ad argumenta Origenis contra nostram sententiam respondebimus c.12. cùm queremus, an eadem fuerit vngatio, cuius ibi meminit Ioannes, cùm illam, cuius meminit Matth. c.26.

Nunc postea quæ dicta sunt, duo tantum videntur queri posse, primum est cur si est eadem mulier, Matth. & Marcus, in tam honorifice officio vngendi Dominum, nomen eius tacuerū: nam Lucam tacuisse non est verum, quia tum peccatrix erat. Respōdetur ideo factum esse, quia nomen nihil attinebat ad id, quod Matthæus narrabat, nō enim tam mulieris causa id narrabatur, quām ut intelligeremus occasionem, quam habuit Iudas prodidi Dominum suum, de qua proditione statim loquitur: occasio autem fuit, ut repararet damnum, quod se accepisse putabat ex effusione illius vnguenti, quod poterat vendi trecentis denariis, & ideo vendidit Christum triginta argenteis qui sunt decima trecentorum. ita Hieron. Matth. 25. Beda. Marc. 14. S. Thomas Matth. 26. & Ioan. 12. Innocent. lib. 3. de sacro altaris mysterio c.12. & facile colligitur hoc ex verbis Ioannis 2. *Dixit autem hoc, non quia de ergusonis pertinebat ad eum sed quia sur erat, & loculos habens, ea, quæ mutabantur, portabat.* Denique videbat Spiritus sanctus Scripturū esse postea Ioannem, qui nomen poneret, & alia ab aliis prætermissa: Neque enim debemus considerare Matthēum & Ioannē quasi duos scriptores, sed quasi unum, cùm præcipius scriptor sit unus & idem, nec referat Vtrū sint plures notarij. At historicus, qui scit de eadē re postea esse loquuturū, tāpe tacet aliquid, ut opportunitati loco reseruet: opportunior autem locus fuit apud Ioan. vbi nomen Mariæ ponendum erat, ne ullum officium præstissem videretur, Martha sorore eius ministrante. i. ita Lucas c.10. inducit Martham Domino ministrantem, & ne segnis videretur. Maria ait, quæ etiam sedens secus pedes Domini audiebat verbum illius. Alterū est lōgē difficilis, Maria enim soror Lazarī erat ex Bethania in Iudea.

Liber Apostolicarum constitutionum multa continent falsa, & suspecta.

dæa prope Hierusalem: at mulier illa peccatrix erat non Iudea, sed Galilæa: nam cùm cōtigit historia illa peccatrixis, satis ostendit Lucas ciuitatem illam fuisse in Galilæa, & ita facetur Beda Lucæ 7. *¶ peccatus habitabit in illa ciuitate. Et ecce, inquit, mulier que erat in ciuitate, peccatrix.* Patet hoc: nam in principio cap. 7. dicit Lucas Dominum fuisse in Capharnaum, deinde profectum esse in Naim, vbi resuscitauit filium viduæ. & paulo post, sine noui loci mentione, narrat conuersionem peccatrixis. Ex quo patet id cōtigisse, cùm Dominus discurrebat per ciuitates Galileæ. Denique illa peccatrix eadem omnino fuit cum illa, de qua Dominus septem eiecerat demonia: hæc autem vocabatur Maria Magdalena, ut patet Lucæ 8. & Mar. 16. At Mariam Magdalenam constat fuisse Galilæam Matth. 27. *Erant autem mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi, &c.* Idem videmus Marci 15. & Lucæ 8.

Ad argumentum videretur posse responderi, ciuitatem illam fuisse Hierusalem, ut ait Arboreus Lucæ 7. & videtur prima facie, idem dicere Caïet. Sed hoc falsum est, ut probauimus: propterea respondeo Lucam non dicere mulierem hanc fuisse Galilæam, sed fuisse in illa ciuitate: potuit autem relicta Bethania, aut Hierusalem ire in Galilæam, in qua tunc Dominus versabatur audiendi desiderio, & salutem accipiendi, omnis moræ impatiens, hoc significare videntur verba Græca, quæ ita habent, *Et ecce mulier in ciuitate, quæ erat peccatrix, id est, eo tempore fuit in illa ciuitate mulier illa, quæ erat peccatrix.* arque ita videtur intellexisse Caïetanus, nam dicit Hierusalem in illis partibus fuisse diætam ciuitatem, quasi per antonomasiam, ut sit sensus: mulier illa, quæ in Hierusalem erat peccatrix, venit ad Dominum, &c. Potuit etiam fieri, ut cùm turpitudini voluptatum dedita esset, non ausa consistere inter consanguineos, & notos, in illa ciuitate Galilæa habitaret, vt licentiū peccaret: cùmque conuersa esset in Galilæa, inde cœpit sequi Dominum & ita venerat cum eo à Galilæa in Iudeam, & consonant omnia. Io. Suarez Episcopus Conimbricensis tract. 97. in Lucam dicit, hanc ciuitatem, de qua loquitur Lucas, esse Capharnaum, & hæc omnia facta esse in Galilæa, quoniam Magdalena habitabat in castello Magdalo, vnde nomen accepit, relicto sibi à patre in Galilæa. Dicit etiam se in Beihleem legisse in historia, quam Franciscani veram esse confirmabant, eam nupsisse viro nobili, ac deinde factu diuortio, vixisse in Capharnaum licentiū, quām eius nobilitas poscebat, ex quo peccatrix diæta est, deinde post conuersionem, venisse cum Dominu Bethaniam, ubi benignè à fratre Lazaro, & à Martha excepta est, & Dominum sequebatur, & ei ministrabat.

Miserunt ergo sorores eius.] Diximus cap. 1. in illis verbis, *hæc in Bethania facta sunt*, Betbaram, vbi nunc erat Dominus, distare à Bethania 180. stadiis iuxta Origenem, id est, viginti duobus miliariis, & dimidio, quamuis ex charta cosmographica intelligitur 14. leuncis distare.

Hierusalē,
ciuitas di-
sa.

Historia de
Maria
Magdalena
ex Ioh. Sua-
rez.

Non est ad mortem.] Infirmitas non erat ad mortem, id est, non erat, ut mortuus maneret, sed ut gloria filij ostenderetur per eius resurrectionem.

Mansit in eodem loco.] Non negligens amici periculum, ideo enim dicitur amasse eum, & sorores eius, sed expectans maius edendi miraculum, argumentum, ut tunc illum resuscitaret, cum nemo posset dubitare, eum esse mortuum.

Nōnne sunt duodecim hora diei.] Horae, ut autor est Macrobius lib. 1. Saturnaliorum cap. 21. dicuntur ab horo, quo nomine sol appellatus est apud Agyptios, quoniam horis dies, nōxque conficitur: quomodo autem sint duodecim hora diei, dubitat Iansenius cap. 102. & refert aliorum sententias. Caetanus ait, hoc dictum esse, quia tunc erat prope æquinoctium, quo tempore dies habet duodecim horas, sed hoc optimè explicatur à S. Thoma; & res est aperta & facilis; quemadmodum enim diēs naturalis constat vigintiquatuor horis, ita dies artificialis, qui numeratur ab ortu Solis ad occasum, habet duodecim horas, & totidem habet nocte, quæ incipit ab occa-
su Solis, usque ad ortum. Est autem duplex hora, altera æquinoctialis, sive horologalis, altera planetaria; horologales semper sunt æquales, planetariae verò sunt inæquales, quoniam dies, & noctes diversis anni temporibus variantur. hoc ita explicat S. Thomas. Quolibet die ascendunt sex signa Zodiaci, & totidem qualibet nocte, & ascensus cuiuslibet signi facit duas horas. Zodiacus autem propter obliquitatem suam non æqualiter ascendit, sed signa, quæ ascendunt æstate, sunt tardioris motus, quam illa, quæ ascendunt hysme: horæ autem æquales distinguuntur secundum æquinoctiale, & ideo nunc sunt plures in die, nunc pauciores, donec sit æquinoctium, vbi dies est nocte æqualis. Itaque hora prima incipiebat oriente Sole, semper hora sexta erat tempore meridiei, hora duodecima erat, cum occidebat Sol. Vnde Matth. 20. *Pater familias exiit conducere operarios primo Manè, id est, hora prima, & postea aliis horis, ac demum hora undecima, & qui hac hora venerunt, dicuntur una hora laborante: quam rationem numerandi horas acceptam ab antiquis, adhuc retinet Ecclesia in officio Ecclesiastico.* Eodem modo nox habebat duodecim horas, & diuidebatur in quatuor vigilias, ut videmus Lucæ 12. quarum singulæ habebant ternas horas. quod autem attinet ad sensum huius loci, variae sunt autorum sententiae, quas refert Iansenius, nec ipse certi quicquam statuisse videtur. August. tract. 49. nimis allegoricè exponit, diem esse Christum, discipulos verò esse horas, atque ut horæ diem sequuntur, ita vos debetis me sequi, ait Dominus, non mihi consilium dare. Multis hodie placet, quod aiunt Lyra, & Caet. & Titelm. Imd & S. Thom. qui eundem sensum tribuit Chrysost. licet non videam unde ex eo colligatur. Duodecim sunt horæ diei, & qualibet illarum homines mutari possunt; quare licet me paulo ante lapidare voluerint, possumus

*Hora unde
diffit.*

*Hora du-
plex.*

nunc

nunc redire ad eos ; dicitque Lyra fuisse hoc prouerbium Iudeorum : Verum nec ipse probat , nec videtur hic sensus posse cum verbis sequentibus conuenire: nam si dicit mutare posse Iudeos , quorsum subiungit , *Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt.* aperte enim his verbis Dominus explanat , cur dixerit duodecim horas esse diei . Est ergo sensus germanus , duodecim horæ sunt in die , & in quais illarum potest quis ambulare , sine timore offendonis , aut causis , quamvis serò videatur , quoniam nondum finiuntur illæ duodecim horæ ; videt quæ eat , & ubi possit offendere , si autem , iam finitis his horis , ambulet , meritò timet , quia lucem non videt , & facile offendere , & cadere potest . i. ita ego video , quæ eam , & quid mihi euenturum sit , & quod sit tempus morti meæ destinatum , & ideo quamvis non longè sit tempus meæ passionis , & dies videatur iam finiti , dum tamen tempus non completur , nec finitur , tunc versari possum inter Iudeos , quia scio quando complebuntur duodecim horæ , id est , tempus vitæ meæ , & quando mihi periculum immineat à Iudeis , & quando non immineat , atque ita sere exponit etiam Montanus .

*Somnum sa-
lubris in æ-
grotō.*

*Didymus
quis.*

Si dormit , Saluus erit.] Experientia hoc docet , & Montanus docet Scriptum esse in lib. Misnajoth tract. de benedictionibus c. 9. somnum esse ex bonis signis in ægrotō .

Qui dicitur Didymus.] Didymus verò quasi geminus dicitur , quod simul cum fratre natus sit . ita Euthymius .

Eamus & nos.] Non sunt verba timentis , ut putant Chrysostomus , Theophilactus , & Euthymius sed potius audentis , & omnia pro Christo pati statuerint , ut Beda , & alij dicunt , in Græco est , ut moriamur cum eo , sed nihil refert , cum sensus sit idem .

*Haberedities ,
aut annos
in morte ,
aut morbo ,
phrasis
Hebr.*

Quatuor dies iam in monumento habentem.] Hebraeorum phrasis est , habere dies , aut annos in morte , aut in morbo , ut c. 5. *Triginta & octo annos habens in infirmitate sua* , id est , iam erat annus 38. ex quo ægrotare cœperat ; quomodo autem sepultus esse potuerit , quatuor diebus ante Domini aduentum , cum Dominus duos tantum dies moratus fuerit , quærunt autores , & varij varia respondent : sed cum ille locus distaret à Bethania undecim leucis , aut quatuordecim Dominus duos dies consumere potuit in itinere . Itaque Lazarus mortuus est eo die , quo nuncius venit ad Iesum , ut ait Chrysostomus ; aut etiam die sequenti ; atque ita si iungamus duos dies itineris , cum duobus , quibus post acceptum nuntium moratus est , rectè conficiuntur quatuor .

Quasi stadiis quindecim .] Sexdecim stadia faciunt duo millaria Italiae , hoc autem dicit , ut videamus facile posuisse venire multos ex Hierusalem , cum propè esset .

Martha ergo ut audiuit .] Illa citius audiuit , quia sollicitudinem gerebat rerum domesticarum , & magis foris exibat ; ideo ait , *Maria foris sedebat .*

*sumere He-
breis fami-
liare .*

Ego sum resurrectio , & vita .] More Hebraeorum abstracta ponuntur , pro suis cōcretis ; sed hic actiue sumptis , id est , ego sum qui resuscito , ego ,

ego, qui vitam præbeo, ut 1. Corinth. i. Qui sicutus est nobis iustitia, & sanctificatio, & redemptio. hoc autem dicit, ut excitet eius fidem, quæ quodammodo ei loquebatur, quasi Deum esse non crederet.

Qui credit in me, &c.] Id est, tanta est mea potestas, ut resuscitatus sim omnes eredentes in me, etiam si iam fuerint mortui, & omnes, qui modò viuunt in carne, per me habebunt vitam æternam, si fide viua in me credant; semper enim viuent corum animæ per gratiam à me acceptam; inde suo tempore vita corporibus communicabitur, quasi dicat, cùm hoc possim, cur tu diffidis me posse resuscitare fratrem tuū nunc.

Ego credidi, quia tu, &c.] Iam diu hoc credo, & Christus ponitur cum articulo, & etiam filius, confitereturque eius diuinitatem, & humanitatem.

Infrenuit spiritu, & turbauit seipsum.] Id est, indignatus est intra se ipsum, hoc enim significat Spiritu, & fatis intelligitur ex eo, quod ait postea, rursus fremens in semet ipso. Indignatio autem erat in mortem, & in diabolum, cuius inuidia mors intrauerat in orbem terrarum, quæ taliter lucretus causa fuerat. ita Lyra, & Ian. c. 102. & hoc melius, quam quod ait Montanus, infrenuit propter exiguum Mariæ, & aliorum fidem, & ideo turbat semetipsum, id est, locum dedit ira, & tristitia, quæ, nisi eo volente, insurgere non poterant. Ex quibus verbis ultimis, patet germanum esse sensum quem diximus; nec conuenire admodum, quod ait Chrysost. infrenuit Spiritu, id est, comminatus est spiritui, cobibuit naturam suam humanam, ne inflatum prodiret; si enim hoc dicit, quomodo statim sequitur, & turbanit semetipsum. Non videtur etiam conuenire quod dixit Nonius, paterno spiritu commotus.

Vbi posuisti eum.] Magis puto hoc positum esse propter sensum spiritualem, quo Deus nescire dicitur peccatores, ut ait Aug. tract. 49. & etiam, quia vult homines cooperari sibi in resuscitatione peccatoris, quam propter litteralem; quamvis etiam propter litteralem ponitur. Ut enim lachrimatus est, ut se verum hominem esse ostenderet, si- cut statim ostenturus erat, se esse verum Deum; ita etiam eadem ratio- ne quærit, vbi sit.

Elevatis sursum oculis.] De hoc diximus c. 6. in illis verbis, cum gra- tias egisset.

Pater gratias ago tibi.] Si dicamus Dominum prius orasse, & periisse à Patre, omnibus audiētibus, resurrectionem Lazari, facile intelligitur, cur gratias ei agat, & exponuntur sequentia. Sed quoniam Euāgelistā, qui in hac historia minutissima quæque prosequitur non videbatur re- tantam tacitus, ideo melius dicemus, cum Euthym. Titelm. & Ian. non præmissam fuisse orationem, & esse hunc sensum: Gratias ago tibi, quia audisti me, id est, quia annuisti votis meis, & voluisti resurrectionem Lazari, quam me velle videbas, iuxta illud Psal. 9. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus*, quibus verbis ostendit se scire resuscitandum esse Lazarum à se, & statim ait, *Ego autem sciebam*, &c. id est, Ego qui- dem non tibi de hoc gratias ago, quasi nouū sit mea vota à te impleri,

*Patri cur
gratias ege-
rit Domi-
nus.*

Instituta fascia. sed dixit hæc gratiarum actionis, vt populus, qui adest, videat me misum esse aste.

Instituta fascia.] Id est, fasciis sepulchralibus, quas Græcè vocavit Evangelista *κειρίας*: *κεῖρα* enim Græcè significat mortem. Duplum miraculum est, vt ait Euthymius, & quod mortuus resurgat, & quod ligatus prodire possit.

Quidam autem ex ipsis abierunt ad Phariseos.] Videlicet, qui malè affecti erant erga Christum, & erant amici Phariseorum. Ita Euthymius intelligit, & Lyra, & Iansenius, & alij.

Et venient Romani.] Putabant ipsum affectare regnum temporale, & tale futurum esse regnum Messiae.

Expedit vobis.] In Græco, & in Latinis emendatis est, *expedit nobis*.

Hoc autem à semetipso non dixit.] Quamvis ipse malus esset, tamen Spiritus sanctus habuit rationem pontificæ dignitatis, vt ait Augustinus, & loquitus est per eum, licet ipse non intelligeret sensum, quem Spiritus sanctus intendebat, nempe Christum non solùm moriturum esse pro gente Iudeorum, sed etiam pro omnibus predestinatis, qui erant dispersi in gentilitate, quos vocat filios Dei, vt diximus c. 10. in illis verbis, & alias ones habeo, &c.

Cogitauerunt.] Id est, firmiter apud se statuerunt, vt aiunt Chrysostomus, & Theophylactus.

Cogitandi verbum.

In ciuitatem, quæ dicitur Ephrem.] Hæc ciuitas est supra Hierico versus Iordanem, non longè ab eo, & pertinet ad tribum Ephraim: vnde & videtur ab ipso Ephraim habere vocabulum; sed quemadmodum Græci more suo dicunt pro Ephraim Ephrem, vt Ps. 77. *Fili Ephrem, intendentis, & mittentes arcum.* Ita ciuitatem, quæ vocabatur Ephraim, vocant Ephrem, quamvis apud Nonnum sine diptongo scribitur Ephrem, sed mendose, vt videtur, nec arbitror hanc esse, quæ secunda Paralip. 13. dicitur Ἐφρών, vt ex Hieronymo in locis Hebraicis colligere se putat Iansenius. Nam illius littera prima est γ ain, & ultima, ν nun. In Ephraim prima est α aleph, & ultima μ mem. & præterea quoniam ex 1. Machabæorum 1. constat Ephron esse trans Iordanem, hæc autem ad quam secessit Dominus, est circa Iordanem.

Et ibi morabatur.] In Græco est δέ της ιβη, id est, conuersabatur, manebat.

Vt sanctificarent seipso.] Id est, vt sacrificiis, & ceremoniis purgarent se ab omnibus immunditiis legis, & orationibus ac sacrificiis se præpararent ad pascha ritè celebrandum, & comedendum, vt ait S. Thomas, & Iansenius, & ideo aliquot diebus ante pascha erant in Ierusalem.

Querebant ergo Iesum.] Scilicet cupientes eum videre, & alloqui, propter miraculum Lazari, vnde cap. 12. *Ob id prodierunt ei obuiam honorifice.*

Dederant autem Pontifices,] &c. & ideo Dominus non veniebat, donec magis appropinquaret tempus passioni destinatum.

SAN

S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T XII.

1. **S**esus ergo ante sex dies Pasche venit Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit Iesus. 2. Fecerunt autem ei cœnam ibi: & Martha ministrabat: Lazarus vero unus erat ex discum-bentibus cum eo. 3. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, & vnxit pedes Iesu, & extersit pedes eius capillis suis: & domus impleta est ex odore unguenti. 4. Dixit ergo unus ex discipulis eius, Iudas Iscariotes, qui erat eum traditurus: 5. Quare hoc unguentum non vniuit trecentis denariis, & datum est ege-nis? 6. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia sūr erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. 7. Dixit ergo Iesus: Sinite illam, vt in diem sepulturæ meæ ser-uet illud. 8. Pauperes enim semper habebitis vobiscum: me autem non semper habebitis. 9. Cognouit ergo turba multa ex Iudeis, quia illuc esset: & venerunt, non propter Iesum tantum, sed vt Lazarum viderent, quem suscitauit a mortuis. 10. Cogitauerunt autem prin-cipes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: 11. Quia multi propter illum abibant ex Iudeis, & credebant in Iesum. 12. In cra-stinum autem turba multa, quæ venerat ad diem festum, cum andissent quia venit Iesus Ierosolymam: 13. acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israël. 14. Et inuenit Iesus asellum, & sedid super eum, sicut scriptum est: 15. Noli timere filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. 16. Hæc non cognoverunt discipuli eius primum: sed quando glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quia haec erant scripta de eo, & haec fecerunt ei. 17. Testimonium ergo perhibebat turba, quæ erat Ribera in Euang. Ioan.

L1 2 cum

cum eo quando Lazarum vocauit de monumento , & suscitauit eum à mortuis. 18. Propterea & obuiam venit ei turba : quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19. Pharisei ergo dixerunt ad semetipos: Videntis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit. 20. Erant autem quidam Gentiles ex his , qui ascenderant ut adorarent in die festo. 21. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsai da Galileæ. & rogabant eum dicentes: Domine , volumus Iesum videre. 22. Venit Philippus , & dicit Andrea: Andreas rursum & Philippus dixerunt Iesu. 23. Iesus autem respondit eis , dicens: Venit hora , ut clarificetur Filius hominis. 24. Amen , amen dico vobis , nisi granum frumenti cadens in terram , mortuum fuerit. 25. Ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit , multum fructum affert. Qui amat animam suam , perdet eam : & qui odit animam suam in hoc mundo , in vitam aeternam custodit eam. 26. Si quis mihi ministrat , me sequatur: & ubi sum ego , illuc & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit , honorificabit eum Pater meus. 27. Nunc anima mea turbata est : Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. 28. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo : Et clarificavi , & iterum clarificabo. 29. Turba ergo , qua stabat , & audierat , dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant , Angelus ei locutus est. 30. Respondit Iesus , & dixit: Non propter me hac vox venit , sed propter vos. 31. Nunc iudicium est mundi : nunc princeps huius mundi eiicietur foras. 32. Et ego si exaltatus fuero à terra , omnia traham ad me ipsum. 33. (Hoc autem dicebat , significans , qua morte esse moriturus.) 34. Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege , quia Christus manet in aeternum : & quomodo tu dicas , oportet exaltari Filium hominis ? Quis est iste Filius hominis? 35. Dixit ergo eis Iesus. Adhuc modicum , lumen in vobis est. Ambulate dum lucem habetis , ut non vos tenebrae comprehendant: & qui ambulat in tenebris , nescit quò vadat. 36. Dum lucem habetis credite in lucem , ut filii lucis sitis. Hac locutus est Iesus : & abiit , & abscondit se ab eis. 37. Cum autem tanta signa fecisset coram eis , non credebant in eum. 38. Ut sermo Isaiae propheta impleretur , quem dixit , Domine , quis credit auditui nostro , & brachium Domini cui reuelatum est? 39. Propterea non poterant credere , quia iterum dixit Isaías : 40. Excœauit oculos eorum , & indurauit cor eorum , ut non videant oculis , & non intelligent corde , & conuertantur , & sanem eos. 41. Hac dixit

dixit Isaías , quando vidit gloriam eius , & locutus est de eo.
 42. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter Pharis eos non confitebantur , ut è synagoga non eiicerentur.
 43. Dilexerunt enim gloriam hominum magis , quam gloriam Dei.
 44. Iesūs autem clamauit, & dixit : Qui credit in me, non credit in me , sed in eum , qui misit me. 45. Et qui videt me, videt eum, qui misit me. 46. Ego lux in mundum veni : vt omnis , qui credit in me , in tenebris non maneat. 47. Et si quis audierit verba mea , & non custodierit: ego non iudico eum: non enim veni vt iudicem mundum, sed vt saluiscem mundum. 48. Qui spernit me , & non accipit verba mea : habet qui iudicet eum : sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. 49. Quia ego ex me ipso non sum locutus , sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam , & quid loquar. 50. Et scio quia mandatum eius vita eterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi Pater, sic loquor.

I N C A P V T X I I . S A N C T I
 I E S V C H R I S T I E V A N G E L I I
 S E C V N D V M I O A N N E M ,

C O M M E N T A R I A .

A NTE sex dies Paschæ.] Hoc erat Pascha quarti anni, vt dices cap. 3. in principio.

A Maria ergo accepit libram vnguenti.] Cap. 11. ostendimus, eandem esse mulierem, cuius hic meminuit Ioannes, & cuius meminire Matth.c. 26. & Marc. 14. Nunc queritur ad illius disputationis complementum , an sit eadem vñctio. Auctores , qui plures mulieres ponunt , docent ferè esse diuersas vñctiones ; ij, & præsertim Origenes tract. 35. in Matth. ita probant. Mulier apud Matthæum effudit vñguentum super caput Domini hæc apud Ioannem , non super caput, sed super pedes; ergo non est eadem vñctio. Secundò, illa fecit biduo ante pascha, hæc Ioan. sex diebus ante pascha. Tertiò , quod narrat Ioannes, videtur fuisse in domo Marthæ , quoniam Martha ministrabat, nec videbatur mulier nobilis, in aliena domo ministratura ; quod autem ait Matthæus , fuit in domo Simonis Leprosi. Quartò , apud Matthæum discipuli indignati sunt, dicentes : Ut quid perditio ista, &c. apud Ioannem autem solus Iudas indignatus est, quia fur erat , & loculos habens.

Ad hoc respondemus, nullo modo probare, esse diuersas mulieres,

L 1 3 quamuis

Vtrum hac
eadem vñ-
ctio qua in
Matthæo
& Marco.

quamvis probaretur diuersas esse vunctiones, poterat enim eadem mulier vngere Dominū sex diebus ante pascha, & iterum biduo ante pascha, & ideo facile dici poterat diuersas fuisse vunctiones. Nihilominus dicendū est sine dubio vnam, & eamdem fuisse, quemadmodū docent Aug. & auctores omnes, qui dicunt non esse multas mulieres, sed vnam, quorum nomina indicauimus c. 11. & ex ipsis Euangelistis facile colligitur, concurrunt enim in vtraque narratione tā multa similia, vt non videatur hoc posse negari, vt locus Bethania, mulier vngens, tempus ante pascha, extersio capillorū, verba discipuli indignantis, & responsio Domini eadem. Præterea non erat probabile discipulos semel à Domino reprehensos, quod indignarentur mulieri, iterū tam citè indignari. Ad primum argumentū Orig. respondet Aug. 2. de consensu Euang. c. 79. Vtrumque factum esse, id est, effectum esse vnguentū super caput, & postea super pedes, nō enim ita effudit super caput, vt nō remanserit etiā aliquid pedibus. Confirmat hoc Aug. ex eo quod dixerat in eodē lib. c. 46. vbi conciliauit Lucam cum Marco ; Lucas enim c. 9. dixit in miraculo panū homines discubuisse quinquagenos ; Marcus verò c. 6. centenos & quinquagenos. Aug. soluit hoc, dicens vtrumque factū esse, & ideo dicendū fuisse, si tantūmodo diceret Marcus discubuisse centenos. Sed quoniā obstat illud Mar. 4. *Et fracto alabastro effudit super caput ipsius.* Si quis, inquit Aug. propter hæc verba pertinaciter contendat nihil vnguenti remansisse in fracto alabastro, & ita non esse effusū vnguentū super pedes, respondebimus illi, prius effusū fuisse super pedes, & postea super caput. Ad secundum respondent omnes auctores citati cum Aug. lib. cit. c. 78. Ioan. obseruasse verū historiæ ordinem, vt solet semper: cæteros autē Euangelistas per recapitulationem, hoc intersuistisse, quasi antea factū : quod facile ex ipsis intelligi potest, non enim dicunt biduo ante pascha factam fuisse ecenam, sed biduo ante pascha coëgisse concilium sacerdotes, vt Iesu dolo tenerent & occiderent, & tunc Iudas ipsos adiit, dicens, *Quid vultis mibi dare, &c.* sed vt ostenderent Euangelistæ, quid Iudam ad tantum scelus impulisset, necessarium fuit ibi narranda cœna sexto die facta Bethania ante pascha, in qua, cùm effusum esset vnguentum, quod trecentis denariis vendi poterat, quos ille Domino dari voluerit, vt inde aliquid suffurari posset, decreuit, in damni illius compensationem vendere Dominum suum, vt diximus c. 11. Ad tertium potest responderi ex Nicephoro primo hist. Ecclæsiast. c. 27. vbi de hoc conuiuio loquens ait : *Ibi eum Simon leprosus hospitio excipit, quem apocryphi libri patrem Lazari fuisse aperiè tradunt. quod si hoc non recipinus, quid obstat Dominum hospitio exceptum esse à Martha, sed invitatum tunc a Simone leproso, in quo conuiuio Martha propter Domini reuerentiam, & amorem non dubitanit ministrare.* Ad quartum responderet Augustinus lib. citato c. 29. & Chrysostomus hom. 64. in Matthæum, discipulos omnes indignatos esse, licet non eadem causa; Iudas, quia fur erat, cæteri, qui pauperum misericordia tangebantur, quam responcionem sequuntur Iansenius c. 109. & Montanus Matt. 26.

&

& alij, & sanè meritò; prior enim Iudas indignatus dixit, quare hoc vnguentum, &c. deinde cæteri specie illa misericordiae inconsideranter commoti sunt, & dixerunt, potuit enim vnguentum istud venundari multum, &c. Secundo modo soluit August. solum fuisse Iudam, qui indignatus est, & positum esse more Scripturæ pluralem pro singulari, ut Hebr. 11. Lapidati sunt, scelbi sunt. His duobus modis respondet etiam Hieronymus Matth. 26. Exemplum viriusque est Matth. 27. id ipsum & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei; cùm Lucas c. 23. non amborum, sed vnius meminerit. Vtraque solutio est satis probabilis, sed prior est probabilius, & melior. Denique hæc, & similia arguenda facile solui possunt, si consideremus hunc esse Ioannis morem, ut rectum ordinem historiæ semper obseruet, & in iis, quæ sunt ab aliis narrata, ea potissimum scribat, quæ illi prætermiserunt.

Libram vnguenti nardi pistici.] Libra duodecim vncias habet, & est nomen non solum ponderis, sed etiam mensuræ. Nardus verò, siue nardum (vtroque enim modo dicitur) de quo Dioscorides lib. 1. cap. 6. & Plinius lib. 12. cap. 12. est frutex, graui ac crassa radice, sed breui & nigra, fragilique, aspero sapore, folio parvo & denso, cæcumina in aristas se spargunt; ideo gemina dote nardi spicas, & folia concelebrant, ut ait Plinius; ex nardo oleo delibuta siebat vnguentum pretiosissimum, &, ut ibidem ait Plinius, principale in vnguentis, in quo potissimum spicæ laudabantur, deinde folia; hoc vnguento veteres caput vngebant. Vnde Propertius lib. 2. Ele-
giarum:

Illiū puro distillent tempora nardo;

Nardi de-
scriptio ex
Dioscoride
& Plinio.

Pistici autem non est nomen loci, ut putauit Augustinus tract. 5. e. quamuis non multum ab hoc discrepare videntur Theophylactus: Marci 14. & Enthymius Matth. 26. sed pisticon Græcè, Latinè so-
nat fidele, id est, purum, ut dixit Propertius, scilicet sincerum, ut quid.
ait Plinius, & non adulteratum, ita Hieronymus, & Euthymius,
in Matthæum, & Theophylactus in Marcum. Solent enim huius-
modi vnguenta corrupti mixtione viliorum herbarum, aut fruti-
cum, vnde recte exposuit S. Thomas, pistici, id est, non sophisti-
cati; quod potissimum dictum videtur propter Pseudo-Nardum, in
Gallia Narbonensi notissimam & frequentissimam, & in aliis lo-
cis, quæ similis nardo sit, est tamen inferioris generis, & pre-
tij. Patet hoc ex Plinio. Adulteratur, inquit, & Pseudo-nardo her-
ba, qua ubique nascitur, &c. Item sua radice permixta ponderis cau-
sa & gummi spumaque argenti, &c. & eodem modo legendum est
Marc. 14. Habens alabastrum vnguenti nardi pistici, & ita ibi legunt
Theophylactus, & veteres, & ita habetur in multis codicibus Latini-
nis, licet Beda legat spicati, quoniam spicæ in nardo sunt maximi
pretij ad vnguentum, ut dictum est. Alabastrum autem vocat vas ex Alabastrum
alabastrite lapide confectum ad vnguenta, tenuissimum, candidum, quid.
& pulcherrimum.

Impleta

Impleta est ex odore vnguenti.] Est enim vehementissimæ fragrantia,
vt ferri vix possit.

Iudas unde dicitur Isea- *Iudas Iscariotes.] Ad distinctionem Iudæ Thaddæi. Dicitur autem Iscariotes, à loco, in quo natus est, vt aiunt Hieronymus, & Chrysostomus, & Theophylactus, & Euthymius, Matth. 10.*

Pertinebat ad eum.] Id est, curæ illi erat, vt diximus, cap. 10. in illis verbis, non pertinet ad eum de ouibus.

Et loculos habens.] Quibus deferebat eleemosynas Domino datas; quoniam enim multos discipulos secum Dominus circumducebat, necesse erat nummos habere, ne hospites grauaret, eos autem Iuda commisit, quia minimus erat inter Apostolos, & minus spiritualis, & quia magis amabat tractare pecuniam.

Ea, quæ mittebantur portabat.] Hoc omnes ita intelligere videntur, quæ mittebantur, id est, quæ Domino dabantur in eleemosynam, & mittebantur à denotis amicis. At hoc non videtur rectè dici, quoniam in Græco non est τὰ τερπητικά, vt esse debebat ad hunc sensum efficiendum, sed τὰ βανδύερα, id est, iniecta, immissa. Est ergo sensus, quæ seruanda erant, & reponenda, ipse portabat. in Græco aptius dicitur, sed quia fur erat, & marsupium habebat, & iniecta portabat: licet enim intelligere non solum pecuniam, sed & alia Dominum seruare iussisse, vt panem, & alia huiusmodi.

Sinite illam, et in diē sepultura mea seruet illud.] Multi codices ita habent, & certè satis probabiliter, quoniā non soli Iudæ, sed etiam aliis discipulis loqui Dominum constat ex sequentibus, pauperes enim semper habebitis: ex quo patet etiam cæteros Apostolos ægrè talisse effusionem vnguenti, vt dicebamus in responione quarti argumenti. In Græco tamen, & aliis codicibus Latinis, est sine illam, & est sensus, ne illi indignemini; quod enim modò fecit, in officium sepulturæ meæ fecit, in diem illum seruat: nam tunc cupiet me vngere, quomodo solent vngi, qui sepeliendi sunt, & quod tunc non poterit facere, modò facit. in Græco nunc habet, sine illam, in diem sepultura seruanit illud; & est idem sensus, & ita intelligi debere patet ex eo quod sequitur, Mittens enim hac vnguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Et Marcus, quod habuit hac fecit, præuenit vngere corpus meum in sepulturam. Sed est sciendum Magdalena nequaquam cogitasse de Domini sepultura, neque eo animo fecisse, sed res tamen ita gesta est: nam citò sepeliendus erat Dominus, & quod tunc facere optabat Magdalena, & non potuit, nunc fecit, & hoc vnguento præuenta est vñctio Dominicæ cadaveris; est enim receptissima Scripturæ consuerudo, vt nudus rei euentus tamquam modò causæ significetur, & quod ex aliquo factum secutum est, tribuatur ei, cuius fuit illud factum, proinde ac si illud cogitasset, vt diximus Amos 2. in illis verbis, polluerunt nomen meum. Dominus autem passus est vnguentum illud effundi, & propter mulieris ipsius consolationem & devotionem, & propter sepulturæ ipsius significationem.

*Dominus
cur vngue-
tum illud
effundi pas-
sus.*

Pauperes

Pauperes enim semper habebitis vobisum.] Et hic & postea, vbi ait, *me autem non semper habebitis*, tam in hoc Euangelista, quām in ceteris semper est in Græco *habetis*, & ita legunt Hieronymus, & Chrysostomus, & alij Græci, quamvis sensus sit idem, etiamsi legatur, *habebitis*. Dōcer autem eos Dominus his verbis Mariam melius fecisse effundendo super se vnguentum, quām si venderet, & pauperibus daret, tum propter dignitatē personæ Domini, tum quia humanitatis officia, quæ alicui certæ personæ exhiberi postulat tempus certum, non sunt prætermittenda, propter communia debita, quæ in determinatè debemus proximis, ut optimè explicituit Caietanus ientaculo 1. q. 1.

In crastinum.] Scilicet post cænam illam, nempe die Dominica in ramis palmarum.

Accepterunt ramos palmarum.] Augustinus tract. 51. Rami palmarum laudes sunt significantis victoriam, quia erat Dominus mortem moriendo suparatorus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphatus. Idem aiunt Euthymius, & Theophylactus, & S. Thomas, & Lyra. Ratio eorum, quoniam olim in certaminibus palma dabatur victoribus, vnde Apocal. 7. de sanctis iam victoribus dicitur, *& palma in manibus eorum*. At iste mos Gentilium proculdubio fuit, non tamen videtur fuisse Iudeorum, non enim legitur in Scriptura: nam illud Deuter. 25. *ei iustitia palmam dabunt*, metaphorice dictum est, ex consuetudine Romanorum, & Græcorum; vnde in Hebreo non ita est, *sed iustificabunt iustum*. Apud Hebræos palmarum, & aliarum arborum frondes gestare mos erat tantummodo in signum lætitiae, quacumque ex causa orta esset illa lætitia, vt Leuit. 23. de festo tabernaculorum dicitur, *faretisque vobis die primo fructus arboris pulcherrima, spatulæisque palmarum, & latibimini coram Domino*. Et 1. Machabæorum 13. Simon intravit in templum, cum hymnis, & ramis palmarum, in signum lætitiae. Et 2. Machabæorum 10. celebraverunt festum tabernaculorum cum ramis viribus, &c. Hoc & etiam ostendit, quod ait Iosephus 3. antiquitatum cap. 10. loquens de festo tabernaculorum, ait enim, *& simul pro gratiarum actione sacrificare, manibus interim gestantes ramos myrti, salicis & palmae*. Ostendit hoc etiam mos Iudeorum, quod hodie similiter faciunt, vt ostendant lætitiam animi. Ita igitur Domino occurserunt cum ramis palmarum in signum lætitiae, & ita intelligitur illud Apocal. *& palma in manibus eorum*, scilicet propter lætitiam, sive in signum lætitiae, quasi celebrantes magnam illam festiuitatem tabernaculorum, quam filii Israël iussi sunt celebrare, cum ingressi essent terram promissionis, Leu. 13. in memoriam quod olim habitassent in tabernaculis, cum educti sunt de terra Ægypti: ita sancti lætantur, quod educti fuerint olim de potestate diaboli, & per desertum, & tabernacula huius vitæ ingressi sunt in veram terram promissionis. Possumus quidem dicere propter hos sanctos, Iudeos iā tempore Domini imitatos

Ribera in Euang. Ioan.

M m fuisse

Rami pal-
marū quid
significant.

fuisse consuetudinem Romanorum, & Græcorum, sed multo videtur probabilius non imitatos fuisse alienum morem, sed suum, vnde nihil de victoria loquuntur, vt siebat apud Romanos, sed omnia eorum verba lætitiam, & gratiarum actionem personabant.

Hosanna
quid.

Hosanna, non est vnica dictio, sed duæ, quarum diuersas fuisse interpretationes apud veteres dicit Hieronymus in epistola mulieris super hoc sermone ad Damasum: nā Hilarius Can. 21. in Matth. vt ibi refert Hier. docet significare redemptionem domus Dauid; & idem dicit postea Ambrosius Lucæ 19. quod videntur sumpsiſſe ex Origene, qui tract. 14. in Matth. in fine dicit significare restitutionem. Alij dicunt significare gloriam, & laudem: vt Euthymius Matth. 21. Theophylactus ibidem, & Marc. 11. quamuis dicunt idem esse, quod serua. Aliquando Aug. tract. 51. & secundo de doctrina Christiana cap. 11. putat eius interiectionem lætantis; sed res est à Hieronymo diligenter explicata in illa epistola, & Matth. 21. cuis sententiam postea omnes secuti sunt, dicit significare, salua, obsecro & desumptum esse ex Psal. 117. qui manifestè de Saluatoris loquitur aduentu, & ideo frequentissime legebatur in Synagogis, & omnibus erat notus. Itaque vbi nos habemus, *O Domine saluum me fac*, in Hebreo est, יְהוָה הַזֶּה יְהוָה hosanna, vnde hec verba eiusdem versus addita sunt ab Euangelistis, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Sed sunt aliqua notanda, primum non esse apud nos corruptum *Osanna*, vt Hieronymus putauit: nam quamuis in loco citato sit חִזְקִיָּהhosachna, tamen etiam dicitur *hosanna*, vt videmus in Psal. 85. *saluum fac seruum tuum*; & Hier. 31. *salua Domine populum tuum reliquias Israël*; quoniam autem hoc Hieronymus ignorare non poterat, possemus eum ita interpretari, legi corruptè apud nos *hosanna*, quoniam probabilissimum est turbam ita protulisse, vt erat in Psalmo, vnde desumptum est, & Euangelistas similiter scripsisse, vt illi dixerunt. Est autem in Psalmo חִזְקִיָּהhosagna. Vnde in eadem epistola ait Hieronymus, *Mattheus qui Hebraice scripsit Euangeliū, posuit אֶבֶן בְּרֵכָה תְּשִׁיעַ אֶבֶן hosagna berama, id est, salua, obsecro, in excelsis.*

Secundum est, illam particulam *na*, non esse unum ex nominibus diuinis, vt putauit Reuelin. lib. 2. de verbo mirifico c. 11. sed interiectionem blandientis, & petentis: vt cum nos dicimus obsecro, amabo, vt in eadem epistola ait Hieronymus.

Tertium est, hoc verbo *hosanna*, turbam non precari Christo salutem à Deo, vt putauit Interpres Euthymij Matth. 21. & Iansenius c. 10. & Montanus Matth. 21. & Martin. in libro primo hypotyposeon cap. 6. quasi esset sensus, *O Deus saluum fac, obsecro, filium Dauidis*; sed sibi potius salutem precantur à Christo, quem à Spiritu sancto inspirati, non solum Messiam, sed & Deum verum confitentur, vt ait Chrysostomus hom. 68. in Matth. Quare merito Dominus Matth. 21. de hac acclamatione exponit illud Psal. 8. *Ex ore infantium, & laetantium perficiens laude propter inimicos tuos, id est, perfecta laudem edit.*

xisti per confessionem diuinitatis, & humanitatis tuę, ut confundantur inimici tui Pharisæi, qui non solum nolebant te verum Deum confiteri, sed neque Messiam. Præterea Hieronymus Matth. 21. ita intellexit ut nos, docet enim significari his verbis aduentum Christi salutem mundi esse: & in epistola citata, *saluum fac*, dicitur, ut subaudiamus populum Israël, vel generaliter mundum, & probat ex eo quod additur, *in excelsis*. Confirmatur ex translatione nostra, quæ proflus sustulit hanc ambiguitatem, dicens, *O Domine saluum me fac*. Præterea sancti dicunt his verbis significari omnes, qui fuerunt ante Christū, & post, ab ipso salutem petere, nec posse illam habere sine eo, cùm dicit Matth. *Turba autem, quæ præcedebat, & sequebatur clamabat, Hosanna*. Ita Hieron. Matth. 21. Greg. hom. 17. in Ezech. Innoc. lib. 2. de sacro altaris mysterio c. vlt. ergo intelligunt ita, ut nos dicimus; patet etiam ex eo, quod in eodem versu vocat eum *YHWH iehoua*, ut dictum est. Denique eadem verba canit Ecclesia in Missa petens à Christo salutem æternam, ut loco citato exposuit Innoc. ergo iste est legitimus sensus, quem ipsa exprimit: quod si alia argumenta non suppetenter, vel hoc satis esset, quod Hebrei, qui in festo tabernaculorum, quod hodie singulis annis celebrant, longissimam litaniam dicunt, precantes sibi, & suis salute, & incolumitatem, & respondentes singulis acclamatiōnibus, *Hosanna*, quemadmodū nos respondemus, *miserere nobis*, ut hic refert Iansenius. Quod si contra hoc obiiciat aliquis, cur additum sit, *Hosanna filio David*, scilicet canatur, ille solus est, cui meritò possumus dicere, *Hosanna*, ab hoc solo cælestem salutem sperare licet, nemo aliis dignus est hac tam honorifica acclamatiōne. Sed illud magis videtur obstare quod statim sequitur, *O Domine, benè prosperare: nā cui prosperitatē optant, possunt optare & salutem*. Respondet magis ex hoc confirmari veritatem, quoniam ubi nos habemus, *Domine profferare*, est *Iehoua*, qua voce cū verū Deū esse confitentur; petunt igitur ei id, quod Deo optari, & peri recte possit, ut prosperetur, id est, ut ab omnibus cognoscatur, & adoretur, & prosperè ei omnia succedant in hominibus, quomodo cidebat David Ps. 19. *Exaudiat te Dominus in die tribulationis, & memor sit omnis sacrificij tui*. Et Psal. 44. *specie tua, & puleritudine tua intende prosperè, procede, & regna*; ita etiā dicimus, *sancificetur nomen tuum*.

Quartū est, has duas dictiones Hebraicas nō esse relietas ab Evangelistis quod hæc esset peculiaris acclamatio Hebræorum, sicut Romanorum erat, *Io triumphē, Io pāan*, ut putauit Erasmus, & Iansenius: hoc enim falsum est, quoniam *Hosanna*, tantummodo dicebant Deo, salutem ab eo postulant, ut probatum est. Nec reliqꝫ sunt, quoniam non poterant in aliam linguam verti, ut dixit Hieronymus. Nullam enim habent peculiarem proprietatem, & sàpè in aliis conuersæ sunt in Scriptura apud Septuaginta, & in nostra translatione, sed quoniam hæc acclamatio, iam erat in ore omnibus fidelibus, & ideo non debuit mutari: vide quæ diximus cap. 1. in illis verbis, *invenimus Messiam*. Sed adhuc mihi placet magis reliqua esse hanc vocem *ywhn bosah*, id est, salua, quoniam in ea est allusio ad nomen *Iesū*, quod

ab hoc verbo deriuatur, ac si nos diceremus, meritò saluare nos debes, quandoquidem Saluator vocaris.

Quintum est, satis probabiliter defendi hūc à Iansenio Hilarium, & Ambrosium, in eo, quod dicebant, *hosanna* significare redemptionem domus Dauid, non enim intellexerunt hæc omnia includi in his duobus dictiōibus, sed intellexerunt ibi significatam esse redēptionem, & libertatem, & salutem: sicut cùm dicimus hoc verbo *amo*, significari amorem, & adiecerant domus Dauid explicationis causa, ut indicarent animum turba acclamantis esse, potere redēptionem domus Dauid, & restitucionem ac libertatem populi sui.

Benedictus qui venit in nomine Domini.] Id est, cum virtute, ac potestate ad liberandum, ac redimendum genus humanum. Diximus de hoc cap. i. in illis verbis, *iis qui credunt in nomine eius*. Porro dicere *Rex Israël*, idem est quod dicere *verus Messias*, ut diximus cap. i. in illis verbis *inuenimus Messiam*.

Inuenit Iesus asellum.] Ex aliis Euangelistis constat quomodo inuenierit, misit enim duos discipulos, ut soluerent, & adducerent; sed numquam vult multum immorari in iis, quæ sunt dicta ab aliis.

Et sedet super eum.] Solus Matthæus *asina* meminit, quoniam Euangelium suum Iudæis scribebat, qui in Asina significabantur, ut cū Augustino dicunt omnes, & cæteri; quoniam scribebant populo Gentilium significato in pullo, super quem nullus hominum federat, id est, qui liberè viuebat, & sine Dei iugo, solius pulli fecere mentionem. Asinus autem immundum animal erat, & stolidum, & erat propterea alligatus; quare meritò per eum significatur vterque populus, & Iudæorum, & Gentilium, quoniam immundus erat, & sine sapientia, & peccatis suis ligatus. Sed & magnum dubium, vtro illorum vectus fuerit Dominus, asinane, vt ait Matthæus, an pullo, vt aiunt cæteri, an vtroque? Hieronymus Matth. 21. dicit, in parvo itineris spatio non potuisse super vtrumque sedere, sed super alterum, & probabilius sedisse super pullum. Imperfectus ibidem ait sedisse super alterum tantum. idem aiunt ibidem Chrysostomus, & Euthymius, sed hunc fuisse pullum, quoniam prius solitus est populus Gentilium, & postea zelo, & æmulatione ductus secutus est populus Iudæorum, iuxta illud Rom. 11. *Quia exaltata ex parte contigit in Israël, donec intraret plenitudo Gentium.* Idem docent Iansen. c. 11. o. & Montanus Matth. 21. At verò mihi videtur certum vtrique insedisse, asinæ, & pullo successu, ita sentit Theoph. Matth. 21. imo & Chrysost. hic hom. 65. & Lyra, & Caietanus super Matth. patet apertissime ex verbis Zachariæ 9. *Ascendens super asinam, & super pullum filium asina.* Et Matthæi 21. *Et adduxerunt asinam, & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt.* Neque obstat, quod Euthymius in Matth. & Iansenius & alij exponere volunt, *desuper*; id est, super vestimenta: nam in Græco est, *super ipsijs*, quod tam ad animalia, quam ad vestimenta referri potestinam etiamsi ad vestimenta referatur, constat vestimenta non sunt. Ad hanc haec omnia, qd mā in manuop. sive. in bī. p. non dī.

*
Rex Israël
idem quod
verus Mef-
sias.

Judæi &
Gentiles in
asina pullo-
que signifi-
cati.

An asina,
aut pullo
vestis fue-
rit Domi-
nus.

non esse imposita , nisi ut mollius Dominus federet. Non obstat etiam, quod ad hæc verba Matthæi dixit Hieronymus, quando historia habet vel impossibilitatem , vel turpitudinem, configiendum esse ad sensum altiorem ; nulla enim est absurditas gratia significandi mysterium, nunc huic, nunc illi animali insidere. Multo minus recipi debet quod dixit Euthymius in Matth. quamvis eum sequatur Ianzenius in prophetia, quam citat Euangelista, non esse asinam , sed ὄνον , id est, *asimum* in Hebræo etiam dicit Ianzenius , esse nomen masculini generis , quod asinum significat, scilicet ἄρνη. Respondetur vtrumque nomen tam Hebraicum, quam Græcum communis generis esse idem Hebraicè constat 2. Regum 19. *Dixique ego Famulus tuus sum , ut sterneret mihi asinum , & ascendens abirem cum Rege : in Hebræo est , & ascendam super eam.* Addo, legendum est , ut sterneret mihi asinam. De nomine autem Græco multo minus debuit dubitari , cùm sic paulo antè in genere foeminino in eodem Matthæo positum , dum ait , *Inuenietis asinam alligatam , & postea, ubi ait , adduxerunt asinam & pullum.* Cùm igitur dicat referens prophetiam Zachariæ, *sedens super ὄνον , & pullum*, cui potest esse dubium de vtrōq; iumento loqui ? Confirmatur hac sententia ex traditione incolarū, qui dicunt ita factū fuisse, & ex antiqua consuetudine Frāciscanorum. Nam custos Montis Sion Dominica in ramis palmarum venit in Berthphage cum magna turba Christianorum , & sedet super asinam, & postea in descensu montis oliuerti sedet super pullum, quoniam Dominus ita fecisse traditur in eisdem locis. Ita refert Aranda in descriptione Terra sanctæ c. 21. Atq; ita ego existimo prius sedisse super asinam , quia ad Iudeos missus est Dominus , & ex illis fuerunt primi credentes ; deinde super pullum, quia statim cœpit intrare plenitudo Gentium. Itaque hoc quod gestum dicimus, optimè conuenit mysterio ipsi. Arbitror etiam cæteros Euangelistas meminisse solius pulli , quoniam eo vectus intravit in Ierusalem , & quoniam probabile est maiori spatij parte pullo insedisse, quoniam diutius mansurus erat in populo Gentilium , quam in populo Iudeorum , & ideo factum puto, ut Ioannes , & alij duo referentes verba Zachariæ, qui asinæ meminist, & pulli, non meminerint ipsi asinæ, quoniam pullum in ea federat, & quando intravit in Ierusalem, cui Propheta gratulatur de tanti Regis aduentu, non asina, sed pullo vehebatur.

Noli timere filia Sion.] Ioannes non totum testimonium ponit, sed summatim eius sententiam refert, ut facere solet, ita fecit cap. 1. *Dirige viam Domini, sicut dixit Isaías Prophetæ : & quidem initio ita ait Prophetæ, Exulta fatus filia Sion, iubila filia Hierusalem :* pro quo ait Euangelista, *Noli timere filia Sion*, quod eundem sensum habet; volebat enim dicere Prophetæ, iam non est quod hostes , aut nullum malum timeas, cùm Rex tantus veniat tibi; exulta igitur, ne timas. Ex his verbis plausu conuincitur Iudeorum impietas, nam & ipsi hunc locum de Messia interpretantur ut ait Lyra Matth. 21, & Galat. lib. 4. contra Iudeos c. 1. & ut ait Chrysostomus hom. 67. in Matt. *Interrogetur Iudeus , quisnam*

Regum asina vetus Hierosolymam intravit: neminem profectò prater Christum dicere potest. Non solum autem volebat implete prophetiam unam Zachariæ Dominus cum hoc fecit, & incipere alteram de vocatione populi Gentium, sed etiam simul mores instruere, & viuendi præcepta exemplis præbere; regulam enim nobis præbet, ne maiora, quam necessarius usus exigat, requiramus, ex Chrysost. ibid. Cæterum filia Sion non dicitur Hierusalem, eo quod sit supra arcem Sion, ut multi putant, nam si ita est, cur dicitur filia Hierusalem, filia Babylonis, filia Ægypti; sed est phrasis Hebraica, qua Filia Sion, idem est, quod Sion, & filia Hierusalem, idem quod Hierusalem; sicut filius hominis homo, filii pauperum, pauperes, de qua phrasim diximus latius Osee 10. vbi ait, super filios iniquitatis, & Amos 5. vbi ait, & non adiicit ut resurgat virgo Israel.

Quando glorificatus est Iesus. Id est, post ascensionem, cum venit spiritus sanctus: ita dixit c. 7. Nondum erat spiritus datum, quia Iesus non erat glorificatus.

Et hoc fecerunt ei.] Id est, recordati sunt haec de eo scripta fuisse, & se illi ministrare, ita ut dictum est, quo prophetia impleretur, licet tunc minimè intelligerent, quid agerent. ita Augustinus: tract. 51. Vel, ut ait Euthymius, recordati sunt etiam, quod haec, que dicta sunt fecerunt ei Iudei, id est, quod ut Regi obuiam prodierunt cum exultatione, & fausta acclamacione, quoniam implebatur tunc, quod dictum erat à Propheta.

Pharisæi ergo dixerunt ad se metipso.] Verba haec, vel eorum esse possunt, qui dominum amabant, quasi dicant alij, frustra eum persequimur, non valebimus ei obsistere, omnes eum recipiunt, & nos similiiter faciamus. ita intelligunt Chrysostomus homil. 65. & Theophylactus. Vel etiam possunt esse inuidorum indignantium ob Christi gloriam, & seipso exhortantium ad vehementius nocendum: utroque modo exponunt Euthymius, & Lyra: sed probabilius est esse verba inuidorum, quoniam isti Pharisæi semper in Evangelio inducuntur, ut hostes Christi, & ita intellexit Augustinus, & probatur aperte ex Matth. 21. Videntes autem principes Sacerdotum, & Scribae mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo, Osanna Filio David, indignati sunt. & Lucæ 19. legimus, non solum Scribas & Sacerdotes, ex quibus multi erant Pharisæi, sed etiam principes plebis præ inuidia voluisse illum perdere.

Erant autem quidam Gentiles.] Interlinealis dicit hos fuisse proselytos; sed probabilius est non fuisse, sed Gentiles, qui tamen religionis causa veniebant in templum, ut adorarent, ut Eunuchus ille Actuum 8. nam etiam Reges Gentilium templum Hierusalem venerabantur, & ei dona mittebant, ut Cyrus 1. Esdræ 1. & Darius ibidem c. 6. & alij 2. Machabæorum 3. Chrysostomus & Euthymius aiunt hos non fuisse proselytos, sed voluisse fieri, quod est valde probabile: optabant autem Christum videre, id est, alloqui familiarius, & cognoscere,

Filia Sion
idem quod
Sion, pa-
raphrasi
Hebraica.

cere, quoniam audierant eius miracula.

Hi ergo accesserunt ad Philippum.] Nou est improbatum, quod aiunt Caietanus, & Montanus, & alij hos fuisse ex ciuitatibus illis Galilææ, quæ erant Gentilium, & ideo Philippum adiisse, quia cum essent ex Bethsaïda illa quæ erat in Galilæa, erant illi noti, quamuis etiam forte fortuna fieri potuerit, ut aliquem ex discipulis quærentes, primùm Philippo occurserent.

Dixit Andree.] Tamquam maiori, & antiquiori Apostolo. Ostenditur hic discipulorum erga Dominum reuerentia, & hoc vtrumque illorum remorabatur, ut ait Chrysostomus, quod dixerat eis Dominus, *In viam Gentium ne abieritis*, & ideo non afferunt ad eum Gentiles, donec eius voluntatem intelligent.

*Discipulorū
erga Domi-
num reue-
rentia.*

Venit hora.] Id est iam tempus adest, quo ego à Pharisæis abiectus, & neglectus à populis gentilium, qui in me credunt, cognoscant, & glorificabor, & vt Deus adorabor, atque hoc indicat per similitudinem, quæ sequitur.

Nisi granum frumenti.] Quasi dicat, quemadmodum granū frumenti, si non seminetur, & in terra moriatur, non multiplicatur, si autem seminetur, multiplicatur valde, & multa ex eo grana nascuntur; ita nūc ego moriturus sum, & sepeliendus, & postea resurgā, & qui modò paucos ad me traho, tunc in præmium passionis, & mortis, dabit mihi Pater innumeram populorum multitudinem, qui in me credent, & venient ad Euangelium, quod paulo post magis exponit dicens, *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Quoniam hoc similiiter in morte Martyrum evenit, ut uno moriente, multi pro eo surgerent, & ad fidem venirent; propterea Ecclesia suo modo tribuit hoc Martyribus.

Qui amat animam suam, perdet eam.] Hæc verba, quæ totā ferè Christi philosophiam continent, sæpè repetuntur in Euangelio, & ideo sunt accurate explicanda. Augustinus tract. 51. docet dupliciter potest intelligi, primò ita, si amas animā tuam, perdes eam, id est, qui amat animam suam, & non dubitabit eam exponere periculis, & perdere. Secundò ita, qui amat animam suam, dum putat se amare, perdet eam; quasi dicat, noli amare eam, ne perdas; noli amare in hac vita, ne perdas in æterna vita. atque hoc posterius magis videtur habere Euangelicus sensus, & ita est, & hoc modo intellexit Gregorius homil. 32. in Euan-gelia, exponens illud Matth. 16. *Qui voluerit animam suam salvam facere perdet eam*, inquit, perinde est, ac si agricole dicatur, frumentum si seruas perdis, si seminas, renonas. Est præterea notandum *Animam* dupliciter accipi in Scriptura, aliquando significat vitam, *sumi in* ut Matth. 2. *Mortui sunt enim, qui querebant animam pueri.* Act. 20. *Nec facio animam meam preiosorem, quam me*; & ita est sensus, qui amat animam suam, &c. id est, qui metu mortis renuit ad me conuerti, dum vitam temporalem perdere recusat, perdet æternam, ita intellexit Augustinus tractatu 51. & lib. secundo de

de sermone Domini in monte cap. 22. atque hic sensus est valde germanus, quasi dicat, cum Gentiles cœperint credere in me post ascensionem meam, insurgent in eos tyrañi, & amici, & parentes idololatriæ, & sanguinent in eos, & occident. Quod si quis tunc, ne perdat vitam temporalem, noluerit conuerti, morietur in æternum; quare omnes moneo, ne metu terreatur. Hoc ipsum dixit eleganter Dominus Matth. 10. Qui inuenierit animam suam, perdet illam, id est, si quis, me relicto, vitam suam liberare cupit è periculis, & quasi putat inuenisse eam, sciat se non inuenisse eam, sed perdidisse. Secundò, anima capitut pro inferiori parte, quæ opponitur spiritui, & nobis communis est cum brutis, & passionibus obtemperat, de qua re agit optimè Origenes lib. 2. de principiis c. 8. Hieronymus Galat. 5. in illis verbis, *Caro concupiscit aduersus spiritum* Augustinus lib. de fide & Symbolo c. 10. & lib. de spiritu & anima c. 9. & 10. S. Thomas prima parte quæstione 97. articulo 3. Hinc 1. Corint. 2. *Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei.* Et, *spiritualis autem iudicat omnia.* Animalis dicitur, qui hanc inferiorē partem, & eius cupiditates sequitur; spiritualis autem, qui sequitur spiritum, id est, qui ratione, & lege Dei ducitur, & gubernatur. & in epistola Iudæ, animales spiritum non habentes. Hinc sit, ut cupiditates, & affectus, & inordinatae voluptates cibi, potus, &c. semper in scriptura tribuantur animæ, numquam autem spiritui, vt Eccles. 18. *Si praestes anima tua concupiscentias eius, facies te in gaudium inimicis tuis.* Num. 29. & affligitis animas vestras, id est, iejunabitis. Deuter. 14. *Vinum quoque & siceram, & onne quod desiderat anima tua.* Ex his sumitur secundus sensus huius loci elegantissimus, quem sequitur Chrysostomus homil. 66. & Euthymius, qui amat animam suam, id est, qui absurdis eius cupiditatibus obtemperat, qui præter debitum ei indulget, & conuenit etiam optimè cum præcedentibus. quasi dicat, qui ad me venire volent, sciant non se debere parere cupiditatibus, nam id erit ei causa mortis æternæ, & hoc est quod dicit Matth. 19. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, &c. & Lucas 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem, &c. adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Utique sensus coniungendus est, quoniam uterque est aptissimus, & ita eos coniungunt Theophylactus, & Euthymius.

Si quis mihi ministrat, me sequatur.] Qui mihi ministrare vult, proponat me sibi ad imitandum, & intelligat se non posse peruenire in vitam æternam, nisi me imitetur, qui contemno omnes voluptates, & vitam pro gloria Dei, & utilitate hominum non dubito omnibus periculis exponere.

Honorificabit eum Pater meus.] Quamvis magnum sit, quod promisi, ministrum meum illic futurum, ubi ego fuerim, non est mirandum, quoniam Pater meus, pro obsequio quod mihi impedit, & pro abiectione, quam passus est, honorificabit eum, & ita tribuet ei tantam dignitatem, ut sit mecum, videlicet in cœlo, quod ego ascendam,

dam, vbi fruetur visione diuinæ essentiæ.

Nunc anima mea turbata est.] Chrysostomus hom. 66. & Euthymius ita exponunt; Ne quis fortasse diceret, facile esse Domino alios ad mortem exhortari, cùm ipse nullo in periculo versaretur, nec mortem perhorresceret, ostendit se quoque ut hominem mortem timere dicens: *Nunc anima turbata est*, id est, humano modo commota, & timore instantis mortis correpta; & quid dicam, quasi dicat, hæreo præ timore, quasi instar eorum, qui magno in discrimine positi, nesciunt quò se vertant, libera me Pater ex hac horribili passione: at quamuis, ut homo mortem deprecetur, tamen mortem fugere nolo pro gloria Dei, volūtate liberata; propterea enim veni inundum, & vixi usque ad hoc tempus, ut nunc hora à Patre destinata mortem opperam. Secundus sensus horum verborum est. Et quid dicam, id est, quamuis timore mortis turbatus sim, recusabōne mortem, & peccatum à Patre, ut liberet me ex hac hora, id est, ex hac morte quasi dicat, minimè: nam propterea veni in hoc tempus, ut pro hominibus moriar, ideo non recusabo mori, neque hoc dicam Patri, sed potius dicam, Pater clarifica nomen tuum. hunc sensum S. Thomas putat esse Chrysostomi, & videtur esse Theoph. eum sequuntur Titelmanus, & Montanus. Et certè est valde probabilis: nam cùm hortari vellet omnes fideles suos, ut quamuis timore mortis corriperentur, eam tamen fortiter, & generose perferrent, melius conuenire videtur cum hoc dicere, nolo mortem deprecari, aut recusare, sed fortiter pro gloria Dei mori, quam dicere, Pater ne patiaris me mori. Probatur etiam ex Scripturæ consuetudine, quæ solet ut huiusmodi percontacionibus, & interrogationibus, ut docet Aug. lib. 3. de doctrina Christiana c. 3. Perconatio est, ut idem ait, ad quam multa responderi possunt. Interrogatio vero est, ad quam tantummodo responderi potest, affirmando quod interrogatur, aut negando; & ita exponit illud Rom. 8. *Quis accusabit aduersus electos Dei?* Deus qui iustificat; *qui est, qui condemnnet?* Christus Iesus, qui mortuus est, imo & qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. In quibus verbis illud, *quis accusabit aduersus electos Dei,* percontatio est, ad quam varia responderi possunt. Deinde illud, *Deus, qui iustificat,* est interrogatio, id est, accusabit ne Deus illos, qui iustificat, non enim potest responderi nisi, nequam. & statim, *Quis est qui condemnnet?* est percontatio; quod autem sequitur, *Christus Iesus, qui mortuus est,* &c. est interrogatio, id est, num condemnabit eos Christus, qui pro ipsis mortuus est, & pro nobis nūc interpellat. quasi dicat, minimè. Ita nunc percontatio est, cùm ait: *Et quid dicam.* Et statim sequitur interrogatio. *Pater salufica me ex hac hora,* id est, precabor ne hoc? minimè, sed libenter moriar.

Pater clarifica nomen tuum.] Id est, ostende in me tuæ potentiae magnitudinem. his verbis perit à Patre resurrectionē suam, quandoquidem pro eius gloria mori vult; quasi dicat, ostende in me, quam po-

Ribera in Euang. Ioan.

N n tensa

tens sis ad honorandum & remunerandum eos qui pro te patiuntur & hoc est quod ait David Psalm. 20. *Desiderium cordis eius tribuisti ei, &c. vitam petuit a te, & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum seculi.*

Et clarificazui, & iterum clarificabo.] Ex his patet verba præcedentia ita exponenda esse, ut diximus. nam iuxta omnes hoc dicit modis, iam ostendi potentiam meam, in signis magnis, quæ feci, sed iterum ostendam faciendo, quod petis, & refusando te.

Non propter me haec vox venit.] Ego non indigeo voce sensibili, ut sciam Patrem exaudire meam orationem, sed propter vos, ut intelligatis me missum esse a Patre.

Iudicium quid.

Iudicium pro ultione, secundum Chrysostomum.

Iudicium pro damnatione tutius accipi.

Nunc iudicium est mundi.] Id est, nunc per mortem meam homines, qui diaboli tyrannie oppresi tenebantur, liberabuntur, & exibunt ex eius captiuitate. Ita Chrysost. homil. 66. & Theophylactus, & Euthymius, & August. tract. 52. & Beda & S. Thomas: sed Chrysostomus accipit iudicium pro ultione; quasi dicat, diabolus omnes homines captiuos tenebat propter peccatum, & omnibus causa mortis fuit, atque Christum occidit, qui nullo peccato tenebatur, amisi omnes, qui per eius mortem liberati sunt. Ait ergo Dominus: Ego per mortem meam vlciscar mundum, id est, homines, & spoliabo diabolum. Hoc magis propriè confirmare possumus ex Scriptura, in qua iudicium alicuius dicitur, quando in eius fauorem iudicatur, & ipse sententia iudicis liberatur, ut Psalm. 16. *De vuln. tuo iudicium meum prodeat, oculi tui videant aequitates.* & Psalm. 9. *Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam.* ita intelligitur illud Psalm. 25. *Indica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus.* Vide quæ diximus Michæl. 7. in illis verbis. Donec causam meam iudicet. Et iuxta hunc sensum Dominus omnino dicit nunc, quod scriptum est de eo Psalm. 73. *Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem.* Sed obstat huic sensui, quod in paucissimis verbis daretur magna æquiuocatio: nam cum dicit, *Nunc iudicium est mundi*, non accipit mundum in malam partem, sed in bonam: cum autem dicit continuò, *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, iam accipit in malam partem pro hominibus mundanis, & vitiosis, quibus diabolus imperat; ideo facile fugietur hæc æquiuocatio, & expositio apertissima reddetur, si dicamus, iudicium accipi pro damnatione, ut sepe accipitur in Scriptura, ut ad Galat. 5. *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium, quicumque ille est.* & erit sensus: Nunc morte mea condemnabuntur omnia mundanorum hominum studia, vertetur regnum superbia, & ambitionis, & avaritiae, & omnis peccati; & conuenit optimè cum illo 1. Ioan. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis*

est

est, & concupiscentia oculorum, & superbia vite; & fiet illud, Psalm. 71. Orientur in diebus eius iniitia, & abundancia pacis, quod dicit propter multitudinem Gentilium, & Iudeorum ad se conuertendorum, & plenitudinem gratiarum noui Testamenti. Sed nihilominus prior ille sensus etiam amplectendus est, quoniam est aptissimus, sed ad obiectionem factam respondet, mundum vocari omnes homines, qui mundi cupiditatibus, & diaboli tyrannide tenentur; & tales sunt homines electi, antequam per gratiam Dei liberentur, & ad liberationem filiorum Dei adducantur. Vnde de Apostolis ait Ioan. 15. *Ego elegi eos de mundo*, & propterea nulla est æquiuocatio, nam utroque mundus eodem modo accipitur.

Nunc princeps huius mundi eisicietur foras.] Id est, non dominabitur in cordibus hominum, amittet principatum, quem fraude quæsivit. & hoc vocat metaphoricè eiici foras. Est autem illud, quod scriptum est Abacuc 3. *Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius.* Principem autem mundi vocat, quod imperet hominibus cupiditates suas sequentibus, qui se illi ultrò subiecerunt per peccatum, iuxta illud Ioan. 8. *Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati.* & Ioh 41. *Ipse est rex super omnes filios superbia.*

Omnia traham ad me ipsum.] Græci legunt, *Omnes traham*; sed significantius est, *omnia, traham*. & August. tractat. 52. & Beda expresse adnotant non dictum esse *omnes*, sed *omnia*. *Omnia* autem prædestinatos intelligit, vt exponunt isti authores, & Gregorius homil. 22. in Euang. lib. 6. Epist. Epistola. 179. quasi dicat, *omnia hominum genera ex prædestinatis ad me traham per fidem viam, Græcos, barbaros, nobiles, ignobiles, &c. quæ est alia expositio Augustini, & coniuncta cum priori, efficit plenum sensum; quæm aperit autem hoc neutro genere explicetur, diximus c. 6. in illis verbis, Omne quod dat mihi Pater. & de verbo trahendi, diximus ibidem in illis verbis, nisi Pater, qui misit me traxerit eum.*

Nos audiuimus ex lege.] Legem vocant latè, vt comprehendant Prophetas, vt diximus c. 10. *Nónne scriptum est in lege vestra, hoc autem passim dicunt Prophetæ, vt Psalm. 71. & permanebit cum sole, & ante lunam, in generationem, & generationem.* & Psalm. 109. *Tu es sacerdos in aeternum.* Dan. 4. *Potestas eius, potestas aeterna, que non auferetur, & regnum eius, quod non destruetur.* Licet autem obscura esset hæc locutio, *Ego, si exaltatus fuerō à terra,* tamen intellexerunt illam Iudæi, siue quia sèpè de morte sua eis Dominus loquutus fuerat, siue quod forrascè Iudæi, solerent crucifixionem, aut mortem eo vocabulo significare, vt ait Iansenius *sicut nos, inquit, suspendimus vocamus exaltationem à terra.* Sed mihi valde

placet quod ait Augustinus tract. 52. hoc eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant: non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia. cum hac ratione illa prior copulanda est hoc modo; illi cogitabant, & decreuerant eum crucifigere, & cum ipsum de morte sua alias loquentem audissent, cognouissentque præscium esse mortis suæ, omnia in unum conferentes, intellexerunt eum loqui de morte crucis. Hoc ergo dicunt, Tu vocas te filium hominis, & vis Christus etiam putari? Sed pugnauit haec inter se, nam Christum non mori docet Scriptura, tu autem dicas Filium hominis esse moriturum; ergo iste Filius hominis non est Christus.

*Adhuc modicum lumen in vobis est.] In Græco legitur modè, Adhuc modicum tempus lumen vobiscum est, & ita legunt Chrysostomus hom. 67. & Theophylactus, & Euthymius, interpretanturque Christum esse lumen, ut ipse dixit cap. 8. & 9. vt sit sensus, modicum tempus vobiscum ero, dum vobiscum sum, sequimini me viam rectam vobis demonstrantem. Dicit autem lumen, ut ait Chrysostomus, indicans mortem suam esse translationem quamdam, siquidem Solis lumen non extinguitur, sed breui secedens rursus apparet. quibus verbis Chrysostomus non negat mortem corporis, sed dicit mortem illam non obstatisse, quominus verè diceretur manere in æternum contrà quam ipsi putabant. Sed sciendum est in Græco additum esse ab aliquo illud, tempus, ut putant Erasmus, & Iansenius. Si enim olim fuisse in Græco, sine dubio noster Interpres, ut solet, transtulisset; quod ergo dicit, modicum, potest significare adhuc paucum tempore, ut intellexit Chrysostomus, & probatur ex c. 13. *Filioli, adhuc modicum vobiscum sum.* aut ita, adhuc tempus aliquod vobis relinquitur, quo possitis cognoscere veritatem & conuerti: ita exponit Montanus. Vel modicum potest esse adiectuum luminis, id est, modicum lumen est in vobis, exiguum rerum diuinorum cognitionem habetis, quomodo videtur intellexisse S. Thomas, & intellexit Lyra, & vulgo solet intelligi. Sed mihi iste sensus maximè probatur, adhuc est in vobis aliquod lumen, nondum prorsus excæcati, & desperati estis; quod dicit, qui illi dixerant Christum manere in æternum. & ita intelligit Augustinus, ait enim: *Hinc ergo est, quod intelligitis, quia Christus manet in eternum atque hunc esse legitimum sensum patet ex sequentibus, Ambulate, dum lucem habetis,* id est, utrimini isto lumine priusquam propter peccata vestra excæcati, abiiciamini à Deo, & relinquamini in altissimis tenebris infidelitatis, vbi traditi in reprobum sensum precipitabimini in multos errores, & in magna peccata, nec intelligitis miseriam vestram, sed putabitis per crassam ignorantiam vos benefacere. Sed obstant nobis Erasmus, & Iansenius, dicentes *lumen* in Græco ponit cū articulo, & ideo nō posse coniungi cū adiectuo modicū. nihil tamen impedit eorum obiectio, rectè enim ponitur articulus, quoniam omnis*

Lumen
Christus.

Modicum
quid.

Locis sensus
Augustini no-
stro maxi-
mè proba-
tus.

omnis cognitio lumen quoddam est, sed cognitio Dei, & Christi excellentiori quodam modo dicitur lumen, & ita erit sensus, lumen, id est, cognitio diuinæ veritatis, & mysteriorum supernaturalium, non est in vobis penitus extinctum, adhuc non nihil habetis luminis.

Vt filii lucis sitis.] Vt h̄c habeatis Lucem fidei, & gratiæ, & postea recipiamini in Lucem sanctam, quæ promissa est Abrahæ; & filiis eius. Vide Osee ibi, *super filios iniquitatis*.

Sancta signa.] Id est, tam multa, vt notauiimus cap. 6. in illis verbis. *Quid inter tantos.*

Vi sermo Isaiae impleretur.] Denique implenda erat Prophetia Isaiae. Simile est, quod statim sequitur, propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaías, &c. quam phrasim exposuimus cap. 10. vbi ait, *sed vos non creditis, quia non esis ex omnibus meis.* Et cap. 12. vbi dicit, *sinite illam, ut in die sepultura mea seruet illud.*

Domine, quis credidit auditui nostro.] Significabat Isaie. cap. 58. unde hæc desumpta sunt, paucos ex Iudeis credituros esse in Christum, tam ipso prædicante, quam prædicantibus Apostolis, & ad hoc ipsum citauit etiam hæc verba Paul. ad Rom. 10. Sed non omnes obediunt Euangelio. Isaías enim dicit, *Domine quis credidit auditui nostro?* in quibus verbis, *Domine, sumitur, ex translatione LXX. intellexerunt enim id, quod Paulus expressit, hæc verba esse prædicitorum Euangelij, conquerentium apud Deum de paucitate credentium, & explicuerunt quod in verbis Hebraicis latebat.* *Auditus autem, more Hebraeorum, ponitur pro eo, quod auditur, id est, pro verbo prædicato, ut diximus Abacue 3. vbi ait, Domine, *audiri auditionem tuam.* Ex quo Paulus iure infert, ergo *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi, id est, si ergo dicunt, quis credidit auditui nostro? id est, verbo, quod à nobis audient, non potest esse fides, nisi præcedat auditio quædam;* ista auditio, ex qua fides oritur, debet esse per verbum aliquod prædicatum, non autem per verbum, aut doctrinam hominum, sed per doctrinam Christi, quæ sola inter omnes doctrinas perducit homines ad salutem. Ex quibus verbis confirmat id, quod paulo ante dixerat, *Quomo credent ei, quem non audierunt.**

*Auditus
pro re audi-
ta more
Hebraeorum.*

Et brachium Domini, cui reuelatum est.] Brachium Domini poteramus intelligere eius virtutem, & potentiam, quam ostendit in miraculis per Christum factis; sed multo melius exponit Augustinus tract. 53. quem multi sequuntur, brachium Dei esse Christum, per quem sibi consubstantiale Pater omnia creavit, & per quem salutem humani generis operatus est. Vnde 1. Corinth. 1. dicit Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam; quomodo autem brachium Patris sit filius, explicat hac similitudine Augustinus. *Homo, ut aliquid operetur, brachium extendit, quia non continuò sit aliquid, quia ipse dixerit:* Si autem potestate tanta præualeret, vt sine ullo motu corporis sui fieret quod ipse diceret, verbum eius, rectè brachium eius diceretur; ita filius,

*Brachium
Domini
quid.*

Obiectio Sabellianorum.

qui est verbum Patris, quo omnia fecit, recte brachium eius dicitur. Quod si obiciat hereticus Sabellianus, unam personam esse Patris, & filij, quoniam homo, & eius brachium una persona sunt. Respondet Augustinus hoc non habere locum, in iis, quæ metaphorice dicuntur, quandoquidem homo brachium suum appellare solet alterum hominem, & si autem auferatur, dolens solet dicere, brachium meum perdidisti. Sed cur dicit, *cui reuelatum est?* cum omnibus fuerit reuelatum per prædicationem Apostolorum ex Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Respondet, reuelatum dici id, quod perfectè cognoscitur, sicut cognoscitur Christus a fidelibus, & hoc est, quod ait Paulus 2. Corinth. 4. *Quod se etiam opertum est Euangelium nostrum, in iis qui pereunt, opertum est.* In quibus Deus huius seculi, excæcauit mentes infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio Euangelij gloriae Christi, id est, si doctrina Christi non est adhuc perfectè credita, & cognita à quibusdam, sed est opera, sicut lex Moysis adhuc est velata Iudeis, non id propterea contingit, quod illa non sit à me satis prædicta, & diuulgata, sed quod ipsi vitio suo patientur se à diabolo excæcari.

Propterea non poterant credere.] Non dicit, non poterant, quasi non possent, si vellent, sed is dicitur etiam non posse qui potest quidem, absolute loquendo, si velit; sed tamen, ut velit, magnis difficultatibus impeditur, quas vincere non vult, ut Marci 6. *Et non poterat ibi virtutem villam facere, scilicet quia obstabat illorum incredulitas, ut statim ostendit.* Et Ioan. 5. *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab-inuicem accipitis?* Et cap. 7. *Num potest mundus odire vos.* Ierem. 13. *Si murare potest Aethiops pellem suam, aut Pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Ita etiam intelligitur illud Matthæi 19. *Qui potest capere, capiat.* Ratio huius loquutionis est, quoniam impossibile non solum dicitur, quod nullo modo potest fieri, sed etiam quod difficile fit. Hunc sequitur Augustinus tractatu 53. & Chrysostomus homil. 67. & Theophylactus, & Euthymius; exponunt: etenim, non poterant, quia nolebant, quod eo modo, quo diximus, intelligendum est.

Impossibile dicitur etiam id quod facili est.

Hunc tamen sensum reiicit Iansenius cap. 111, propterea quod adducitur pro causa huius impossibilitatis prædictio Isaïæ, & ideo ipse exponit, cum Isaïas dixisset illos non esse credituros, nullo modo fieri poterat; ut ipsi crederent, quia in sensu composito, impossibile erat illud dixisse Isaïam, & ipsos credere, licet Isaïæ Prophetia non esset causa incredulitatis ipsorum: ut nihil efficere eius rationem patet ex yisu Scripturæ, quem exposuimus in illis verbis, ut sermo Isaïæ impleretur.

Excacauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.] Desumptum est

ex Isaiae 6. sed, ut solet, non omnia verba refert, sed summam sententiam. Verba Isaiae ita habent in Hebreo, & in nostra translatione, *Auditu audite, & nolite intelligere, & videte visu, & nolite cognoscere; excæca cor populi huius, & aures eius agraua, & oculos eius clande, ne foris videat oculis suis, & auribus audiatur, & corde intelligatur, & conuertatur, & sanem eum.* Septuaginta autem sic vertunt, *Auditu audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non videbitis, ignorassum est enim cor populi huius, & auribus suis grauiter audierunt, & clauserunt oculos suos, ne foris videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligent, & conuertantur, & sanem eos.* Quomodo citat Paulus Actu 28. & Matth. cap. 23. Sed sensus est semper idem, quantumvis variate verba videantur: nam illi imperatiui, *audiri audite, &c.* non sunt imperantis, sed futura prædicentis, ut sè ait Scriptura. Itaque pro furoris ponuntur sicut verterunt Septuaginta, & Paulus, & Matthæus; quoniam autem id, quod prophetauerat Isaías de execratione Iudeorum, impletum est Domino prædicante, propterea Ioannes cumdem sensum retinens, verba nonnihil mutauit, usus præterito in ea re, quæ verbis futuris prædicta erat, ut facere solent Apostoli, sicut notauimus Amos 5. in fine.

Ait ergo, *excœauit Deus oculos eorum, ne videant, &c.* Atque ita non videbunt oculis, sed in manifestissima veritate cœcuent, & non intelligent corde, dicturusq[ue] erat, & non conuertentur, nec sanabuntur; sed quoniam Deus erat, qui loquebatur apud Isaiam, & hic apud Ioannem, & loquitur de se, ac si loqueretur de alio, iuxta morem Spiritus sancti, repente mutat personam hic, & de tertia transit ad primam, & dicit, sanem eos. Sed forte ita melius, & aptius exponemus. Dominus loquitur Prophetae: *Excæca cor populi huius, scilicet prædicatione tua; quasi dicat, per prædicationem tuam excæcabitur cor populi huius,* quod propheta dicit, *quatenus gerit figuram Christi;* nam propriè hæc verba pertinent ad Christum. Ita nunc Ioannes ait, *excœauit oculos eorum Christus prædicatione sua ipso prædicante;* & mysteria regni cælorum aperiente, populus ita excœatus est, ut nullo modo voluerit ad me conuerti, ut sanarem eum: sed quæritur quo modo Scriptura hac phras[is] vtatur, siue de Christo loquatur, siue de Deo Patre, quæ & Dei bonitatem minimè decet, & valde improppria est: cùm enim Deus nullo modo malitiæ, aut cœxitatis spiritualis auctor esse possit, nec operetur in hominum induratione aliquid, sed tantum gratiam suam subtrahat, quomodo propriè potest dici indurare, aut excœcare: hæc enim verba, notum est, propriè loquendo non significare priuationem, sed actum posituum, & quidem maximè intensum, & continuatum.

Propter hoc argumentum quidam actionem aliquam in Deo posuerunt,

erunt, & manifestè videtur eam ponere Augustinus lib. 5. contrà Iulian. cap. 3. & apertiùs lib. de gratia & lib. arb. cap. 21. Sed hanc actionem ita explicat Adamus Rom. 1. & 11. & super Isai. cap. 29. vbi citat auctorem suæ sententiae Driedonem lib. 1. de gratia, & lib. arb. fol. 259. & lib. 2. fol. 104. & in lib. de concordia liber. arbit. & prædest. diuinæ, fol. 11. & fol. 237. Quoniam Deus interdum non tantum auxilium subtrahit, sed etiam offendicula ponit, in quæ peccator grauius impaeturus est sua culpa, aliquando etiam voluntatem iam ex se in malum inclinatam flectit, ut in certos homines malitiam suam exerceat, iuxta illud 2. Reg. 16. *Dominus pracepit Semei, ut malediceret David.* Sed vtrumque mihi valde falsum videtur, nec enim decet diuinam bonitatem offendicula infirmis ponere, aut voluntatem positiuè flectere in aliquod malum; sed videt ab eis poni offendicula, & non tollit, permittitque ab aliis causis malam voluntatem flecti, ut in certos homines malitiam exerceat. Quod autem scriptū est 2. Reg. 16. tantum hoc significat diuinæ prouidentiæ ordine permitti malos sœuire in bonos, & Deum velle iustos huiusmodi mala pati, ut probentur; itaque permittit malam actionem, & vult iustum passionem iustorum. Multo melius explicuit Cano 2. de locis cap. 4. ad 7. Sic remouens, prohibens dicitur causa eversionis domus; ita Deus subtrahit Lucem suam, sine qua caci sumus, & spiritum suum, sine quo induramur, & ideo dicitur excacare, & indurare, tamquam remouens prohibens. Secundò, quoniam dæmon, Deo iustè permittente, inclinat voluntatem in malum, & exequitur iusta iudicia Dei, & ita dicitur Deus id facere, quemadmodum iudex dicitur iustè facere id, quod eius minister facit, exequendo eius sententiam. Tertiò, quoniam eodem lumine, & eadem gratia quidam molescunt & resipiscunt, quidam resistendo indurantur; sicut sol dicitur emollire ceram, & indurare lumen. Et hæc tercia opinio est Hieronymi quæst. 10. ad Hædibiam. Ex his explicantur loca Scripturæ, & Augustini, licet Augustinus lib. de gratia & lib. arb. planè videatur loqui dubitanter; sed quoniam loquitiones Scripturæ nulla ex re melius, quam ex ipsis Scripturæ consuetudine explicantur, nos respondemus hanc phrasim esse in Scriptura valde vñitatem, ut latius adnotauimus in Amos cap. 2. Solent enim actiones nominare secundùm id, quod ex euentu earum vulgares homines iudicare solent, ut Psal. 10. *Qui autem diligit iniqitatem, odit animam suam;* cum enim sciat peccator quanta supplicia maneant malos & in hac vita, & in futura, & nihilominus amet peccatum, videtur odio habere seipsum, aut animam suam. ita in hoc cap. *Qui odit animam suam in hoc mundo,* &c. quia qui illam periculis exponit, videtur odiisse, Ezech. 14. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Qui enim iubet alterum decipi, nec eum admonet, cum possit, videretur illum decipere, iuxta vulgi iudicium. Mich. 2. *Vt inam non essem vir habens spiritum, sed mendacium potius loquerer.* Mendacium vocat

vocat falsitatem ; quam tamen vulgus , quia non sit , quod dicitur , mendacium vocat . Ita igitur Deus dicitur excæcare , & indurare , quia videt sine auxilio suo aliquem excæcatum iri , nec auxilietur , videtur ipsam excæcationem effecisse .

Quando vedit gloriam eius .] Id est , quando vedit illam præclaram , & augustissimam visionem , quam refert cap . 6 . *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum* , &c. in qua visione si verba consideremus , videtur Patrem vidisse , semper enim huiusmodi visiones solent Patri tribui ; sed si consideremus hæc verba Ioannis , tunc Propheta vedit filium : si autem consideremus verba Pauli Acto . vlt . *Vedit Spiritum sanctum* . ita enim ait , quia bene *Spiritus sanctus locutus est per Iosuam Prophetam ad patres nostros* , dicens : *Vade ad populum istum , & dic , aure audietis* , &c. Sed , vt refert Damascenus in epistola de trisagio iuxta finem , ex Basilio oratione 4. contra Eunomium , rectè hæc omnia dicuntur , quia licet tres sint personæ , unus tamen est Deus , quamvis modo in loco citato nihil inuenimus apud Basiliū . Itaque in illa visione cognovit apertissimè quantum ab homine in hac mortalitate cognosci potest , tres personas in unitate essentiæ , tum ex clamore Seraphim , tum ex altissima reuelatione quam habuit ; & ideo dicit , *Quando vedit gloriam eius* , id est , quando ei per reuelationem ostensa est persona filij coæqualis , & confiubstantialis Patri , & Spiritui sancto .

Et locutus est de eo .] Scilicet dicens , *excæca cor* , &c. Id est , ô Christe homo factus , docebis homines , & prædicatione tua multi excæcabantur malitia sua , vt iam exposuimus .

Magis quam gloriam Dei .] Id est , magis amauerunt honorari ab hominibus in hoc mundo quam honorari à Deo in vita æterna , & in iudicio . hæc gloria est , de qua loquitur Dominus Matth . 10 . *Qui me confessus fuerit coram hominibus* , &c. Et de ignominia , huic contraria Luke 9 . *Nam qui me erubuerit , & meos sermones , hunc filius hominis erubescet* , cum venerit in maiestate sua , & Patri , & sanctorum Angelorum . Ex hoc videmus non satis esse fidem interius habere , nisi eam confiteamur , etiam in grauibus periculis , iuxta illud Rom . 10 . *Corde enim creditur ad iustitiam , ore autem confessio fit ad salutem* , &c.

Non credit in me .] Hoc dicit , vt hortetur omnes ad credendum , & ad confitendum intrepide fidem , quam habent in corde ; quasi dicat , ne putet se credere in me : non enim credit in me , sed in Patrem meum , quia ego non loquor à meislo , sed quæcumque audiui à Patre ; sicut statim ait , *quia ego ex meislo non sum loquutus* . Quare hæc omnia usque ad finem capituli , suprà exposita sunt cap . 5 . *Non potest filius à se facere quidquam* . Et cap . 7 . *Mea doctrina non est mea* . Et cap . 8 . *Et à me ipso facio nihil* , & in aliis locis similibus .

Et qui vident me , vident eum , qui misit me , &c.] Qui intimè cognoscit me per fidem , cognoscit Patrem , qui est eiusdem essentiæ , vt cap . 14 . *Philippe , qui vident me , vident & Patrem meum* .

Præterea hoc dicit , quoniam si Pater esset in mundo incarnatus , ea-
Ribera in Enang . Iohan .

Mendacii
pro falsita-
te.

Deus quo-
modo dica-
tur excæ-
re , & indu-
rare .

dem penitus faceret, & diceret, quæ faciebat, & dicebat Christus.

Ego non iudico eum.] Id est, in hoc aduentu non punio eum, ut in secundo. ita dixit cap. 3. *Non enim misit Deus in mundum ut iudicem mundum,* &c. quod ibi exposuimus.

Ille iudicabit eum in nouissimo die.] Id est, etiamsi ego tacerem, quæ modò prædico, clamabunt contrà impios, & ostendent eos omni supplicio dignos esse.

Et scio quia mandatum eius vita eterna est, &c.] Id est, in ipsius observatione posita est consequitio vitæ æternæ, nec aliter ad vitam perueniri potest.

SANCTVM



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T XIII.

1. **M**ENTERTE diem festum Paschæ, sciens Iesus quia
venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad Pa-
trem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in
finem dilexit eos. 2. Et cena facta, cum diabo-
lus iam misisset in cor, ut traderet eum Iudas Simonis Iscariotæ: 3.
Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, &
ad Deum vadit: 4. Surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum
acepisset linteum, præcinxit se. 5. Deinde mittit aquam in peluum,
& caput lauare pedes discipulorum, & extergere linteum, quo erat
præcinctus. 6. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus:
Domine, tu mihi lauas pedes? 7. Respondit Iesus, & dixit ei:
Quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea. 8. Dicit ei Pe-
trus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei Iesus: Si
non lauero te, non habebis partem mecum. 9. Dicit ei Simon Pe-
trus, Domine, non tantum pedes meos, sed & manus, & caput. 10.
Dicit ei Iesus: Qui letus est, non indiget nisi ut pedes lauet, sed est
mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. 11. Sciebat enim
quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi
omnes. 12. Postquam ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta
sua: cum recubuisset iterum, dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? 13.
Vos vocatis me Magister, & Domine: & bene dicitis: sum etenim.
14. Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus, & Magister, & vos de-
betis alter alterius lauare pedes. 15. Exemplum enim dedi vobis, ut
quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. 15. Amen, amen
dico vobis: Non est seruus maior domino suo: neque apostolus maior
est eo, qui misit illum. 17. Si haec scitis, beati eritis si feceritis ea. 18.
Non de omnibus vobis dico: ego scio quos elegerim: sed ut adimpleatur
Scriptura. Qui manducat mecum panem, leuabit contra me calcaneum

Oo 2 suum.

suum. 19. Amodò dico vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit,
 credatis quia ego sum. 20. Amen, amen dico vobis. Qui accipit si
 quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me
 misit. 21. Cum hac dixisset Iesus, turbatus est spiritu: & protestatus
 est, & dixit: Amen, amen dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me.
 22. Aspiciebant ergo se ad inuicem discipulis, hesitantes de quo diceret.
 23. Erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu, quem
 diligebat Iesus. 24. Innuit ergo huic Simon Petrus: & dixit ei:
 Quis est, de quo dicit? 25. Itaque cum recubuisse illi supra pectus
 Iesu, dicit ei: Domine quis est? 26. Respondit Iesus: Ille est, cui ego
 intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Iude
 Simonis Iscariotae. 27. Et post bucellam, introiuit in eum satanas. Et
 dixit ei Iesus: Quod facis, fac citius. 28. Hoc autem nemo scivit
 discubentium ad quid dixerit ei. 29. Quidam enim putabant,
 quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: Eme ea, que opus
 sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret. 30. Cum er
 go accepisset ille bucellam, exiuit continuo. Erat autem nox. 31.
 Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc clarificatus est filius hominis:
 & Deus clarificatus est in eo. 32. Si Deus clarificatus est in eo, &
 Deus clarificabit eum in semetipso, & continuo clarificabit eum. 33.
 Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quæretis me: & sicut dixi
 Iudeis: Quo ego vado, vos non potestis venire: & vobis dico mo
 dò. 34. Mandatum nouum do vobis: Ut diligatis inuicem, sicut di
 lexi vos, ut & vos diligatis inuicem. 35. In hoc cognoscunt omnes
 quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. 36.
 Dicit ei Simon Petrus: Domine, quo vadis? Respondit Iesus: Quo
 ego vado, non potes me modo sequi: sequeris autem postea. 37. Di
 cit ei Petrus: Quare non possum te sequi modo? animam meam pro
 te ponam. 38. Respondit ei Iesus: Animam tuam pro me pones?
 Amen, amen dico tibi: Non cunctabit gallus, donec ter me ne
 ges.

I N C A P V T X I I I . S A N C T I
IESV CHRISTI EVANGELII
S E C V N D V M IOANNEM

C O M M E N T A R I A.

Ante diem festum Pascha.] Quoniam loquitur de die quo Dominus comedit pascha, & qui præcessit diem passionis, est hic magna, & difficilis quæstio, in quotum annum ætatis, & prædicationis Christi hoc pascha inciderit, quod haec tenus disputatum non est: de qua re variae sunt authorum sententiae, Irenæus lib. 2. c. 39. & 40. dixit Dominum vixisse ferè usque ad quinquagesimum annum, & probat ex illo Ioan. 8. quinquaginta, Annos nondum habes, & ex traditione veterum, qui dicebant se id audisse ex discipulis Apostolorum. Tertullianus lib. aduersus Iudeos c. de passione Christi, & vastatione Hierusalem, docet Dominum passum fuisse anno 15. Tyberij Cæsar, cum vix esset 30. annorum: idem dixit Aphricanus lib. 5. temporum, agens de hebdomadibus, nempe passum esse anno 15. Tyberij, eius verba refert Hieronymus Daniel. 9. idem dicit Lactatius lib. 4. cap. 14. & Paul. Orosius lib. 1. cap. 3. Sed tamen, quoniam haec sententia aperte aduersatur Evangelio Luc. 3. & Evangelio Ioan. ex quibus colligimus Dominum baptizatum esse cum esset 30. annorum, licet non conueniat inter omnes trigeminum annum fuisse impletum, & ex utroque Evangelio constat post Baptismum tribus annis prædictasse, omnino reiicienda est. Quidam autem propriis ad veritatem accedentes dixerunt, ut refert S. Thomas Ioan. 2. in principio à Baptismo Christi, usque ad passionem fluxisse duos annos, & dimidium; alij putant fluxisse tres & dimidium: sed tamen Dominum passum fuisse anno ætatis 33. inchoato, quoniam censeretur eum venisse ad Baptismum, cum incipiebat annum 30. ita censet Origenes in homil. 1. in diuersa loca, quamuis ibi tantum ait, nobis 33. annis in terra apparuit. & Apollinaris Laodicenus, cuius verba refert Hieronymus Dan. 9. Epiphanius libro 3. in hæresiæ antid. Marianitarum. Nicephorus lib. 1. c. vlt. Driedo lib. 3. de dogmatibus, Fol. 192. cap. 5. Lyra Lucæ 3. in illis verbis, erat Jesus incipiens, &c. Montanus in libello de sæculis. atque hanc sententiam sine villa dubitatione veram esse confirmat Cano. lib. 11. de locis cap. 5. ad 6. Sed ante eos eam pugnacissime defendunt Abulensis in 2. parte defensoris à cap. 11. usque ad finem 19. & Ioan. Lucidus lib. de vero die passionis Christi, potissimum cap. 9. & 12. ubi citat in eandem sententiam Paulum Episcopum Forosempuerensem, quem etiam citat, & sequitur Cano. dicit autem hoc Paulus in 2. parte lib. 9. & lib. 4. & docent isti authores,

Quoto anno & statis
Dominii hoc
Pascha in-
ciderit.

quod etiam Can. verissimum existimat, nulla ratione defendi posse Dominum passum fuisse anno 34. At vero pro certo habendum est, Dominum obiisse anno 34. ætatis sue inchoato. inchoatus est autem 25. die Decembris, & ipse passus est pascha sequenti mense Martio, & quidem passum esse 8. Kalendas Aprilis sive 25. die Martij, eodem die quo conceptus est, docet Tertullianus lib. aduersus Iudeos, loco cit. & Augustinus 18. de ciuitate c. vltimo & lib. 4. de Trinitate c. 5. in quo addit, sicut à Maioribus traditum suscipiens Ecclesiæ custodit authoritas, & Beda lib. de temporum ratione c. 45. vbi dicit: *Hoc multorum latè Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum, improbatque sententiam Theophil. Cæsariensis antiquissimi Doctoris, qui in epistola Synodica aduersus eos qui, 14. Luna pascha celebrabant cum Iudeis, scripsit traditum esse Dominum 11. Kalendas Aprilis. Idem docet Nicephorus Episcopus Constantinopolitanus in sua Chronologia, & Albertus Magnus probat hoc super Epistolam Dionysij ad Polycarpum, & idem reperitur in antiquissimis Kalendariis.* Quod autem diximus de anno 34. docet expressè Beda loco citato, vbi ita ait, *Habet enim, ni fallor, Ecclesia fides Dominum in carne paulo plusquam triginta tribus annis usque ad sua tempora passionis vixisse.* Idem docet Albertus Magnus loco cit. & Petrus Cyrallisardus in sua Chronologia, & alij. Probatut primùm hæc sententia ex imputatione Olympiadum: scribit enim Eusebius in chronicis, quem omnes chronographi sequuntur, Dominum natum esse anno 3. Olympiadis 194. & passum 4. anno Olympiadis 202. quod est tempus 34. annorum: quod autem in extremo anno huius Olympiadis ponat passionem, & non in 3. ut putare possent nonnulli, patet apertissime ex verbis Phlegontis antiqui historici, qui meminit eclipsis Solis factæ in passione, cuius veba hæc ibi refert Eusebius. *Quarto autem anno 202. Olympiadis magna, & excellens inter omnes, qua ante eam acciderant defectio solis est facta. dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ cælo visæ sint, &c.* Cùm autem anni Olympiadum inciperent circa solstitium æstuum, id est, mense Iunio, tunc enim incepiebat annus Atheniensium, qui per Olympiades computabatur, ut author est Simplicius in 5. Phyfic. super text. 25. & Theodorus Gaza in lib. de mensibus Atticis, & ex Herodoto lib. 8. aperte colligitur, quod iam dimidium tertij anni illius Olympiadis fluxerat, quando natus est Dominus. Rursus mortuus est 4. anno Olympiadis mense Martio, id est, 5. mensie illius anni. Itaque ex Olympiade 194. sumimus annum cum dimidio ex ducentesima secunda sumimus tres annos & 5. menses: quare supputatis annis Olympiadum 7. quæ sunt inter has, inuenimus. 28. quibus addimus unum, & dimidium ex Olympiade 194. & tres cum 5. mensibus ex 202. fiuntque 33. anni & 3. menses, per quos inchoatus est annus 34. à 25. die Decembris, quo natus est Dominus usque ad 25. die Martij, quo passus est.

Atque
hōsp 100

Atque idem numerus inuenietur super annos Romanorum Imperatorum numeremus. natus est enim Dominus anno 42. Augusti Cæsaris , vi ait Eusebius in chronicis , & lib. i. histor. Ecclesiast. c. 2. & Nicephorus lib. i. histor. Eccles. c. 6. & c. vlt. & aliter Nicephorus in sua chronologia , & Epiphanius lib. 3. hæres. 78. Imperauit aurem idem Augustus 57. annis , mensibus sex , diebus duobus , vt docet Iosephus 8. Antiquit. c. 3. & cum obierit 14. kalend. Septembris , vt ait Suetonius in eius vita c. 100. consentientibus omnibus , sequitur cœpisse imperare mense Martio : natus est igitur Dominus in fine 42. anni eius tribus mensibus minus , eratque cum ille mortuus est , 15. annorum , & 9. mensium , hoc enim supererat ad 57. annos cum diuidio vitæ Augusti. Tyberius Cæsar itatim mortuo Augusto cœpit imperare , id est , ad finem mensis Augusti. Quod si ex imperio Tyberij assumamus 14. annos , & addamus prioribus , conficiemus 30. annos , tribus mensibus minus , atque ita post tres menses anni 15. Tyberij. Christus impleuit 30. annum , & tunc baptizatus est , vt patet Lucæ 3. Præterea iuxta receptissimam sententiam Eusebij & Epiphaniij , & utriusque Nicephori locis citatis , & ferè omnium , quæ etiam ex Euang. colligitur aperte , vt dicemus , Christus mortuus est anno 18. eiusdem Tyberij. Igitur post tertium mensem anni 16. Tyberij , impleuit Christus annum 31. post tertium mensem anni 17. impleuit annum 32. & post tertium mensem anni 18. impleuit Christus annum 33. & post tres menses mortuus est , videlicet post sextum mensem anni 18. Tyberij quamvis huic summa Iosephi necessariò detrahendi sunt menses duos , vt constet vera computatio : alioqui sequetur Dominum impleuisse suos annos secundo mense Tyberij , impleuit autem quarto. Quod si aliquis contendat falsam esse hanc supputationem , quoniam Augustus tantummodo imperauit 56. annis , vt scribit Suetonius in eius vita c. 8. & Dion lib. 56. histor. Roman. & Eutropius lib. 7. historiae Romanæ prope principium , & Sextus Aurelius Victor lib. de vita , & moribus Romanorum Imperatorum in vita eiusdem , & Enricus Glareanus in sua chronologia , quæ est in fine operum Titi Liuij , & Nicephorus , & Tertullianus in lib. aduersus Iudæos. c. de passione Christi , & Eusebius in chronicis ; tunc si id verius esset quam quod scribit Iosephus , omnino dicendum esset Dominum natum esse anno 41. Augusti , vt expressè docet Tertullianus , & Hieronymus Ifai. 2. *In illis verbis non tenabit gens contra gemem gladium.* Et Glareanus in chronologia totidem annos numerat à primo consulatu Augusti usque ad Christi natale , siue per Olympiadæ numeres sine per annos ab Urbe condita ; siue per Consules : primum enim consulatum Augusti ponit in anno 3. Olympiadis 184. & in anno ab Urbe condita 111. Natalem autem Christi ponit in anno 3. Olympiadis 194. & in anno ab Urbe condita 751. Condita est autem Urbs 12. Kal. Maias , vt author est Eutropius lib. i. in principio .

Sed

Sed probatur aperte sententia Iosephi contra prædictos authores, Mortuis in bello contra Marcum Antonium Hircio, & Pansa, consulibus, anno sequenti à morte Iulij Cæsaris in eorum locum Augustus & Pædius consules creati sunt, vt docet Dion. lib. 46. huius consulatus diem, & annum indicat Vellecies Patrculus in posteriori volumine historiæ Romanæ ante medium, qui vixit tempore Tyberij Cæsaris. *Consulatum*, inquit, *init Casar pridie quam 20. annos impleret.* 18. Kal. Octobris. vel (vt ait Dion lib. 64.) 14. Kal. Septembbris. eodem autem anno scipsum Augustum triumuirum creauit cum M. Antonio, & Marco Lepidio in agro Bononiensi, vt patet ex Dione & Lutropio locis citatis, quod factum est 5. Kal. Decembbris, vt author est Onuphrius Panuinus in vitis Principum Romanorum; quare non multum refert numeremus ne eius imperium à primo consulatu, vt multi, an à triumuiratu, vt alij numerant. natus est ergo Augustus 9. Kal. Octob. vt scribit Suetonius c. 5. & omnes, & mortuus est 19. die Augusti, vt diximus ex Suetonio c. 100. & idem ait Dion. lib. 46. Scribit Aurelius Victor loco citato ingressum fuisse annum 77. ætatis: immo, vt patet ex dictis, vnus ei mensis deerat vt impleret: & si addamus mensem, quo imperauit antequam impleret annum 20. fient anno imperij 51. integri. ergo, si Christus natus est anno 42. eius, qui annus cœpit à 14. Kal. Septembbris, sumimus ex illo anno 8. menses, & ita cùm mortuus est Augustus, Christus impleuerat annos 15. & menses 8. ergo 4. mense anni 18. Tyberij, impleuit 30. annum, Tyberius cœpit imperare prope finem mensis Augousti, & ita ad mensem Decembrem anni 18. imperij eius Christus clausit 33. annum, & postea 25. die Martij mortuus est. Idem numerus fit in chronologia Glareani, in qua probatissimos authores sequitur, ponit enim nativitatem Christi in anno 3. Olympiadis 194. vt dictum est, & imperium Tyberij in anno 3. Olympiadis 198. quod si sumamus ex tribus Olympiadibus intermediiis 12. annos, & ex 194. annum, & 3. menses, ex 198. annos duos, & duos menses, cœpit enim Tyberius imperare in fine Augousti post duos menses 3. anni illius Olympiadis, colliguntur anni Domini 15. & octo menses, cùm ipse cœpit imperare. Quod si quis putat Augustum non imperasse tot annos, audiat Abulensem, qui in secunda parte defensorijs c. 11. ita ait. *Oftauianus vixit in regno anno 57.* vt testantur historiae communes Romanorum, & aliarum gentium, audias etiam Cornelium Iauatum in dialogo de Oratoribus ante medium, vbi scripsit, Augustum imperasse 58. annis. Floruit hic author paulo post, id est, tempore Vespasiani, & hoc scribit in eo libro, in quo ad confirmationem rei, quam probare vult, magis optaret annorum numerum contrahere, quam producere. Sed sciendum est Augustum ante primum consulatum, à quo haec tenus numerabamus, collegisse magnum exercitum contra M. Antonium, cui præfuit ex voluntate Senatus, & cum Consulibus Hircio, & Pansa profectus est Mutinam, vbi Decius Brutus obcessus erat ab Antonio, quod bellum tertio mense consecit, in quo & consules

cederunt, & ita ipse mansit cum toto exercitu, & paulo post Consul creatus est nondum impleto 20. anno, ut ex Suetonio intelligimus c. 10. & 11. sed quia ex quo in bellum illud profectus est, coepit imperare, & licet Consulis nomen non haberet, habebat tamen Consalis insignia, & exercitum, ut ait Dion. lib. 46. inde coepit Iosephus numerare annos eius imperij 57. & dimidium, quos Cornelius Tacitus dicit esse 58. quoniam pars 58. iam exacta erat: & ita consonant omnia: quod patet ex eo quod Iosephus non plures annos vixisse dicit Augustum, quam 77. quemadmodum Aurelius Victor. Denique falsam esse illorum authorum sententiam, qui imperio Augusti tantum tribuunt. 56. annos, & Eusebij in chronicis, qui eos sequi videtur, patet. nam isti incipiunt a primo consulatu, & iuxta illos isti anni non sunt integri: nam Suetonius c. 8. scribit eum imperium tenuisse cum aliis per 12. ferè annos, solum vero 4. & 40. Dion. vero lib. 56. prope finem, scribit, *Solus imperavit 44. annis, 13. diebus minus.* Si ergo nec 12. anni priores fuerunt integri, iuxta Suetonium, nec 44. posteriores, iuxta Dionem; fingamus defuisse illis unum mensem, v.g. ergo impleuit Dominus moriente Augusto annos 14. & 7. menses: ergo. post. 5. menses anni 5. imperij Tyberij impleuit Dominus 29. annos. Ergo natus est Dominus in fine Ianuarij. Præterea docet Ecclesia baptizatum fuisse 6. Die Ianuarij: ergo cum baptizatus est, nondum impleuerat annum 29. quod est contra Lucam c. 3. *Et erat Iesus incipiens quasi annorum. 30. vii omnes sancti, & Doctores fatentur impleuisse tunc annum 30. aut certe incepisse.* Sequitur etiam si Dominus mortuus est anno 18. Tyberij, agens annum 33. inchoatum per tres menses, passionem fuisse ad finem Aprilis, quod non solum est contra omnes sanctos, sed etiam contra Euangelium, quod testatur Dominum passum esse in pascha Iudeorum, & est impossibile pascha Iudeorum incidere in finem Aprilis: cum ergo historia divina sit iudex, & correctrix humanarum historiarum, placè sequitur falsum esse, quod isti autores dicunt, & ad eam corrigendos esse tam ipsos, quam Iosephum, quemadmodum correxiimus. Idem absurdum, & adhuc maius sequitur, si dicamus defuisse annis Augusti duos menses vel tres: si autem dicamus cum Velleio Paterculo, consulatum cepisse 22. Die Septembbris, ab hoc die usque ad nativitatem Domini sunt 3. menses annorum Tyberij: ergo natus est ad finem Nouembris, quod est falsum. Postremò probatur haec sententia ex iis quae hactenus diximus nam c. 2. in principio probauimus ex Ireneo, & ex multis sanctis Dominum impleuisse annum 30. cum baptizatus est, & completo iam 3. menses aquam in vinum in nuptiis: quo posito, necessario consequitur, obiisse inchoato anno 34. ætatis suæ. Nam post miraculum nuptiarum, quod factum est 6. die Ianuarij, ut ex traditione Ecclesie Patrumque probauimus, Ioannes commemorat apertissimè tria paschata, primum c. 2. quando dicit, & prope erat pascha Iudeorum quando ascendit Iesus Hierosolimam secundum c. 6. Erat autem proximum pascha dies festus Iudea in Euang. Ioan.

rum, tertium verò c. 12. Iesus ergo ante sex dies pascha venit Bethaniam, de quo etiam nunc agit, cum ait, ante diem festum pasche. & ita aperte commemorat tempora inter hæc interiecta, ut nullus dubitare possit à miraculo nuptiarum usque ad Christi mortem fluxisse duos annos cum diebus, quæ sunt à sexto Ianuarij usque ad pascha. Vnde Eusebius libro primo historiarum Eccles. cap. 10. & lib. 8. Demonstrationis euangelicæ demonstratione secunda, ex illis verbis Lucæ 3. sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, adiuncto testimonio Iosephi 18. antiquitatum c. 3. numerantis tempus pontificatus istorum concludit, tempus quo Dominus in terris docuit, intra quadriennij spatia coactari. & lib. 8. demonstrationis ait. *Sanè proditum est memoria omne doctrina editionisque miraculorum Salvatoris nostri tempus trium annorum & semis fuisse, quod, quidem est hebdomadis unius dimidiū: hoc ipsum quodammodo Ioannes Evangelista attentissimè eius Euangelium obseruantibus declarauit.* Idem docet Beda in lib. de temporum ratione c. 45. Vterque hoc probat ex Iohannis Euangelio, ut dictum est, & ex illo Daniel. 9. *Confirmavit autem pactum multis hebdomada una (scilicet qua Christus docere cœpit) & in medio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium.* Scilicet Christo moriente, & morte sua veteris legis sacrificia antiquante. Sed aduersus hanc nostram sententiam quantum potest validissimè pugnat Abulensis loco citato in secunda parte defensorij; cap. enim 11. dicit tripliciter posse probari Dominum passum esse anno 33. historicè legaliter & astrologicè. historicè ex annis Aug. & Tyberij quod nos falsum esse ostendimus: legaliter probat ex c. 12. ex Euangelio. Sed in eo decipitur cum multis, quod putat Dominum initio 30. anni venisse ad Baptismum, quod etiam probauimus esse falsum Ioh. 2. Tertium argumentum est astrologicum, quod prosequitur per 13. 14. & 15. cap. supponendo ex Euang. Christum mortuum fuisse 15. Luna primi mensis, sexta feria, quandoquidem resurrexit die Dominicæ. Deinde subducta ratione per tabulas Regis Alphonsi, & per computationem Ecclesiasticam ex aureo numero, & litteris dominicalibus probat anno 34. incidisse 15. lunam in die Martis, anno autem 33. incidisse 15. lunam in 3. diem Aprilis, & in feriam 6. Deinde c. 17. obiicir sibi sententiam Augustinus de passione Domini 8. Kalend. Aprilis, cuius iam meminimus, & quædam alia: sed respondet c. 18. nequaquam esse in hac re Augustino assentiendum, quoniam ipse cap. 16. probauit non potuisse per multos annos passionem Domini incidere in diem 25. Martij. eisdem argumentis vtitur Iohannes Lucidus loco citato c. 9. & 12. & similiter responderet communi sententiæ sanctorum die passionis Domini c. 13. ita etiam argumentatus est Paulus Fordemperuiensis, cuius loca, & verba indicat Lucidus latè. Restat igitur respondere huic 3. argumento, ad quod primo dicimus Bedam diligenter omnia suppulsasse loco citato & nihilominus sententiam nostram confirmasse, tanquam communem quendam sensum Ecclesiæ, atque Sanctorum immo-

& Albertus Magnus super epistola Dionysij ad Polycarpum probat hoc idem per calculum astrologicum : 2. respondetur iuxta computationem aurei numeri, quam hodie sequitur Ecclesia, facile posse signari anno 34. 15. Lunam cadentem in 6. feriam, ut ex Kalendariis Hebreorum docet Burgensis in additione Matth. 26. nam isto anno 34. habemus ex aureo numero sexdecim, & litera Dominicalis est 6. ideo iuxta correctionem quam nunc factam videmus in nouis Breuiariis, & Missalibus, eo anno coniunctio, sive nouilunium, sive neomenia, aut prima luna fecit 4. die nostri Martij, feria 5. & ita luna 15. debuit esse etiam feria; sed docet Burgenis loco citato, dierum natalem apud Hebreos incipere a vespere, iuxta illud Leuit. 23. *A vespere usque ad vesperam celebrabitis sabatha vestra.* Secundò dicit hoc esse certum, ut quando coniunctio contigerit ultra 18. horam illius diei, luna incipiat numerari a die sequenti, quoniam illa coniunctio magis est diei sequentis, quam dici praesentis, cuius tres quartas iam pertransiit. Tertiò dicit anno, quo passus est Christus, coniunctionem fuisse feria 5. post 19. horam eius, & addit, *hoc est certissimum calculatum per me,* & cum peritis Hebreorum diligentissimum repertum, & concordatum. Ex quo fit necessarium lunas, sive dies, cœpisse tunc computari non a quinta, sed a sexta feria, & ita Dominus canavit agnum 14. luna, feria 5. & crucifixus est feria 6. die 15. mensis primi Hebreorum, nostri autem Martij 19. quam computationem rectè sequi possemus, si vellemus a sententia recedere sanctorum, ut prædicti authores faciunt. Tertiò dicimus hoc argumentum duo peccare, primum, quod isti autores non considerant aliud esse numerari dies lunæ, & aliud numerari dies mensis: nam Hebrei non incipiebant numerare lunas ab ipso die coniunctionis præcisè, sed crassiori quodam modo, tribuendo unius mensi 29. dies, alteri 3. & ita incipiebant, & finiebant suos meses, ideo aliquando primus dies mensis illorum erat secundus aut tertius lunæ. Patet hoc, quoniam innitum mensis notum debebat esse omnibus dies autem coniunctionis lunæ, non poterat cognosci præcisè nisi a peritis Astrologiæ, per instrumenta astrologica. At isti autores sequuntur calculationem Dionysij Abbatis, cuius meminit Beda loco citato, per quam cognoscitur præcisè coniunctio, sive nouilunium, quomodo nos in secunda responsive computabamus, & ideo necesse est fallacem esse eorum computationem. Secundum peccatum est quod ista computatio aurei numeri, & litterarum dominicalium nunquam in usu esse cœpit in Ecclesia usque ad tempora Concilij Niceni, & ab eo tempore usque ad præsens erratur quatuor diebus in die coniunctionis, ut cernet qui contulerit calculum Dionysij cum repertoriis temporum, seu tabulis astrologicis aut Missale Romanum vetus, in quo ponuntur coniunctiones in singulis mensibus iuxta calculationem Dionysij cum Missali novo, in quo ponuntur eo die, quo nunc præcisè fiunt similis igitur varietas

& error continget retrocedendo ab anno Concilij Nicæni usque ad tempus Iulij Cæsaris, quo annus Romanus restitutus est, siue usque ad natuitatem Domini. Quare impossibile est per has calculationes quidquam certi inueniri, aut probari. Accedit quod annus Hebræorum constabat 12. mensibus lunaribus, qui sunt minores annis nostris, & certis temporibus siebant embolismi, siue intercalationes, ut docet latè Abulensis 2. parte defensorij, c. 14. & ita erat magna varietas in annis Hebraicis, & annis Romanis. Præterea de numero annorum à natuitate Domini non prouersus constat inter omnes authores, quare in annis est illa computatio. Restat ergo, ut quoniam prioribus argumentis satis probanimus Christum passum fuisse anno 34. inchoato per tres menses, qui integer erit si addamus nouem menses, quibus latuit in utero Virginis; & sancti Patres concorditer docent passum esse 15. die Martij, resurrexisse vero die 27. nos omnia copulantes dicamus 34. anno lunam 15. primi mensis incidisse, iuxta computacionem Hebræorum, in 6. feriam 8. kal. Aprilis.

*Quota Luna
Dominus
passus fue-
rit.*

Supereft altera quæstio grauissima, quota luna Dominus passus fecerit, id est, ut cum comedenter pascha 14. luna, ut lex iubebat, quando ceteri omnes comedebant, & ita crucifixus sit 15. luna, hoc est, prima die azymorum, an vero præuenirerit in immolatione agni diem à lego præscriptum, ita ut comedenter die 13. & ipse passus sit die 14. quia agnus legalis iubebatur immolari, ut veritas corresponderet figura ex. Verum quoniam haec quæstio disputata est à multis copiose, & eruditè, præsertim ab Innocentio lib. 3. de sacro altaris mysterio c. 4. à S. Thoma opusc. primo contra errores Græcorum in fine, & 4. contra Gentes. c. 69. & super Ioannem c. 13. & ab Abulensi secunda parte defensorij à c. 4. usque ad 10. latissime, postremò eruditissime à Soto in 4. d. 9. q. 1. art. 4. ea tantum dicemus quæ hoc loco minimè præteriri posse videbantur. In primis Græci, præsertim recentiores, pertinacissime contendunt Dominum ratione iam dicta præuenisse legitimum diem paschæ, agnumque immolasse. 13. lunæ, atque hinc potissimum argumentum sumunt consuetudinis suæ conficiendi in pane fermentato, quod cum Dominus consecraverit corpus suum eadem Luna 13. post cenam agni necessariò consequitur eum consecrassæ in fermento, quoniam non vrebantur azymis asque ad vesperam 14. Lunæ: hanc sententiam sequitur Euthymius Matth. 26. in principio, & Nicephorus lib. primo Eccles. histor. cap. 28. ubi illam conatur confirmare, quia iam erat communis Græcorum. Alij putant Dominum non præuenisse diem, quo iuxta legem agnus erat immolandus, sed vere immolasse 14. Luna ad vesperam, præuenisse tamen eum diem quo Iudæi immolabant illo anno, tunc enim immolabant ipsi 6. feria ad vesperam, id est, 15. Luna: hanc sententiam magnis argumentis confirmat Burgensis in additione Matth. 24. & Paulus Forosempueriensis Episcopus in secunda pœnitentia lib. 3. prope finem,

finem , & Ioannes Lucidus de vero die passionis Christi cap. 9. eam sequuntur ; & nouissime Iansenius cap. 128. vñus ad eam comprobandam argumentis Burgensis. Ad probationem huius opinionis hoc fundamentum iacit Burgensis , nunquam primum diem azymorum posse celebrari 2. feria aut 4. aut 6. Ratio est , quoniam duo festa , in quibus nihil operari licet , nunquam Hebræi coniungunt , es-
set enim valde onerosum roti populo continuari duos dies , in qui-
bus cibaria parati non licet : quare si Iudæi Pascha immolasse
quinta feria ad vesperam , vt Dominus fecit 6. feria erat dies festus
primum azymorum , & statim sequebatur sabbatum. hoc autem , quo-
niam Soto loco citato dicit , non probari à Burgensi , ipse Burgensis
primum probat ex Iudeorum consuetudine , quæ ad hunc usque diem
inuiolabiliter seruat , dicit etiam esse hanc regulam in Hebreo-
rum Kalendariis ubique diuulgatam , & usque in hodiernum diem
infallibiliter seruatam probat , & Ioan. Lucidus ex lib. Gamalielis præ-
ceptoris Apost. Pauli , quem scriptis de Solis , & Luna motibus anni-
que ratione , ubi scriptum est postquam Templum secundum ædifica-
tum est , nunquam Hebreos celebraſſe diem Paschalem azymorum 2.
feria , neque 4. neque 6. idem probat Iansenius ex Chronicis Hebreo-
rum , quæ dicuntur Καὶ τοῦτο id est , series sacerdotum ; ubi hoc etiam scri-
ptum est ex quo sequitur cum Luna primi mensis incidebat in feriam
6. non esse incipiendum mensem ab ea , sed à die sequenti , quoniam
primus dies azymorum celebraretur 6. feria , & quoniam à primo
die primi mensis dependent cetera festiuitates , vt patet Leuit. 23.
quoniam 14. die erat Pascha , die sequenti erat solennitas azymorum
quinquagesimo die Pentecoste , &c. sicut festa mobilia apud
nos dependent à 70. eadem ratione non poterat neomenia , siue
primus dies incidere in secundam feriam , quia festum expiationis
incideret in 6. feriam , & iungeretur cum sabbato. patet , quia fe-
stum expiationis celebrabatur 10. die mensis 7. Leuit. 23. si ergo sit
neomenia primi mensis 2. feria , neomenia 7. mensis erit feria 4.
quoniam 6. menses lunares efficiunt 177. dies integros qui resoluti
per hebdomadas terminantur in 4. feria , & ita festum expiationis
quod celeberrimum est , & in quo cibos parare non licet , erit sex-
ta feria , id est , decima die mensis similiter , si neomenia primi men-
sis esset quarta feria , tunc , vt ex eadem computatione patet , fe-
stum expiationis esset die Dominico , & similiter concurrent duo
festa magna , sabbatum , & festum expiationis die sequenti. Rursus
si neomenia primi mensis non potest esse feria 2. nec 4. nec 6. ergo
nec primus dies azymorum , quia cum sit decimus quintus , necesse
est celebrari eodem die , quo neomenia. His suppositis facile pro-
bat Burgensis quod vult , nam Dominus comedit Pascha feria 5. 14.
Luna , & dies sequens erat primus dies azymorum , incidebatque
in 6. feriam , & propterea Iudæi transferebant immolationem agni
à 5. feria in 6. qua Dominus crucifixus est : sed , quoniam Iudæi hoc

obseruabant ratione sequentium festiuitatum, vt diētum est, & Dominus sciebat eas sua passione esse antiquandas, nec vltius vim esse habituras, ideo voluit immolari pascha à die à lege præscripto, qnamuis Iudæi ratione suæ traditionis, & festiuitatum sequentium different in diem sequentem: hoc putant isti authores aperte doceri ab Euangelistis. Probant, primò ex hoc cap. ante diem festum pascha: pascha autem est, immolatio agni; ergo Dominus comedit agnum ante diem, quo comedenterunt Iudæi. Secundus locus est cap. 18. vbi loquens de diluculo sextæ feriæ ait, *In diei ergo non intollerant in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.* Ergo non comedenterunt agnum. Tertius locus erat Ioan. 19. Erat autem paræcœne pascha, id est, dies præparationis ad solemnitatem paschæ: nam paræcœne est præparatio; ergo nondum venerat pascha Quartus locus est ibidem; *Iudæi ergo, ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille sabbati.* Magnus dicitur ille dies, quia erat sabbatum, & primus dies azymorum, qui erat maxima solemnitatis. Præterea Nicodemus, & Ioseph ab Arimathia 6. feria emerunt vnguenta, & sepelierunt Dominum, & mulieres idem fecerunt, & Iudæi accusauerunt eo die Dominum apud Pilatum, & crucifixerunt, quorum nihil in die primo azymorum licetum erat. Quod si dicas illos fecisse contra legem, saltet Ioseph, & mulieres, qui erant iusti, non fecissent. atque eadem ferè argumenta valent ad Græcorum sententiam confirmandam. Sed certissimum haberi debet Dominum non præuenisse diem immolationis agni, sed eodem die immolasse, quo cæteri Iudæi: quare Græcorum sententia est valde absurdæ, & sententia Burgensis, Lucidi, & Ianenij nihilo est illa probabilior. Probatur manifestè ex Euangeliō Matth. 26. *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Vbi uis paremus tibi comedere pascha.* Ergo Dominus non comedit ante primum diem azymorum, quo comedebant cæteri, nec diceretur prima dies azymorum, nisi tunc ratione agni iam azyma comedenterit: hoc Marcus cap. 14. apertius explicat, *primo die azymorum quando pascha immolabant: non ergo solus Christus, sed cæteri omnes immolabant.* Sed adhuc apertius Lucas cap. 22. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi pascha;* & misit Petrum, & Ioannem, dicens: *Euntes parate nobis pascha, ut manducemus.* Præterea si Dominus diem præuenisset, scandalum esset Iudæis, & ipsi de hoc Dominum sine dubio accusassent quod legem, & traditiones maiorum violasset. Præterea si præuenit diem, ut ait Burgensis, ergo manducavit cum pane fermentato, quia azyma non inueniebantur in domibus Hebræorum ante manducationem agni, & ita redibit error Græcorum. Hanc sententiam sequitur Chrysostomus homil. 27. in Matth. & Theophylactus Matth. 26. & antiqui Græci, & Latini omnes: ac inter alios, si quos initio huius questionis nominauimus, &

Anselmus

Pascha
quid.Paræcœne
quid.

Anselmus in epistola quadam de fermentato, & azymo S. Thomas locis citatis, & 3. p. quæst. 46. artic. 9. & quæstione 74. hanc conclusionem probat optimè, & latissimè Abulensis loco citato cap. 7. & Soto disputans contra Burgensem. Præcipua itaque difficultas in solutione argumentorum Burgensis posita est. Ad primum illud fundamentum, quo tota eius, & aliorum fabrica nititur, respondetur non esse eam sententiam Gamalielis, aut veterum Hebreorum, sed inane commentum recentiorum Iudaorum: nam post tempora templi secundi constat duas festiuitates duobus diebus continuis obseruari solitas patet ex Iosepho 13. antiquitatum cap. 16. vbi loquens de Hircano Pontifice citat Nicolaum Damascenum antiquum historicum narrantem Antiochum Regem mansisse ad Lycum fluuium per biduum ad preces Hircani Iudei, quod in id tempus fortè quædam Iudaorum festiuitas incurrerat, per quam non licebat eis iter facere: & addit statim Iosephus, & verum est quod ille scripti, nam Pentecoste instabat post sabbatum: idem ait Iosephus filius Gorion. lib. 4. historiarum Hebraicarum cap. 4. cuius verba sunt: *Hircanus egressus biduo moram fecit in itinere propter sabbatum, & propter solemnitatem Pentecostes, que mox sequuta est sabbatum.* Ratio etiam quam ad hoc affert Burgensis nullius momenti est: nam illa difficultas parandi cibos duobus diebus non magna est, nec tanti esse debebat, ut propterea populus ille, qui litteram legis accuratissimè obseruabat, à legis verbis recederet, & festiuitatem in aliud tempus transferret. Præterea, ut rectè ait Soto, primo die azymorum licebat cibos, quantumvis celebris, & sancta esset. Exod. 1. *Dies prima erit sancta, atque solennis, & dies 7. eadem festiuitate venerabilis; nihil operis facietis in eis, exceptis iis que ad vesendum pertinent.* Quod si hoc die primo azymorum licebat, multo magis in festo expiationis, & in aliis festiuitatibus: quare in nullo festo erat illicitum cibos parare, præter quam in sabbato. Ad primum locum Ioannis responderet S. Thomas, & alij, diem, quo Dominus comedit agnum, fuisse primum diem azymorum, ut aiunt cæteri Euangelistæ, cumdémque fuisse ante diem festum paschæ, id est, ante primum diem solemnitatis azymorum, quæ celebrabatur 15. die sequenti: sed cum hac solutione pugnat argumentum hoc quod Ioannes commemorat, *fatum est feria quinta ad vesperam:* ergo iam incepérat primus dies azymorum, ut aiunt cæteri Euangelistæ; ergo non erat ante diem festum, quandoquidem dies ille, iuxta eorum computationem, incipiebat à vespere præcedentis dici. Soto hoc arguento fortasse commotus aliam solutionem excogitauit: fatetur primum diem paschæ, siue azymorum incipere feria 5. in occasu Solis, decurrereque per totam 6. feriam. Sed cùm Christus eadem feria 5. manè, vel circa meridiem iusserrit discipulis, ut pararent pascha, rectè dixit Ioannes, *ante diem festum pascha:* non enim ait pridie, sed *ante diem.*

At nihilo minorem difficultatem habet eius responsio, non enim loquitur Ioannes de tempore quo Dominus iussit agnum preparari, sed de cœna quā manducaturus est, quæ non fiebat antequā inciperet dies azymorum, pater, quoniam statim in principio capitis ait Ioannes, & *cana facta*. S. Thom. quæst. 46. citata videtur pro se responderet: nam dicit esse primam diem azymorum secundum computationem festiuitatum, quæ incipiebant à vespera præcedentis diei, & idem dies erat ante festum Paschæ, computando diem prout communiter computatur ab ortu solis, vel à dimidia nocte. Sed est aduersus hanc solutionem quid Iudei nequam ita computabant, sed à vespera præcedentis diei, ut patet Lucæ 23. *Et dies erat parvæsus, & sabbatum illucebat.* Immo etiam si ita computatunt, cum isti dies essent dies festi, computandi erant ab Evangelistis, quemadmodum festa computantur: nisi forte respondeamus pro S. Thoma, Ioannem, quia Gentilibus scribebat, voluisse dies computare prout illi computabant. Propterea Abulensis optimè mihi respondere videatur in secunda parte defensorij cap. 8. dicit, aliud esse pascha, aliud diem festum paschæ. 14. luna erat pascha, sive dies paschæ, quia tunc agnus immolabatur; non erat tamen dies festus paschæ, quia licebat in eo facere opera seruilia, & nihil habebat festiuitatis, præter immolationem agni dies 15. erat dies festus paschæ, quia nihil in eo seruile licebat. hæc responsio est Innocentij lib. 4. de sacro altaris mysterio cap. 4. licet breuiter admodum loquatur. *Quod autem notat Caieranus in Græco non haberi, ante diem festum pascha, sed, ante autem festum pascha, & ita esse legendum, licet nostra non multum referat; falsum tamen est ita legendum esse, nam non solum veteres Latini, sed etiam Græci ita legunt ut nos, ut Chrysostomus, & Cyrillus.* Sed adhuc tamen virget difficultas, quoniam cum agnus edebatur, iam cœperat primus dies azymorum, & ideo cum azymis illum comedebant: ergo idem erat dicere, ante diem paschæ, & ante diem festum paschæ. Ad hujus intelligentiam idem Abulensis ibidem cap. 7. notat duo, primum est, agnus non immolabatur cum iam cœperat dies 15. sed in fine diei. 14. Leuit. 23. *Mense primo, quarta decimal die mensis ad vesperam Phasæ Domine, & 14. die mensis huius solennitas azymorum Domini est.* Hoc autem aperte intelligitur ex Scriptura: nam ubi nos habemus Exod. 12. *immolabitque eum uniuersa multitudine filiorum Israël ad vespeream*, in Hebreo tam hic, quam Leuit. 23. habetur בְּנֵי יִשְׂרָאֵל, id est, inter vespertas, est enim dualis numeri, quia est duplex vespere, altera cum post meridiem sol incipit declinare ad occasum, altera quando iam occidit, & inter has duas vespertas occidebatur agnus, dies autem sequens incipiebat à vespere posteriori; unde Leuit. 23. ubi habemus, à vespere usque ad vespeream celebrabitis sabbata vestra, in Hebreo singulari numero dixit, ut doceret de posteriori vespere se loqui. Atque hoc diximus de duabus vesperris, adnotauerunt Cajetanus Exod. 12. & Lypomanus ibidem in catena.

catena. Vnde Lyra Exod. 12. in his verbis ait, *Vespera*, secundum Doctores Hebraos, prout hic accipitur, incipit à 7. 14. diei, id est, à prima post meridiem, quia ex tunc sol incipit tendere ad occasum, & ab illa hora usque ad principium noctis potest immolari Phasē secundum eos. Secundò notat Abulensis apud Euangelistas pro eadem festiuitate accipi aliquando pascha, & azyma, quoniam sine medio continuabantur, ut Lucæ 22. Appropinquabatur autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha. Et Marci 14. Erat autem pascha, & azyma post biduum. Alioqui nisi pro eodem sumerentur, si pascha erat post biduum, azyma erant post triduum. Et Act. 12. Erant autem dies azymorum, scilicet, cùm vincitus est Petrus. Deinde dicit traditum esse militibus, ut seruaretur, quia volebat Herodes post pascha producere eum populo, & ideo decimaquarta dies dicitur prima dies azymorum etiam manè, vel meridiie, antequam veniret tempus immolandi agnum; quoniam illa die agnus immolabatur, & comedebatur cum azymis. Matth. 16. Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: *Vbi vis paremus tibi comedere pascha.* Hinc Iolephus 2. antiquatum cap. 5. in fine dicit: *Festa per 8. dies celebramus, quos vocamus azymorum.* Addit 7. diebus azymorum unum, id est, 14. diem mensis, qui erat ante septem dies azymorum, quoniam in illo etiam comedebantur azyma cum agno: atque hoc ipsum aperte docet Scriptura Exod. 12. Decimaquarta die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad diem 21. eiusdem mensis ad vesperam. Merito ergo dixit Ioannes, ante diem festum pascha, id est, ante primum diem azymorum, quoniam quod ipse ibi narrat factum est die 14. ad vesperam: & fortasse hoc idem sensit S. Thomas præsertim in primo opusculo, & ita posset defendi. Ad secundum locum, ut non contaminarentur, &c. Chrysostomus homil. 82. in Ioannem, & Theophylactus super eadem verba, dicunt, aut pascha vocari totam festiuitatem, aut ipsos reseruasse in diem 15. immolationem agni, ut prius Christum occiderent: quod quamvis non possit colligi satis ex translatione Chrysostomi, quam nunc habemus, aperte tamen colligebatur ex antiqua, quam recitat S. Thomas opusc. 1. & ex nostra potest colligi, si attentè legatur, & præsertim si legatur Theophylactus. Cyrillus etiam videtur affirmare hoc ibidem, quoniam exponit, ut manducarent pascha, id est, ut immolarent agnum, sed hoc iam probauimus ex Euangelistis esse falsum: propterea Innocentius, & S. Thomas & cæteri authores citati, dicunt pascha hoc loco sumi pro cibis paschalibus, id est, pro panibus azymis, quos non poterant comedere nisi mundi, & videtur ad hoc alludere prima responsio Chrysostomi, & Theophylacti. At Abulensis loco citato cap. 8. fortiter refellit hanc responsionem duabus responsionibus. Prima est quodd ad manducationem agni requirebatur mundities, ut patet Exod. 12. hæc autem mundities non requiritur ad manducandum

Ribera in Euang. Ioan.

Q. q.

azyma,

Pascha pro
cibis pascha-
libus, ex In-
noc. & Tho-
mas.
Refellitur
ab Abulen-
so.

azyma, nec vinquam in lege petitur, & valet apud Hebraeos hæc consequentia in ceremonialibus, sicut apud nos in irregularitatibus & censuris non inuenitur in lege: ergo non obligat. Ratio etiam est sati probabilis, cum enim 7. illis diebus azymorum non posset reperi fermentatum in domibus Hebræorum, & facillimè contraherentur istæ immunditia, esset grauissimum onus, & intolerabile exigi munditiem ad manducandum azyma. Secundò impugnat hanc solutionem, quoniam nunquam in Scriptura inuenimus panes azymos vocari pascha. Eisdem rationibus impugnat illam Burgensis loco citato, sed breuiter, non confirmando illas. Ad hanc secundam rationem nihil responderet Soto. Ad primam tantum dicit iuxta Innoc. loco citato, & Magistrum historiarum, debere esse mundos, qui edunt azyma: sed nihil respondet ad probationes Abulensis. Propterea optimè respondet Abulensis ibidem pascha hoc loco non accipi pro azymis, sed pro carnibus sacrificiorum, quæ tam primo die azymorum, quam cæteris immolabantur, & edebantur à mundis in templo, ut patet Numerorum 28. & Ioséphus 3. antiquitatum cap. 10. de hac festiuitate loquens ait, per singulos dies tauri ingulantur duo, aries unus, agni septem, &c. ad probandum hæc sacrificia vocari pascha, affert locum elegantem ex Deuteron. 16. *Immolabisque Phasæ Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco quem elegit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen eius ibi: non comedes in eo paxem fermentatum, &c.* licet autem in Hebræo non sit, de ouibus, & bobus, sed, ouem, & bouem, subauditur tamen præpositio *de*, id est, *de*, quod est apud Hebraeos visitatum, ut ostendit Pagninus lib. primo Hebraicarum institutionum cap. 15. & Chaldæus aperte posuit præpositionem, de ouibus, &c. Ibi etiam admonet Lyra non fieri verba de immolatione agni paschalidis, sed de aliis sacrificiis, quæ offerebantur in illa solemnitate. hæc autem sacrificia non poterant comediri nisi à mundis, ut colligitur ex Leuit. 6. & 7. & 10. & ex Deut. 12. Ut autem hoc, quod ait Abulensis rectius intelligatur, sciendum est Phasæ, & pascha idem esse: non est enim Pascha Græcum nomen à πάσχω, quod est patior, ut multi putauerunt, teste Hieronymo Matth. 26. sed Hebraicum, significans transitum, ut docet Ioseph. 2. antiquit. cap. 6. in fine Hieronymus Matth. 26. & Isa. 31. & super Michæam cap. 7. Ambrosius sermone 53. & lib. de Cain & Abel. cap. 8. Augustinus epistola 119. in principio latè, & 2. de Trinitate cap. 16. & tract. 35. in Ioan. in principio, & res ipsa docet, dicitur enim Hebraicè, πάσα à verbo πάσω, quod est transire, nec dicitur transitus à transitu maris rubri, ut intellexisse videtur Augustinus tract. 53. sed eo quod Angelus, qui percutiebat Ægyptios transferit illæsas domos Hebræorum, ut Ioséphus, & Hieronymus locis citatis ostendunt, & alij. Quod igitur Hebræ dicunt πάσω, noster interpres dixit phasæ, accentu in prima collocato, ut fieri debere admonet Nebricensis in 3. quinquagena. c. 33. & ex

Phasæ idem
quod Pas-
cha.

& ex Hebraica Grammatica pater nomina huius figuræ habere accentum in prima; sed & Hebraicum passim vertitur in *ph*, vt in his nominibus, Pharao, Phasur, Philistæus, punctum autem quod est in prima litera, habet sonum inter a, & e, vt Hebræi docent; id est rectè vertitur in a, vt in nomine בֵּת Beth, litera ו samech, semper vertitur in scin. & omnino ita sonat apud Hebræos: literam verò נ He, cùm præcedit pathach passim LXX. vertunt in e, vt in Noë, Choræ, Iephthe. Quod autem Græci, & LXX. & Apostoli vertunt *pascha*, non arbitror corruptum, & multi existimant; sed ita eos vertisse, quoniam ex quo Hebræi à Babylone redierunt, multa vocabula habebant Chaldaica, & Chaldaicè dicitur נסח, vt videamus in interprete Chaldaico, quo vocabulo iam vtebantur Hebræi tempore LXX. interpretum, chirec autem sàpe vertitur à Græcis in a, vt in Maspero, & in Maria, & ita sàpe factum est in hoc nomine. Hinc celebrare pascha propriè pertinet ad agni immolationem; sed extenditur hoc nomen ad sacrificij immolationem, vt ostensum est. Hinc etiam ipse agnus dicitur pascha, vt Lucæ 22. *Desiderio desiderauis hoc pascha manducare vobiscum.* Et Matth. 26. *Vbi vis paremus tibi comedere pascha.* Atque inde datur hoc nomen non solùm agno; sed etiam animalibus cæteris, quæ per dies azymorum immolabantur.

Ad tertium locum, erat autem parasceue pascha, optimè respondet Soto, parasceue nihil aliud est quam præparatio, & ideo 6. feria dicebatur parasceue, quoniam in ea cibi sabbati præparabantur; in primo die azymorum licebat cibos parare, vt dictum est. & etiam in cæteris festis, ideo nullum festū habebat parasceue, nisi sabbatum: cùm ergo dicit, erat parasceue pascha, significat diem illum esse 6. feriam, & esse diem paschalē: sicut nos dicimus, Dominica pascha, quod Marcus c. 15. aperte indicat, dicens, quia erat parasceue, quod est ante sabbatum. Exponit enim quid sit parasceue. Et Lucas c. 23. & dies erat parasceues, & sabbatum illufceebat, id est, iam ferè incipiebat, ideo Ioannes absolutè dixit c. 19. *Iudei ergo quoniam parasceue erat,* &c. Ad quartum locum, erat enim magnus dies ille sabbati, respondet ex Innocentio supra, diem illum sabbati dici magnum, quia erat sabbatum, & erat secundus dies azymorum: nam sabbatum per se erat valde solenne, sed erat solennius quando aliquis dies alterius solennitatis in illud incidebat, & propterea solennius erat hoc sabbatum ipso primo die azymorum, ideo corpora quæ primo die azymorum pependerant in cruce, non sunt passi Iudæi vt sabbato penderent. Ad rationem respondet primùm, mulieres non parasse aromata sexta feria, sed postquam transit sabbatum: nam licet Lucas cap. 23. dicat, & reuertentes parauerunt aromata, ea sabbato quidem siluerunt propter mandatum, &c. anticipatione usus est, vt patet ex Marc. 16. qui ait, & cùm transisset sabbatum, Maria Magdalene, &c. emerunt aromata, ut venientes ungerent Iesum. ita Innocentius & Soto. Nicodemus autem, & Ioseph parauerunt necessaria ad funus: cùm enim dies sequens esset solennis, cädauerā relinqui non

poterant inhumata , & ideo eo officio , quod differri non poterat festum, non violabatur, atque hoc in omnibus cadaueribus bonum esse, & licitum , patet ex Tobia 2. vbi cum esset dies festus Domini , & ei nuntiatum esset filium Israël iugulatum iacere in platea , statim relieto prandio exiliit, & hameris portauit, vt nocte cum à nemine videatur, sepeliret, atque eius factum approbat Scriptura, inquiens , Sed Tobias plus timens Deum quam Regem, rapiebat corpora occisorum, & occultabat in domo sua , & sepeliebat ea mediis noctibus . Sed de crucifixis erat spirituale mandatum , quod differri non licebat. Deut. 21. Quando peccauerit homo quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo , non permanebit cadauer eius in ligno , sed in eadem die sepelietur. Atque ita soluitur argumentum, quod Iansenius , & Burgensis putabant vehementer virgere, eo quod isti iusti erant , & legem non erant violaturi , Pharisaeos nihil necesse erat excusare , sed quoniam zelum legis simulabant , & ideo nitebantur ubique religiosi videri. Respondetur non ipsos , sed Gentiles Christum flagellasse , & crucifixisse , ipsis tamen adduxerunt eum ad Pilatum , & ad Herodem, & accusabant , & instabant , vt crucifigeretur : sed huiusmodi operibus non putabant se contra legem facere , aut certe non putabant iudicari à populo contra legem factum, sed potius ad zelum legis, & honorem Dei pertinere, iuxta illud Exod. 22. Maleficos non patieris vivere , & vt erant quædam crimina ita grauia , vt in eis nullam putarent rationem loci sancti habendam esse , iuxta illud Exod. 21. Si quis per industriam occiderit proximum suum , & per insidias , ab altari meo euellas eum , vt moriatur ; ita in criminibus contra Dei maiestatem non putabant habendam esse rationem temporis sacri , patet hoc ex Num. 15. Cum essent filii Israël in solitudine , & innuerissent hominem colligentem ligna in die Sabbathi , obtulerunt eum Moysi , & Aaron , & uniuersa multitudini , qui recluserunt eum in carcere , &c. Et Dominus iussit eum lapidari , & ita factum est. Vnde Ioan. 7. In die magno festivitatis quarebant Iudei Dominum apprehendere. Et cap. 10. In die encaniorum sustulerunt lapides Iudei , vt lapidarent eum , quoniam dixerat : Ego , & Pater unus sumus , quod illi blasphemum putabant. Ideo etiam Matth. 26. dicebant, Non in die festo : non quod festum ita violari putarent , sed ne forte tumultus fieret in populo.

Pascha,
transitus.

Vt transcat ex hoc mundo ad Patrem, id est, vt moriatur, alluditque ad nomen Paschæ , quod transitum significat : at non erat transiturus ad Patrem , donec ascenderet ad Patrem; sed quoniam post mortem non erat in mundo futurus eo modo quo antea erat, & citè erat ascensurus, dicitur transire ex hoc mundo ad Patrem. Ita intellexisse videntur Theophylactus , & Euthymius, immo, & Cyrillus paulo post, Caietanus tamè ita exponit, ex hoc mundo , id est, ex transitorio statu huius mundi, in quo erat , utpote passibilis , & mortal is, ad Patrem , id est , ad spiritualem , immortalem , impassibilemque statum. Quæ expositio mihi valde probabilis videtur , & confirmatur ex cap. 14.

si dili

si diligenteris me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est, vt intelligent per mortem se non esse corruptendum, vt cæteros, sed in meliorem statum mutandum secundum humanitatem, quia resurrecturus erat statim immortalis, & impassibilis. & Matth. 26. Non bibam a modo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei, id est, iam resuscitatus.

Cum dilexisset suos qui erant in mundo. Addidit, qui erant in mundo, ad differentiam suorum, qui iam obierant, vt Patriarchæ, & Prophetæ, vt ait Chrysostomus, & Euthymius, & Theophylactus; atque ita ostenditur Deus, & saluator omnium, tam veteris Testamenti, quam noui; vel ad differentiam Angelorum, qui sui etiam erant, ratione creationis, vt ait Cyrillus.

In finem dilexit eos. Euthymius, in finem, id est, vehementer. Theophilactus, usque in finem dilexit, hoc est, perfectam erga illos charitatem declarauit. ita etiam intelligit Nonnus, & est communis expositio, quasi dicat usque ad mortem. At Chrysostomus hom. 69. interpretatur, in finem, id est, semper. quæ interpretatio optima est, ita enim loquitur Scriptura, vt in finem accipiat, pro in aeternum, aut semper, vt Psal. 43. Exurge, quare obdormis Domine; exurge, & ne repellas in finem. & Psal. 12. Usquequo Domine oblinisceris me in finem. Psal. 15. Delectationes in dextera tua usque in finem. Amos 8. Si oblitus fuero usque in finem omnia opera eorum. Est ergo sensus, cum diligere coepisset discipulos suos, semper eos dilexit, nunquam non testatus est amorem suum, ita vt nec mortis iam imminentis vicinia turbatus destiterit eis benefacere, aut amoris sui oblitus fuerit. hoc dicit, quoniam in illa pedum ablutione ostendit eis quantum ipsos diligeret, non refugiens abiectissimum ministerium, vt viderent, quam chari ei essent, & docerentur omnem humilitatem, & charitatem in proximos. Præterea, quoniam licet mors saevissima imminaret, eos dulcissimo sermone consolatus est, & longissimo. Dicit hoc etiam, quoniam tunc eis Eucharistiam traditurus erat, licet enim eius institutionis non meminerit Iohannes, sciebat tamen notum fore omnibus fidelibus institutum esse in hac ultima cena.

Et cena facta.] Difficile hoc loco dubium est de qua cena loquatur, & quomodo verba Ioh. de cena Domini conueniant cum verbis cæterorum Euangelistarum, & præterea ubi interponenda sit institutio Eucharistiae. Ad hoc respondet varias esse de hac sententias, sed hæc est magis communis, & magis vera, Dominum bis cœnasse, id est, primum cœnassem agnum cum discipulis, deinde surrexissem, & lauisse eorum pedes, iterumque ad cœnam rediisse, & tunc instituisse Eucharistiam. hoc docet expressè Euthymius Matth. 26. &c. S. Eucharistia Thomas, & Lyra, & Iansenius, & Montanus hic, & satis colligitur ex quando Augustino tract. 5. & 3. de consensu Euang. c. 1. & probatur aperi- instituta. tè ex Euangelistis; Matth. 26. & edentibus illis dixit. Amen dico vobis, quia unus vestrū me traditurus est, &c. Quod similiter referunt Mar-

cus, & Lucas, eadem verba refert Ioannes. Sed ostendit quo loco dicta sunt, dicit enim cœnâ factâ Dominum surrexisse à cœna, & lauisse pedes Apostolorum, & rationem reddidisse cur fecerit, & nonnullis interpolitis peruenit ad id quod cæteri commemorant, dicens, *Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & protestatus est, & dixit: Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis me traditurus est.* Itaque cæteri Evangelistæ, quoniam non meminere ablutionis pedum, nec sermonis à Domino habiti, cœnam quasi non interruptam commemorare videntur, in eius fine Eucharistiam institutam esse docent: Ioannes autem expressit, quod ipsi præterierant, & dixit quid inter cœnandum contigisset: quod ergo ait, & *cœna facta*, intelligit de cœna agni. Quare, quod dicit Augustinus, quem sequuntur Beda, & S. Thomas, *cœna facta*, id est, iam parata, & ad conuiuantum mensam usumque producta, ipse priùs exposuit, id est, cœna nondum finita, adhuc enim cœnabatur cum Dominus surrexit, & pedes lauit discipulis suis: itaque constat iam, quod diximus de duplice cœna. Hoc etiam patet ex Chrysostomo, nam homil. 82. in Matth. exponens illud, & edentibus illis, &c. ait, *caterum ante cœnam pedes etiam lauit, intelligendum est ante cœnam hanc in qua instituta est Eucharistia.* & homil. 69. in Ioan. exponens hæc verba, & *cœna facta cum diabolus iam misisset in cor, &c.* dicit, *Ostendit maximam Iude malitiam, quod nec mensa quidem communicatio cum cobibuit.* Ergo iam cum eo cœnauerat agnum, & postea lauat ei pedes ante cœnam, id est, antequam secundò rediret ad cœnam, Eucharistiam instituturn: unde Ioannes ait, *postquam ergo lauit pedes eorum, accepit vestimenta sua, & cum recubuisset iterum, dixit eis, scilicet inter cœnandum & postea, ille est cui ego intinctum panem porrexero.* Quibus verbis ostendit illam esse cœnam communem de qua iam loquitur, & ad quam post manducationem agni discubuerant: & tunc non erat instituta Eucharistia, quando venerat ad secundam cœnam, ut patet ex aliis Evangelistis; dixit enim Dominus, qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. & statim, *cœnabitibus autem eis accepit Iesus panem, & gratias agens, &c.* Euangelistæ dicunt, *cœnabitibus eis*, Paulus vero primæ Corinth. 11. *Similiter, & calicem postquam cœnauit, dicens, &c.* quibus verbis vtitur Ecclesia ante consecrationem: quod non aduersatur Evangelistis, significat enim, postquam cœnauit, scilicet agnum, vt exponit Ecclesia, post agnum typicum expletis epulis, &c. & quod dicunt Evangelistæ, *cœnabitibus eis*, subaudiendum est, cœnam communem, post cœnam agni: unde in hac etena erat ius in quod intingebant, quod nullo modo inueniebatur in cœna agni, qui assus comedebatur cum lactucis agrestibus, similiter, quod Lucas scribit c. 22. *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobisum*, dictum est manducato agno, vt docet Chrysostomus homil. 83. in Matth. & statim commemorat institutionem Eucharistiae & tamen postquam hæc omnia narravit, scribit Dominum iterum de traditore suo locu-

-188- in ista ratione bono, de qua uerba in aliis eten- tum

tum esse, *Veruntamen, ecce manus tradentis me tecum est in mensa;* quoniam scilicet post institutionem Eucharistiae adhuc cœnabatur. Ordo ergo est huiusmodi, postquam in illa cœna communii Dominus turbatus est spiritu, ut ait Ioannes, & dixit, *Vnus ex vobis me tradet,* apiebant se discipuli, hæsitantes de quo diceret, ut ait Ioan. tunc sequitur, quod ait Matthæus, & *contristati singuli cœperunt dicere, num quid ego sum?* ait Dominus, *Qui intingit tecum manum in paropside, hic me tradet, & filius quidem hominis vadit,* &c. Deinde querit Iudas, *Num quid ego sum Rabbi?* cui Dominus ait. *Tu dixisti.* quibus verbis Apostoli nondum intellexerunt, quis futurus esset traditor; ut ait Augustinus tertio de consensu c. i. siue quoniam ita dici potuit à Domino, ut non omnes aduerterent, siue, quod ita intelligi potuit, tu dixisti, non ego dixi. Eodem modo interpretatur illa Euthymius Matth. 26. hinc Matthæus, & Marcus, & Lucas interserunt misterium corporis, & sanguinis à Domino discipulis datum: & cum calicem tradidisset, iterum de Iuda apud Lucam loquitur, dicens, *Veruntamen manus tradentis me tecum est in mensa:* & *quidem filius hominis secundum quod definitum est vadit;* veruntamen *væ homini illi, per quem tradetur.* Continuò sequitur, quod Ioannes narrat: *erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu Iesu,* & cætera que sequuntur, donec post datam buccellam, ait Dominus Iudæ, *quod facis, fac citius,* & exiuit Iudas, & Dominus habuit ad eos eum sermonem, qui finitur Ioan. 16. & orationem quam memorat idem Ioannes c. 11. qua finita, egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, &c. & reddit ibi ad eandem narrationem cum cæteris, qui quia hunc sermonem non posuerunt, finita cœna dicunt, & *hymno dicto exierunt montem oliveti.* ita hæc omnia ordinat Augustinus tertio de Consensu Evangelistarum c. primo ita etiam Euthymius c. 64. super Matth. nisi quod Euthymius putat, cum Dominus secundò locutus est de proditore post datam Eucharistiam, incœpisse ab illis verbis Ioannis. *Cum hec dixisset Iesus, turbatus est spiritu:* quod magis probat Iansenius c. 132. Nos autem dicimus cum Augustino hæc dicta esse ante consecrationem, quamvis hæc diuersitas per exigua est: & sanè si attentè legantur Evangelistæ, videntur optimè conuenire omnia. Sed habet tamen ista sententia non parum difficultatis, quod duriter videtur exponere illa verba, *tu dixisti.* nam planè Dominus videtur ea dixisse, ut affirmaret quod Iudas rogabat. Et ita in vsu fuisse apud Hebreos, aque ita omnes intelligere solitos ex Matth. 26. colligitur ubi adiuratus à Pontifice, an ipse esset filius Dei, respondit, *tu dixisti:* nec potest exponi, *tu dixisti,* non ego dico, nam & se etiam dicere ostendit, addens, *veruntamen dico vobis,* *modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei,* &c. Vnde pro hoc ait Marcus, *Tu es filius Dei benedicti.* Iesus autem dixit illi: *Ego sum:* & *videbitis filium hominis,* &c. & Ioann. 18. *Tu dicas,* quia rex sum
ego
sicut
vobis
adiu-

ego. affirmat se esse Regem , dixerat enim , *Regnum meum non est de hoc mundo; & aperte* Luc. 22. *Dixerant autem omnes , tu ergo es Filius Dei;* qui ait , *Vos dicitis , quia ego sum :* at illi dixerunt : *Quid adhuc desideramus testimonium , ipsi enim audiuius ex ore eius.* Si autem iam Dominus aperte dixerat Iudam esse à quo etat tradendus , iam non erat necesse ut Petrus Ioanni innueret , vt à Domino quereret quis esset , & ita non poterit obseruari ordo Augustini & Euthymij. Quod si dicas cum Augustino non omnes aduertisse primum hoc Augustinus dubitando dicit , nec potest probari , immo videtur potius omnes attente tunc obseruatores quidquid Dominus diceret , cùm quisque de se timeret. Ad hanc difficultatem respondeatur , Dominum non prouersus explicuisse his verbis à quo esset tradendus , quoniam , vt Montanus ait Matth. 26. hac phrasí Hebraeorum , *tu dixisti* , nec planè affirmatur aliquid ; nec planè negatur , sed magis tamen vergit in affirmationem. Dicit etiam frequens esse in lib. *τόντη μίσηαιοτ* , *tu dixisti* , pro , bene habet , satis est , nihil ultra rogo : quando ita ait , nihil est cur ultra agamus ; itaque cùm dixit. Iude , *tu dixisti* , reuera voluit Dominus affirmare , sed tamen ita recte locutus est , vt non satis certò cognouerint Apostoli Iudam esse , licet magnam inde suspicionem caperent : & ita Dominus locutus est , famæ Iudæ parcens , dixit enim verba , quæ ipse intelligeret , vt conuersaretur , cæteri non intelligerent , atque ideo primò generaliter locutus est , *Vnus ex vobis me tradet* , deinde cùm viseret animum Iudæ non mutari , magis indicabat paulatim , vt vel ita mutaretur , dicens , *Vnus ex duodecim qui intingit mecum in paropside* , non enim solus intingebat , sed alij , qui in eodem cum eo lector discubebant , vt Petrus , & Ioannes , & hoc est multo probabilius quād quod Chrysostomus vult solum Iudam intinxisse , nam si ille solus intingebat , iam prouersus rem indicauerat , nec erat quod ultra vel Apostoli , vel Iudas interrogarent. Sed ille fortasse Græcam vocem *ἐπιβαρτεύεσθαι* ex quo patet optimè vertisse nostrum interpretem : *Deinde Iudas conscientia stimulatus putans se iam proditum à Domino* , ait : *Numquid ego sum Rabbi ?* & Dominus ait : *Tu dixisti* ; sed non tamen plenè & sineulla dubitacione. Post hæc tradidit eis corpus & sanguinem , & , cùm iterum quereretur , *Verumtamen ecce manus tradentis me , mecum est in mensa* , quasi dicat etiam post tantum beneficium , & sacramentum à me acceptum , & post tantum pignus amoris mei , adhuc manet in suo scelere. Petrus ut omnino , & sineulla dubitatione rem intelligeret , innuit Ioanni , vt à Domino quereret , quis esset , & tunc iam plenè illi indicauit : hanc nostram responsonem confirmat Clemens lib. 5. constitutionum Apostolicarum c. 15. vbi ait : *Quanquam illo dicente : Numquid ego sum Rabbi , non dixit Dominus , etiam , sed tu dixisti.* Nec obstant loca ex Euangelistis à nobis adducta , nam in illis omnibus

nibus videmus Dominum ita responcionem suam temperasse, vt responderit quidem ad quæsta, sed tamen testè, & obscurè, noluit enim dicere apertè, ego sum rex, ego sum filius Dei; sed cùm quereretur, tu ergo es filius Dei, & in re tanta ipse non negaret, collegerunt facile Iudæi voluisse affirmare, & ideo dixerunt: *Quid adhuc desideramus testimoniūm.* &c. Similiter collegerunt Apostoli ipsum velle affirmare quod Iudas interrogabat, sed adhuc turbati timore dubitabant, & volebant perspicere prorsus & cognoscere quod autē, pro, *tu dixisti*, Marcus ait, *ego sum*, voluit significare apertè quod Dominus obscurè dixit, quamuis fieri potuit, vt prius dixerit, *tu dixisti*. Sicut Marcus ait, & postea *ego sum*, vt ait Marcus. ex his intelliguntur apertè duō quæ dubia sunt apud quosdam. Primum est, Eucharistiam datam esse Iudæ, quia exiit peracta prorsus cæna, id est, post acceptam bucellam panis, ita August. locis citatis, & tract. 62. S. Thom. & Beda ibidem. Chrysost. homil. 83. in Matth. Niceph. lib. 1. hist. Eccles. c. 30. Leo Pont. Sermones 3. & 7. de passione, & alij multi, licet oppositum legamus apud Clementem lib. 5. constit. Apostolicarum c. 16. & apud Tatianum Alexandrinum, in harmonia Euangeliorum, & apud Hilarium can. 30. in Matth. & apud Innoc. lib. 4. de sacri altaris mysterio c. 13. quia non contulerunt isti authores verba Ioannis cum verbis aliorum Euangelistarum, licet Innoc. nostram sententiam minime refellendam putet: ideo autem isti authores ita senserunt, quoniam putant, illud quod Ioannes ait de buccella, factum esse ante institutionem Eucharistie; quod tamen falsum est: Nam post bucellam continuo Iudas exiuit, vt ait Ioannes, & tamen post datam Eucharistiam, ait Dominus Lxx. 23. *Veruntamen manus tradentis me, mecum est in mensa.* Secundum est, bucellam illam nequaquam fuisse Eucharistiam hoc docent omnes authores citati in primo corollario, tam qui nobiscum sentiebant, quam qui contra nos, & patet ex verbis Domini, (*cui ego intinximus panem porrexero.*) nec enim Eucharistia intingenda erat, vide August. tract. 62. quamuis Cyrillus lib. 9. in Ioann. c. 16. apertè videtur lensisse contrarium.

Cum diabolus iam misisset in cor.] August. 3. de consensu Euang. cap. 1. *Quonodo intrat in cor, nisi immittendo iniquas persuasiones cogitationum iniquarum: itaque intelligit non solum, Diabolum misisse, sed etiam Iudam recipisse.*

Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.] Ostendit his verbis, & sequentibus dignitatem personæ Christi, vt ait Cyrillus, vt magis intelligamus quam profunda, & admiranda fuerit eius humilitas in abluendis pedibus, & quanta fuerit magnitudo amoris eius erga homines; deinde quam commendatum nobis esse voluerit hoc exemplum quod dedit; quasi dicat, hic est, quem Pater constituit Dominum vniuersorum, qui à sinu Dei missus est in mundum, vt homo fieret, & post resurrectionem ad Deum erat redditurus, & cùm ipse hac

Ribera in Euang. Ioan.

R r omnia

Eucharistia
Iudea data.

Vtrum buc-
cella ista
fuerit Eu-
charistia.

Dignitas
personæ
Christi
estensio.

omnia nosset, non est designatus pedes lauare discipulorum. Chrysostom. homil. 69. Traditionem autem hoc in loco fidelium salutem appellari mihi videtur. probat ex Matth. 11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. & Ioan. 17. Tui erant, & mihi tu eos dedisti. & cap. 6. Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum, Mihi hoc videtur dicere; probatur, tradidit ei in manus omnium hominum salutem, ut quandoquidem per suam passionem illam merebatur, & efficiebat, ipse præscriberet quibus operibus eam homines maximè adipiscerentur, & sciens hoc, lauat pedes discipulorum, docere volens officiis charitatis, & humilitatis ad salutem æternam perueniri.

Surgit à cena.] Quæritur quomodo surgat, si erat cœna agni, quam omnes ferè docent fieri à stantibus, non à decumbentibus. Euthymius Matth. 26. respondet ita; *Verisimile est quod stantes prius manducauerint pascha secundum legem, deinde discubuerunt, & cenauerunt.* Sed hoc quod ait Euthymius poterat dici in verbis Matth. qui de secunda cœna loquitur, ut diximus: at cum non sit dubium Ioannem loqui de cœna agni, non solvitur difficultas. Mihi facile videtur solui posse, non enim inuenio ubi præceptum sit in lege, ut stantes comedant agnum: nam Exod. 12. ubi modus comedendi traditur, ita scriptum est, *Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes, est enim phasæ, id est, transitus Domini.* Sed ex eo quod ait, *Comedetis festinantes,* videntur mihi colligere comedendum à stantibus; quasi verò discubentes non possint festinantem comedere. & hic argumentabimur ut Abulensis, hæc cæmonia non est in lege, ergo non obligat. Præterea hæc verba Ioan. *surgit à cena,* ostendunt verum esse quod dicimus, & similitet cæteri Euangelistæ loquentes de vtrâque cœna quasi de una semper dicunt Dominum discubuisse cum suis.

Et ponit vestimenta sua.] Ut magis admiremur, & dignius hoc factum perpendamus, Euangelista minutissima quæque persequitur, ut exteriorem amictum deposuerit, & aquam miserit in peluum, &c. ut videamus nullis adiutoribus usum esse, sed ipsum per se omnia exercere voluisse, ut perfectissimè faceret hoc opus humilitatis, doceretque nos talia opera accuratissimè facere debere. Docet etiam quām libenter fecerit: qui enim libentissimè aliquid facit, omnia plenè exequitur, & aliorum consortium non admittit. Augustinus tract. 55. eleganter de his loquitur, summa est hæc: *Cum omnia ei Pater dedisset in manus, ille discipulorum non manus, sed pedes lauit, qui à Deo sè exisse fit, & ad Deum ire, non Domini Dei, sed hominis serui implevit officium, quid mirum si surgit à cena, & ponit vestimenta sua, qui cum in forma Dei esset, semetipsum extinxerit, quid mirum si precinxit sè linteo, qui formam serui accipens, habitu inuentus est ut homo, quid mirum si misit aquam in peluum unde lauaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunitudinem diluerit peccatorum, &c.*

Et cœpit lauare pedes discipulorum.] Hoc opus est magna charitatis, quod cœnaturis exhiberi solebat, vnde Lucæ 7. Aquam pedibus meis non dedit, & primo Timoth. 5. de vidua, quæ habere debet testimonium bonorum, operū si filios educant, si hospitio recepit, si sanctorum pedes lauit. Magnus
charitatis.
& magna
humilitatis
exemplum.

Est etiam opus magna humilitatis, & extremæ ferè abiectionis 1.

Reg. 25. Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes Domini mei; & ideo Christus hoc ministerium elegit, vt magna charitatis, & magna humilitatis nobis relinqueret exemplum. Nicephorus lib. primo historiarum cap. 28. dicit, Christum hoc fecisse, non solum ad humilitatis exemplum, sed etiam, vt ostenderet ipsis propriè conuenire corporis, & mentis expiationem, & vt ostenderet pedes eorum aptos esse ad eundum, & prædicandum Gentibus, & vt demonstraret pulchritudinem pedum euangelizantium pacem.

*Venit ergo ad Simonem Petrum.] Quoniam prius dixerat, *cœpit lauare pedes discipulorum*, Chrysostomus homil. 69. & Theophilactus, & Euthymius putant prius lauisse pedes Iude, deinde venisse ad Petrum; at Augustinus tract. 56. putat ad Petrum primum venisse, quoniam Petrus erat Princeps Apostolorum, & eum Christus propter ceteros semper honorare consueuerat, cīque vt capiti decebat magis commendari exemplum charitatis, & humilitatis, & munditatem affectuum; ita etiam Beda, & alij: quod videtur probabilius. Nec obstant verba illa, *cœpit lauare*, dicit enim primus Euangelista generanter quid fecerit, deinde ordinem quo fecerit, & docet cum cœpit lauare, à quo cœperit, vt ait August.*

Tu mibi lauas pedes.] Chrysostomus: His manus, quibus cœperisti oculos, leprosos mundasti, mortuos suscitaisti: habet enim magnam significationem hac particula, quare non aliud oportuit dicere quam Tu: nam hoc omnia demonstrantur. Cyrillus: Tu mibi lauas pedes. Oportebat, inquit, nos qui natura serui sumus, non te, qui Dominus omnium es, officium id suscipere. August. tract. 16. Tu mibi: quid est; Tu, quid est, mihi? cogitamus sum potius, quam dicenda, ne forte quod his verbis aliquatenus dignum concipit anima, non explicet lingua.

Si non lauero te, non habebis partem mecum.] Nonnulli hoc intelligunt Pedum ablutione, ut Caieranus, & Iansenius c. 130. Quāuis enim Petrus esset lotus, id est, gratiam haberet, non tamen poterat in beatitudinem recipi, nisi eius affectus omnes purgarentur a Christo. At licet hoc probabile sit, mihi probabilius videatur loqui de illa ablutione pedū, ita intellexit Aug. & Beda, & Chrysost. & Theoph. & Euthymius quasi dicat, ne sis mihi inobediens, nam hæc inobedientia excludet te à meo consortio, & à vita. Sed forte ita melius exponemus, sine tibi pedes lauem, nisi enim te lauero, id est, nisi hoc tibi persuasero, quod hac ablutione persuadere cupio, videlicet munus tuum esse cùm, futurus sis caput, docere alios humilitatem, & charitatem exemplo tuo, & aliorum peccata delere,

non habebis partem mecum : & vt hoc te optimè doceam, oportet vt ego tibi pedes lauem ; itaque ponitur signum pro re signata : vt si dicamus , nisi Christus de dæmonie triumphasset , actum erat de nostra salute ; triumphus , qui est signum victoriae , ponitur pro ipsa victoria , & ita hæc expositio comprehendit quodammodo cæteras expositiones.

Non tantum pedes.] Amanti nihil potuit acerbius , aut terribilius intentari , quam recedere ab eo , quem tantopere amabat : ex quo patet quam vehemens fuerit amor Pauli in Iudeos , à quibus maximè infestabatur , cum dixerat ad Rom.9. Optabam ego anathema esse à Christo pro fratribus meis . August. tract.56. Ille amore , & timore perturbatus , & plus expuescens Christum sibi negari , quam usque ad suos pedes humiliari , Domine , ait , non tantum pedes , &c. Chrysostomus : In recusando vehemens Petrus , & in permittendo vehementior : utrumque ex amore .

Qui lotus est , non indiget nisi vt , &c. id est , satis est , vt tibi pedes ablucam , nam hac ablutione pedum docebo te , & persuadebo tibi quod volo , volo te docere mentis munditiem , & debere te purum affectum , & maximè sciuncatum habere ab omni cupiditate terrena ; nolo vt voluntati tuae adhæreat affectus honoris , aut imperandi , aut fruendi voluptatibus sæculi , aut cætera huiusmodi desideria . Nam hæc maxime obstabant officiis charitatis , & humilitatis , & puritati mentis , quæ te docere volo : iam tulotus es , & à peccato mortali mundatus per gratiam meam prouersus eris mundus , si pedes mundos habueris ; affectus enim sunt pedes animæ , quibus ad Deum accedit , aut ab eo recedit : vt autem homini quantumvis mundo facilè puluis hæret in pedibus , quia non potest non calcare terram ; ita hominibus sanctis facilè affectus terreni hærent in voluntate , quia non possunt non versari inter res terrenas , & propterea dixit , Non indiget , nisi vt pedes lauet .

Vos vocatis me Magister , & Domine .] Hoc dicit , ac si dicere velit , turpe erit discipulo , si honoratior velit esse magistro suo , aut dedignetur id facere quod facit Magister : similiter , turpe erit seruo , si refugiat officium , quod non refugit Dominus . & hoc est quod statim infert , Non est seruus maior Domino sue , &c. vt scilicet querat magis honorari , quam ille .

Nec Apostolus maior eo , qui misit illum .] Indicat Etymologiam Apostoli , dicitur enim à verbo Græco ἀποστόλος , quod est mittere , non quomodocumque , vt τέμνω sed mittere cum mandatis , & mittere legatum , vnde Apostolus est quasi legatus Christi , pro salute hominum missus 2. Corinth.5. legatione fungimur pro Christo . Ephes.6. Notum facere mysterium Euangeli pro quo legatione fungor in catena ista : at non solùm hanc legationem , & functionem prædicandi Euangelium significat , sed etiam peculiarem dignitatem , & potestatem gubernandi Ecclesiæ , & ferendi leges : vnde LXX. Discipuli licet missi sint à Christo ad prædicandam

*Affectus
pedes ani-
mae.*

*Apostoli
Erymus.*

*Apostolus
quis.*

predicandi, non tamen dicuntur Apostoli, quoniam non erant principes, & rectores Ecclesiarum. Et satis patet hoc nomine significari peculiarem dignitatem in Ecclesia ex 1. Cor. 12. & Ephel. 4. & ex Lucæ 6. vbi ex omnibus discipulis elegit duodecim, quos etiam Apostolos nominauit. Adnotat hoc Adamus in epistolam ad Rom. cap. 1. contra Caluinum, qui ex nominis Etymologia probare volebat Apostolos tantummodo habuisse potestatem pædicandi: quo argumento probare posset Consulem non habere officium regendi, & imperandi, sed tantum consulendi; & Ducem non habere ullam potestatem, sed tantum officium præeundi.

Non omnibus vobis dico.] Quasi dicat, scio Iudam esse peritum, & implendum esse in eo, quod scripsit David. Ego noui vos omnes, quos elegi, & vocavi ad apostolatum, & scio, quid quisque cogitet, & quid de vinoquoque futurum sit. quod dicit, ut & Apostoli videant eum nihil futuron latere, ut Deum, & Iudas eadem consideratione à scelere quod cogitabat deterreatur.

Qui manducat mecum panem, &c.] Verba sunt Psal. 40. vbi Christus non spirituali sensu, ut putat Iansenius cap. 130. sed litterali, ut patet ex Augustino, & ex Euthymio, & ex titulo ipso, qui est, *in finem; coqueritur de Iudea proditione.* Nos ita legimus, iuxta LXX. Etenim homo pacis meæ, in quo sperauit qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem, & ita omnino habetur in Hebreo: & licet Hieronymus veritat, leuabit *contra me plantam*, sensus quidem est idem; sed LXX. verba accuratiū obseruaunt. Vbi autem Hieronymus posuit *plantam*, est in Hebreo πηνα, id est, *planta vel calcaneus*, ut hic vertit Ioan. sed LXX. vertentur πτερυξποδη, id est, *supplantationem*; & quidem Augustinus tractatu 59. & in eodem Psal. & Lyra. & Iansenius putant, supplantare esse conculcare, & opprimere: at non dicitur *supplantare*, quasi sub planta habere, sed propriè significat, pede obiecto, vel supposito pariter currentem ad casum impellere, ut ostendimus Osea 6. vbi ait, *supplantata sanguine*; quare verbum πηνα, id est, *supplantare*, semper significat in Scriptura circumuenire, & decipere, & insidiari Genes. 27. *Iustè vocatum est nomen eius Jacob*, supplantauit enim me en altera vice; primogenita mea antetulit, & nunc secundo surripuit benedictionem meam. Hierem. 9. *Omnis frater supplantans supplantauit*, & *omnis amicus fraudolenter incedet*. Ex quo intelligitur illud Hierem. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile*. Vbi habemus *prauum*, est in Hebreo πηνα, id est, seductum, plenum dolis, & fallaciis, quod igitur ait, magnificauit super me supplantationem, est propriè, quod nos dicimus *bane*, hecho una gran traicion & super me, id est, contra me, ut vertit Ioan. & etiam Hieronymus, & hoc significauit Ioan. dicens, *Leuavit contra me calcaneum suum*, id est, supplantauit me, leuavit calcaneum, ut me ad casum impelleret. ita interpretantur Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, &

idem Euthymius in Psal. 40. & tam ipse, quam Theophylactus indicant metaphoram sumi a certantibus cursum, qui aduersariorum calcaneum calcant, ut eos deiiciant in terra. Est ergo homo pacis mea, id est, pacificus, mens amicus & familiaris mens, in quo speravi, id est, cum quo ita agerem, ac si fidelissimus esset, & ei securè me credere possem; est enim eadem phrasis, quam exposuimus cap. 12. vbi ait, *Excavauit oculos eorum, qui edebat panes meis*, id est, qui ad mensam meam accumbebat, &c.

Credaris quia ego sum.] Id est, credatis me esse Deum, qui futura praeviderim. Sed numquid non credebant: credebant quidem, sed in passione multum eorum fides infirmata est, & ideo præbet illis signum diuinitatis sua; quasi dicat, cum me videritis a proditore traditum Iudeis, omnibus contumeliis affici ut hominem, mementatore me esse Deum, qui illa omnia praeviderim.

Qui arcipit si quem misero.] Quæritur quomodo haec verba cum precedentibus cohærent? Cyrus ita exponit: *Quemadmodum, qui recipit missum a me, me recipit, ita, qui recipit me missum a Patre, Patrem ipsum recipit.* hinc autem taciti voluit inferri, ut Judas intra se terreretur, & resipiceret: qui autem iniuria me afficit, Patrem meum iniuria afficit. Mihi etiam valde placet expositio Caietani quam secutus est Ianuenius, Dominum, cum iam sibi vellet sermonem de ablutione pedum, nunc addere, ipsum redire, exhortarique omnes fideles, ut recipiant missos a deo Apostolos, ut benefaciant eis, sicut ante exhortatus fuerat Apostolos, ut benefacerent fidibus qua in re etiam Apostolos consolatur, ut ait Chrysostomus homil. 71. quos pro omnium salute in charitatis officiis laborare iuss erat.

Turbatus est spiritu.] Id est, intra seipsum ut cap. 11. *In fremuit spiritu, magno mœrore affectus est, ob discipuli pertinaciam, & perditionem.*

Ex protestatione est.] Id est, palam locutus est de proditione, & indicavit dolorem quem animo habebat.

Erat ergo recubens, &c.] Id est, erat Domino proximus in lecto illo, ita ut capite suo simum, & pectus Domini attingeret: unde statim ait, & cum recubuisse ille supra pectus Iesu, hoc quomodo fieret, diximus c. 2. vbi ait, & fertur archiclinio. Diligebat Dominus Ioannem propter virginitatem, & munditatem, & suavitatem morum, & ideo ei peculiaria signa dilectionis præbebat, id est dicitur discipulus, quem diligebat Iesus: ex hoc sinu mirabilem sapientiam hausit Ioannes; ut enim ait Augustinus tract. 61. pectoris sinu sapientie secretum est. Chrysostomus homil. 71. *An parum hic didicisse eum arbitrari, cum tantum frueretur magistri benignitate.*

Cum recubuisse ille.] Quasi ticat, quia recubuerat in eius sinu, potuici facilius, & secretius dicere.

Cui ego intinctum panem porrexero.] Quæruntur cur hoc signo potius, quam alio Dominus voluit prodere Iudam. Augustinus Psal. 40. & Cyrus dicitur, factum hoc esse, ut ostenderet eum esse in quo propheta

*Cur Domini
nue pane
intincto pro-
dere Iudam
voluerit.*

phetia implebatur, *Qui edebat panes meos, magnificauit super me supra plantationem.* Augustinus tract. 62. *Fortassis per panis tinctionem illum significans fictionem, nonnulla enim inficiuntur, cum tingantur.* Existimo etiam panem intinctum dedisse, ut ostenderet, quam familiariter, & amicè cum illo agere soleret, ut videretur quam verum sit quod de eo dicitur in Psalmo, *Etenim horum pacis mea.*

Introivit in eum Satanus.] Augustinus tract. 62. & 3. de consen. Euang. c. 1. docet hoc modo ait Ioannes, non esse contrarium ei quod dixerat, *cum diabolus iam misseret in cor, &c.* nec ei quod dixit Luc. c. 22. *Intrauit autem Satanus in Iudam, & abiit, & locutus est cum Principibus sacerdotum;* prius enim intrauerat immittendo in cor eius cogitationem, ut traderet Christum, post buccellam autem intrauit, non ad hoc, ut quasi alienum tentaret, sed ut proprium possideret, & pleniū quam antea possideret: sicut Apostoli acceperunt Spiritum laetum, cùm Dominus insufflavit in eos, Ioan. 20. sed in die Pentecostes pleniū acceperunt. Sed quæritur quare intrauit post buccellam, cùm illa nihil mali habuerit. Respondeatur primum, propter ingratitudinem, ut ait Augustinus; cùm enim omnia officia charitatis Christus erga illum præfitteret, nec ita moueretur, relictus est plenē possidens à diabolo. Secundò, quoniam diabolus ex verbis illis Domini, & ex signis cognovit iam illum esse obstinatum in malo, & relictum à Domino, ut ait Chrysostomus homil. 71. & Euthymius Matth. 26. Tertiò quoniam ipse Iudas intellexit se iam omnibus manifestum esse, & quasi segregatum à discipulis, & à magistro, & ideo confirmatus est in malo, & plenē cor suum tradidit diabolo quasi desperans: ideo etiam continuò exiuit, non sustinens Domini, & Apostolorum conspectum, aut metuens ne ab eis laceraretur, ut ait Euthymius.

Quare post
buccellam
intrauerit
Satanas.

Quod facis, fac citius.] Augustinus tract. 62. *Non præcepit facinus, sed prædixit Iude malum, nobis bonum;* id est, prædixit se tradendum esse ab eo: sed certè vox est etiam permittentis, & dimittentis illum in desideria cordis eius, ut excæcetur.

Erat autem nox.] Vide Gregorium 1. moral. c. 2. Indicat etiam, ut ait Chrysostomus eius temeritatem, cùm ne temporis quidem importunitate abduceretur à proposito scelere.

Nunc clarificatus est filius hominis.] De re futura, quia iam iam instabat, quasi de præterita loquitur; quasi dicat: iata Iudas quærit Iudeos ut me comprehendant, nunc patiar, nunc clarificabor, quoniam morte mea destruam mortem, & vincam diabolum, & in morte ipsa signa certa apparebunt diuinitatis meæ in sole, & petris, & sepulcris, & continuò resurgam, & ascendam in cælum, & omnes ad me conuertentur. De hac claritate dixit cap. 12. *Et ego si exaltatus fuero a terra, omnia irabam ad meipsum.* Ita Chrysostomus, & Cyrillus, August. autem ita intelligit: nunc cùm malus recessit, & cum solis electis maneo, clarificatus sum, id est nunc significatur clarificatio, quam in fine mundi habiturus

habitatus sum, cum mali in infernum mittentur, & electos solos ad me recipiam in cælum.

[Et Deus clarificatus est in eo, &c.] Id est, per illum clarificabitur, & glorificabitur Deus, qui eum misit, & ei tanta contulit, & sapientiam suam & bonitatem in homines per eum ostendit.

[In semetipso.] Id est, per semetipsum, ut ait Chrysostomus, resuscitans eum, & exaltans, & tribuens illi nomen quod est super omne nomen, & mittens Apostolos, & prædicatores ad eius nomen manifestandum. & hæc clarificatio citè apparebit.

[Adhuc modicum vobisum sum.] Hæc & sequentia exposuimus c. 7. in illis verbis, *Adhuc modicum tempus vobisum sum.*

Mandatum nouum do vobis.] Quasi dicat, quoniam ad mortem proptero, hoc à me mandatum accipite, quod in hoc potissimum tempus reseruavi, ut & altius, in memoria vestra infigatis, & accuratiū obseruetis; & quamuis præceptum dilectionis secundūm substantiam vetus sit, tamen secundūm modum quo nunc traditur; est nouum, ut diligatis, sicut ego dilexi vos; id est, ego amavi nullis vestris meritis præcedentibus, cum inimici essetis, amavi vos, non meam utilitatem, sed vestram salutem querens amavi usque ad sanguinis effusionem, amavi ita, ut nihil tam abiectum & laboriosum esset, quod recusauerim si vobis utile esset, hæc eadem vos præstare debetis fratribus. Hoc exponit Ioan. in prima epist. c. 3. ab illis verbis, *quoniam hæc est annuntiatio, quam audistis ab initio, ut diligatis alterutrum:* & cap. 2. ubi hoc mandatum nunc vetus vocat, nunc nouum: quæ omnia optimè hic exponit Cyrillus. Hanc communem expositionem reicit Iansenius cap. 134. quoniam Ioan. in prima sua epistola vocat hoc mandatum nouum, & tamen non meminit modi illius propter quem nos dicimus vocari nouum. Idem facit Dominus in verbis sequentibus, *in hoc cognoscet omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis adiuicem.* Itaque ipse nouum dici putat, quoniam cum iam esset moribus hominum antiquatum, & quasi abrogatum, & Iudæi nimis imperfectè illud intelligerent, Christus exemplo suo illud reuocauit, & absoltuit. Nos fatemur hanc rationem optimam esse, & ita illam superioribus adiungimus: sed tamen quod adducit ipse contra receptam sententiam nullius momenti est; respondetur enim modum illum dilectionis non repeti à Domino, neque à Ioanne, quoniam ab initio prædicationis Euangelij ita edocti erant, & facile intelligi poterat de quo amore loqueretur; videlicet, ut diligenter se, sicut Christus dilexit nos, & ideo dixit Ioannes, *Quoniam hæc est annuntiatio quam audistis ab initio.* Quemadmodum cum dicit Ioan. *Vt nos mutuo diligamus,* etiamsi nihil addat, intelligimus eum loqui de amore charitatis, non de amicitia humana; quoniam ex quo facti sumus Christiani, intelligimus hoc amore nos debere diligere. Similiter cum ait Iacobus, *Consternimi alterutrum peccata vestra,* c. vlt. intelligitur de confessione quæ fit presbyteris Ecclesiæ, quoniam eam confessionem

fessionem docti, sumus ab initio, ex quo facti sumus Christiani. Augustinus tract. 65. dicit, hoc mandatum esse quidem vetus, sed nouum dici ab effectu, quia homines renouat. vbi de illo eleganter loquitur S. Thomas. Tribus de causis dicit hoc mandatum vocari nouum, prima est ista Augustini, secunda est à causa efficiente, quæ est spiritus nouus, id est, spiritus amoris, non spiritus vetus, qui erat spiritus timoris; ab effectu, quem constituit, qui est nouum Testamentum: nam breuis differentia est noui, & veteris Testamenti, timor, & amor.

In hoc cognoscet omnes.] Quasi dicat, non in miraculis, quæ & à reprobis fieri possunt.

Non potes me modò sequi.] Id est, nunc non habes eam animi firmatatem, & id robur, ut pro me mori possis, veniet in te Spiritus sanctus, & tunc poteris: ita Augustinus tract. 66.

Non cantabit gallus.] Scilicet secundò, ut apertè dixit Marc. cap. 14. *Prinsquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.* Chrysostomus homil. 72. Experientia cognoscet nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina: unde constat hunc casum Iesum pro ipsis vilitate premisse, &c. Augustinus tract. 66. *Ita ne facies pro me, quod ego nondum pro te: animam tuam pro me pones, preire potes, qui sequi non potes? quid tantum prafuis? quid esse te credis? audi quid sis, non cantabit gallus donec ter me neges.*

Ribera in Euang. Ioan.

Ss SAN



S A N C T U M
I E S V - C H R I S T I E V A N G E L I U M
S E C V N D U M I O A N N E M.

C A P V T X I V .

1. **N**O N turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, & in me credite. 2. In domo Patris mei mansiones multae sunt, si quo minus dixisse vobis: Quia vado parare vobis locum. 3. Et si abiero, & preparauero vobis locum: iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego & vos sitis: 4. Et quo ego vado scitis, & viam scitis. 5. Dicit ei Thomas Domine, nescimus quoniam vadis: & quomodo possumus viam scire? 6. Dicit ei Iesus: Ego sum via, & veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. 7. Si cognouissetis me, & Patrem meum utique cognouissetis, & amodò cognoscetis eum, & vidistis eum. 8. Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. 9. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum: & non cognouissetis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? 10. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? Verba, que ego loquor vobis, à me ipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. 11. Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? 12. Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera que ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. 13. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificeatur Pater in Filio. 14. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. 15. Si diligitis me, mandata mea seruate. 16. Et ego rogaro Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum. 17. Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum: vos autem cognoscetis eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit. 18. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. 19. Adhuc modicum: & mundus me iam non videt. Vos autem videatis me: quia ego viuo, & vos vinetis. 20. In illo

illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & latere, & ego in vobis. 21. Qui habet mandata mea, & seruat ea: ille est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligitur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. 22. Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, qui factum est, quia manifestaturus es nobis te ipsum, & non mundo? 23. Respondet Iesus, & dixit ei: Si quis diligit me sermonem meum seruabit, & Pater meus diligit eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. 24. Qui non diligit me, sermones meos non seruat. Et sermonem quem audistis, non est meus: sed eius, qui misit me, Patris. 25. Hec locutus sum vobis, apud vos manens. 26. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggesteret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. 27. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. 28. Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem: quia Pater maior me est. 29. Et nunc dixi vobis prius quam fiat: vt cum factum fuerit, credatis. 30. Iam non multa loquar vobiscum: venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. 31. Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedi mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

I N C A P V T X I V . S A N C T I
I E S V C H R I S T I E V A N G E L I I
S E C V N D V M I O A N N E M ,
C O M M E N T A R I A .

NO N turbetur cor vestrum.] Duo dixerat Dominus, quæ multum perturbare poterant animos Apostolorum. Primum, quod recessurus esset ab eis, ita ut nullus eorum posset venire, quod ipse ibat. Secundum Petrum ter eum negaturum esse antequam gallus bis canceret. ex quo facilè intelligebatur imminere magnam aliquam calamitatem, quam meritò timere deberent; quandoquidem tanta futura erat, vt Petrum ipsum terrefaceret, & ad Domini sui negationem impelleret: ideo hoc capite & duobus sequentibus multis eos rationibus consolatur, vt æquo animo ferant suum recessum per mortem, & ascensionem, & parati sint ad fortiter perseverandum labores, non solum, qui tunc imminebant, sed eos etiam quos postea in prædicando Euangelio usque ad finem vitæ experturi erant.

Quamobrem tota hæc concio mirè prodest cùm omnibus Christianis , qui in hac vita laborant spe futuræ , tum maximè iis qui prædicaturi sunt per orbem Euangelium. Primum igitur proponit , quod vult persuadere , videlicet , non turbetur cor vestrum , id est , abiicite omnem metum , omnem mærorum . deinde rationes adiungit , quibus persuadeat.

Creditis in Deum , & in me credite.] Cyrilus : Fortes modò milites instituit , armaque dat , quibus omnia queant aduersa superare ; id est , sicut creditis in Patrem , ita in me credite : nam per me liberabit vos Pater à malis omnibus ; ne confidatis vestris meritis , aut viribus , sed in me confidite , & considerantes me cum Patre regnare , credite nihil vobis defuturum per me. Mihi videtur his verbis Christus facere quod agricolæ solent , qui vitem , ut imbecillam vlimo adiungunt , ut inde firmitatem accipiat ad scandendum , & crescendum , etiam venti , & imbræ in eam sequiant : ita Dominus ad se tanquam ad murū firmissimum Apostolos adiungit per fidem , ut fiat illud Psal. 26. *Dominus illuminatio mea , & salus mea , quem timebo?* Cyrilus : *Quis superabit diuinis armis undique cataphractos , arma verò latuſque clypeus , qui telis hostium frangi non potest.* Fides est cæterum in Græco , vbi nos habemus creditis , & credite , legitur , misericordia , quod & indicatiui est , & imperatiui : vnde potest esse sensus , quem habet nostra translatio , & potest etiam vtrumque esse imperatiui , id est , credite in Deum , & credite in me. hoc posteriori modo citat Hilarius lib. 9. de Trinitate , & ita intellexerunt Chrysostomus , & Cyrilus , & Theophylactus , & Nonnus . sed idem est sensus , videlicet , credite Deum semper vobis a futurum , sed per me.

Mansionum in domo Parris mei mansiones multæ sunt.] Nunc adiungit eos ad se per multitudino. spem ; quasi dicat , ne putetis me perpetuò vobis abfuturum , quoniam ad Patrem vado , nec quoniam vni Petro dixi , quò ego vado non potes me modò sequi , sequeris autem postea ; ideo solum Petrum mecum esse futurum : nam in domo Patris mei , ad quam iturus sum , non mihi tantum aut mihi , & Petro locus est , sed etiam omnibus seruis meis , sunt enim multæ mansiones vnicuique pro suis meritis , reddendæ , & pro laborum magnitudine , quibus pro me sese exercuerint , aut ad inimicos propter fidem exerciti fuerint. Quibus verbis tacitè docet non dolendum esse , cùm in tentationes , & tribulationes inciderint , sed potius lætandum , quia quo plus laborauerint , & grauiora pertulerint , & digniores habebunt in cælo mansiones , atque ita coniungimus expositionem Chrysostomi , & Cyilli de multitudine mansionum , & capacitate cæli , cum expositione Augustini de diuersitate , & inæqualitate præriorum , quam etiam attigit Cyrilus .

Si quominus dixissem vobis , quia vado parare vobis locum , &c.] Chrysostomus , Cyrilus , Theophylactus , Euthymius , ita exponunt , nisi hoc , quod dico de mansionibus , ita esset , dixissem vobis me abire ad parandum vobis mansiones , ut mecum semper esse possitis : at nunc non hoc dico ,

dico, quoniam iam paratae sunt, sed abeo, ut parat vobis locum, id est, ut morte mea viam vobis in cælum aperiam, quod hactenus nullus mortalium ascendit, & ut illud reserem, quod erat hominiibus clausum. Sed videtur huic expositioni obstare, quod sequitur, & si abierto, & parauero vobis locum, iterum veniam, &c. Si enim non vadit, ut parat eis locum, quomodo dicit, si abierto, & preparauero vobis locum; ideo Cyrus ita ea intelligit: Si haec fecero, & viam vobis in cælum aperuero, iterum veniam tempore iudicij, & accipiam vos mecum. Theophylactus verò ira: Etiamsi non essent paratae mansiones, & ego verò irem, ut eas vobis pararem, nec sic quidē reliquissem vos, sed venirem, ut acciperem vos ad meipsum. Euthymius ita, si ita non esset, dixisset vobis, ut pararem vobis locum, & dixisset etiam me redditum esse ad vos, cum locū parassē. Sed certè istae expositiones Theophyl. & Euthym. parum conueniunt in verba Euangelistæ. Chrysost. autem, & Cyrillo illud obstat quod parare locum & equivocè accipiunt, ut prius significet parare mansiones, posterius parare viam in cælum, cum Dominus aperèt sumat pro eodem, ut ex verbis ipsis facile quicunque intelligat: cum enim dicit, & si abierto, omnino repetit, quod dixerat. Propterea August. tract. 68: quem sequitur Beda, ita soluit hanc difficultatem, mansiones paratae sunt, at non ita sunt paratae, ut futurae sunt, quia paratae sunt in diuina prædestinatione, non tamen sunt paratae in operatione, quia non possidentur ab iis quibus paratae sunt. Abit ergo Dominus ut parat eis locum, id est, ut re ipsa accipient mansiones, quæ in æterna prædestinatione erant illis paratae, nam rececente Domino aucta est fides & charitas Apostolorum, &c. & hoc modo rectè dicitur parari, quod iam erat paratum; sicut elegit vos ante mundi constitutionem, Ephes. 1. & tamen etiam in tempore elegit nos, cum vocat ad fidem, ut accipiamus bona æterna, ad quæ nos elegit. Itaque parare mansiones nihil aliud est quam parare mansiones ipsis mansionibus, & ipsi sunt mansiones, quæ parantur tempore huius sæculi; sicut electi dicuntur regnum Dei, 1. Corinth. 15. Deinde finis, quando tradiderit regnum Deo, & Patri: hoc regnum modò paratur, & fabricatur, ut postea accipient regnum. Matth. 15. Percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi, id est, qui regnum eratis, & non regnabatis, venite, ut regnetis, & sitis in regno, quod prius sperabatis: eodem modo mansiones dicuntur parati, licet sint ab æterno paratae.

Parare mā-
sionēs quid.

Elekti, re-
gnum Dei.

Vt rectè hic locus intelligatur, sciendum est in Græco ita haberi ad verbum: *Si autem non dixisse utique vobis, vado parare vobis locum.* Itaque non habetur in Græco, quia; habebatur tamen in libro nostri interpretis. Possunt ergo haec verba, quia vado parare vobis locum, duplice intelli, primò ut iungantur cum verbo *dixisse*, ut sit sensus, si ita non esset, planè dixisse vobis me abire ad parandum vobis locum; sed nunc non dico: & si hunc sensum sequamur, necessariò

S 3 videtur

videtur recipienda , vel Cyrilli , vel August. interpretatio 2. modo
 haec verba per se intelliguntur separata à verbo , dixisse , quomodo
 accepit Montanus qui lensus mihi maximè probatur , ut sit , multæ
 mansiones sunt in domo Patris mei , quod si ita non esset , planè vo-
 bis dicere in , nec vos Vana spe deciperem , quoniam eo ut parem vo-
 bis locum . quasi dicat , cùm tantum vos amem , ut recedam à vobis cau-
 sa parandi vobis locum , quomodo hoc non dicerem , aut in re tanta
 paterer decipi , quos tantopere diligo : parare autem locum , est in pos-
 sessionem cæli venire , quod usque ad illud tempus fuerat hominibus
 clausum ; quasi dicat , me ascendentे aperientur vobis cæli , iuxta illud ,
Attollite portas principes vestras , & introibit rex gloria. & Micheæ 2. *Ascen-*
det enim pandens iter ante eos itaque Christo ascendentē , qui caput no-
nstrum est , & frater noster , nos sumus in pacifica possessione , & quo-
dammodo iam illud possidemus , iuxta illud Ephes. 2. & conresuscitauit ,
& confidere nos fecit in cælestibus in Christo Iesu , & hoc est propriè parare
locum ; unde rectè addidit , & si abiero , &c. id est , cùm vobis locum ita
præparauero , descendam iterum è cælo , ut vos integrōs , id est , animas
cum corporibus in cælum transferam , ubi mecum perpetuò sitis . Quod
si aliquis obiiciat , ergo statim Dominus reuersurus erat ad nos simul

Reditus Do-
mini quādō
futurus.
 atque in cæli possessionem venit , & locum nobis paravit . Responde-
 tur non esse redditum donec vixerint omnes illi ; quos ad se acceptu-
 rus est , non enim loquitur solis Apostolis , sed omnibus electis , & ita
 ex verbis ipsis promissionis patet solutio , est enim sensus , accipiam
 vos , id est , omnes meos electos , ut Matth. vulgo , *Ecce ego vobiscum sum*
omnibus diebus , &c. Scierendum est etiam moram , quæ est ab ascensio-
 ne Christi usque ad Indicium apud Deam , & apud Scripturam , bre-
 uissimam iudicari , & quasi nullam , quoniam eam consequitur æter-
 nitas , comparatione cuius omnis mora temporum nullius momen-
 ti est . Unde 1. Ioann. 2. *Filioli , nouissima hora est ; & 2. Petr. 3. Vnum ve-*
rò hoc non lateat vos charissimi , quia unus dies apud Dominum sicut mille
anni , & mille anni dies unus , &c. Hinc cùm loquitur Dominus in E-
 uangelio de reditu suo , solet ita loqui , quasi statim post ascensionem
 venturus sit ad iudicium , ut Lucæ 19. *Homo quidam nobilis abiit in re-*
gionem longinquam accipere sibi regnum , & reuerti , & cap. 12. Sint
sumbi vestri præcincti , & lucerna ardentes in manibus vestris , & vos simi-
les hominibus , expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptiis .

Et quò ego vado scitis .] Id est , scitis me ad Patrem & in cælum ire , &
qua via me sequi debeatis ; nec aduersantur his verba sequentia , Nesci-
mus quò vadis , &c. Sciebant enim habitu , & intelligebant , ut quis saepe
 à Domino audissent , sed tunc acta non intelligebant verba eius , & de
 qua abitione loqueretur , ideo dicunt , nescimus quò vadis . Ira etiam
 Petrus quæsierat cap. 13. *Domine quò vadis ?* Dixit autem hoc Christus ,
 ut eos excitaret ad interrogandum , & ita pleniū eos doceret , magis-
 que consolaretur . Sequitur in textu , *Ego sum via , veritas , & vita*

Chrysostomus

Ghylestom. homil. 72. ita exponit: *Ego sum via*, quia per me venietis ad Patrem, unde statim addit; *nemo venit ad Patrem, nisi per me*, mea gratia, & meis meritis adiutus: *veritas*, quia sine dubio hæc ita erunt, & in me non est mendacium: *Vita*, quia nec ipsa mors prohibere poterit ne ad me veniatis. Cyrillus ita: Tria sunt necessaria, ut cælestes mansiones consequamur, operatio virtutis, fides recta, spes vitae; & ideo Dominus dicit, *Ego sum via*, quia legem nobis dedit, & verbo, & exemplo docuit nos mundum contemnere, & sancte operari. Veritas est, quia ipse est rectissima regula fidei nostræ, & docuit nos veritates diuinæ. Vita est, quia vitam quam speramus, nemo nobis largiri potest nisi ipse. Ut hæc intelligamus, recordemur consuetudinis Scripturæ sanctæ, qua passim abstracta usurpatur pro suis concretis, interdum actiùe, interdum passiùe sumptis, & hic usurpatur pro concretis actiùe sumptis, vt i. Corinth. i. *Qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*, id est, Doctor, iustificator, sanctificator, redemptor noster: ita hæc intelligere debemus hæc nomina. Dominus igitur, vt cresceret Apostolorum spes, cum viderent se posse ire in locum in quo ipse esset, dixit, *Et quod ego vado scitis*; quasi dicat, ego vado ad Patrem in cælum, quod est sedes beatorum, dixi in eo multas esse mansiones, in quibus & vos esse possitis ostendi etiam sæpe viam, qua ad has mansiones eundum est, sed cum illi, & terminum, & viam dicerent se ignorare, responderet de via, qua ostensa facile terminus intelligitur; quasi diceret, ego sum via, quia doctrina, & exemplo doceo vos, quod ire debeatis, iuxta illud Isa. 30. & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tue audient verbum post tergum monentis, hæc est via ambulate in ea, &c. Sed quoniam sæpe fit illud Proph. 16. *Est via que videtur homini recta, & nonnulla eius ducent ad mortem*, addit, *ego sum veritas*, id est, in hac via quam ego doceo, nulla falsitas inueniri potest, rectissime, & sine ullo errore ducit ad cælum, iuxta illud Isa. 35. Et hoc erit vobis directa via, nā ut fulitus non erret per eam; non tales fuerunt viæ & Philosophorum doctrinæ, sed cum in initio magnam speciem haberent veritatis in progressu, tot habebant ambiguities, & errores, vt, vel eos, qui sibi sapientes videbantur, præcipitarent in mortem, addit etiam se esse vitam, vt ostendat qualis sit hæc via, quoniam non solum ubique est vera, & certa, numquamque aberrans a termino, sed etiam sola est, quæ ducat ad vitam. Nam cæteræ viæ, & doctrinæ, quantumvis magna pollueantur, quantumvis veri specie blandiantur, ducent homines ad mortem, est ergo, ac si diceret, Ego sum qui rectam viam vobis demonstro, qui vos omni mentis errore libero, qui ad veram vitam duco. Vnde omnia breuiter exponit, dicens, *Nemo venit ad Patrem, nisi per me.*

Sic cognouissetis me, &c.] Quoniam poterant fortasse Apostoli dicere, nō cognoscimus Patrem, ad quem te ire, & nos debere ire dicis, quia nū
aliquid

*Qua ad ce-
lestem man-
sionem con-
sequendam
necessaria,
ex Cyrillo.*

quā eum vidimus, atque ideo non possumus multum cupere, aut amare quod non cognoscimus; respondet Dominus, nihil vobis opus est ad hoc, Patrem vidisse, si me recte cognouissetis, etiam Patrem cognouis-seris, cuius ego sum naturalis similitudo. Hebræorum 1. *Qui cūm sit splendor gloria, & figura substantia eius, vbi pro figura substantia eius, in Græco est, χαρακτὴ τῆς ὑποστάσεως ἀντιτίθεται, quod optimè verti potest, impressio, sive imago perfectissimè expressa persona eius, totam personam Patris reddens, ut forma perfecta reddit eam quæ erat in sigillo; quasi dicat. Ego nihil aliud loquor, aut facio, nisi quod Pater meus, si carnem assumpsisset, loqueretur, aut faceret: ideo cūm me videtis, & auditis, ipsum à vobis audiri, & videri putate, ex his autem dictis, & factis meis potestis intelligere, quām bonus sit Pater meus, quām man-suetus, quantum vos amet, ex miraculis meis potestis cognoscere meam omnipotentiam, & me scire omnia, & habere in me omnia bona: ex quo intelligetis eadem similiter habere Patrem, & in eo vos veram omnium bonorum affluentiam habituros: & cūm hæc externa in tantorum bonorum cognitionem vos ducant, quid futurum putatis, si meam, & Patris essentialiam sine speculo, & ænigmate intueremini; ita-que non loquitur de cognitione essentiali, sed de ea quæ potest habe-ri in via.*

Et modo cognoscitis eum, & vidistis eum.] Ita, ut nos legimus, re-statur Chrysost. homil. 72. se legisse. Quare ita omnino legendum est, & est sensus, sed citò veniet in vos Spiritus sanctus, & incipietis mul-to perfectius cognoscere Patrem, quamvis non potestis dicere vos non vidisse eum. Nam cūm me vidistis, illum vidistis: quod melius postea intelligentis.

Ostende nobis Patrem.] Non penetrabat Philippus verba Domini, & ideo hoc petit.

Non credis quia ego in Patre, & Pater, &c.] Non credis me eandem cum Patre habere substantiam hæc verba sæpe iam exposuimus. Una persona non potest esse in alia, ita ut maneat ea ipsa, quæ est, nisi ha-beat eandem numero naturam, Pater est in filio manens Pater, & Fi-lius est in Patre manens filius, hoc ex operibus, & verbis meis potes intelligere, nihil enim loquor, aut facio, nisi quod Pater in me manens vult me loqui, & facere: immo verò ipsa opera, quæ ego facio, facit ipse, quod fieri non posset, nisi haberemus eandem virtutem operati-um, & eandem substantiam numero. Ne autem putes Patrem ita ma-nere in me, sicut in viris sanctis, de quibus postea dicam, ad eum ve-niemus, & apud eum mansionem faciemus; sed sicut in persona eiusdem substantiæ, & ita me operari, non ut Prophetæ operati sunt, ad-iuti virtute diuina, sed sicut eum, qui tenet habet eandem virtutem cum Patre, scito tantam esse meam potestatem, ut cūm ego fecerim mirabilia opera, quæ vidistis, possim dare, & datutus sim creditibus in me potestatem ut faciant adhuc mirabilia: hoc autem faciam, quoniam non versabor iam inter homines, nec videbunt me in terra mirabilia

mirabilia operantem ad gloriam Patris mei , & ideo fidelibus meis
hanc tantam virtutem concedam , vt cognoscant homines magis po-
tentiam meam quam ego . Saepē occultabam dum in terra viuerem , ne
putarent homines miracula illa esse phantasmatā , vt omnes glorifi-
cent Patrem , qui filium genuit tam præstantis naturæ , & potentia .
hōc quam verum sit , videmus , numquam enim Dominus umbra sua
sanauit agrotos , quod Petro dedit Act . 5 . nunquam montes translu-
lit , & tamen translulit Gregorius Neocæsariensis , qui dictus est Tau-
maturgus , id est , mirabilium effecto : tres mortuos suscitauit Domi-
nus , & suscitauerunt Apostoli innumeratos ; quod autem dicit , Et mai-
ora horum faciet , & Græcē locutus est pro maiora his , quod saepē facere
solent optimi interpres .

*Petere in
nomine
Christi
quid.*

Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo , hoc faciam . Cūn di-
xisset . Ad Patrem vado , & quodcumque petieritis in nomine meo , videba-
tur dicturus hoc , Pater vobis præstabit , & ita loqui solet saepē ; sed
quoniam nunc docere volebat Apostolos unam esse potentiam suam ,
& Patris , dixit , hoc faciam . Petere in nomine Christi est petere non
quasi nostris meritis debitum , sed quasi per Christi merita , & gratiam
donandum . quod quomodo intelligatur , & quomodo quodcumque
petimus in nomine Christi obtineatur , quoniam saepē repetitur , se-
mel explicabimus c . 16 . in illis verbis , si quid petieritis Patrem in nomine
meo , &c . Ceterūm hoc loco in quibusdam codicibus ponitur , Patrem ,
non est tamen in Græcis , quos modò habemus , nec apud Chry-
sostomum , & cæteros Græcos , nec apud Augustinum . est tamen
expresè apud Nonnum , & in multis libris Latinis , & ideo recte po-
ni potest .

Si quid petieritis .] Iterum hoc dicit ad maiorem confirmationem ,
& vt altius memoria retineant ; immo saepē repetit in hoc sermone ,
quoniam vehementer hæc spes consolabatur Apostolos , omnia se à
Deo obrenturos esse , atque ipsum Dominum suum esse , qui hæc erat
præstiturus à quo se multum arati sentiebant . In multis codicibus
legitur , si quid petieritis me , & certè valde probabiliter , vt sciant se
non solùm petere posse à Patre , sed etiam à filio ipso : & quamuis ex
Chrysostomo ; & Augustino non possimus colligere , tamen ex Cyril-
lo colligi potest eum ita legisse , ait enim : nam si orantes à filio petimus ,
& que petimus daturum se profitetur , &c . & quamuis hæc verba Non-
nus prætereat , & Chrysostomus , tamen non est dubium esse de veri-
tate Euangelij : nam à Cyrillo , & ab Augustino , & ab Euthymio ex-
ponuntur , & Theophylactus expresè notat , hæc secundò repeti .

Si diligitis me , mandata , mea fernate . Quoniam dixit in nomine suo
omnia ipsos imperaturos esse à Patre , nec dubium erat Apostolos ar-
dentius tunc esse optaturos Christo placere , vt sibi promissa illa cer-
tiora manerent ; & maiori amore prosequuturos , ideo aperit qua in
re possint sibi maximè gratificari , vt obtineant id quod promisit ; quasi

Ribera in Euang . Ioan .

Tt dicat ,

*In quo pla-
cere Deo
possimus .*

dicat, si mihi placere vultis & per me omnia obtinere, manda mea seruate.

Paracletus quid.

Et ego rogaro Patrem, &c. Addit aliam consolationis causam maximam, & efficacissimam, aduentum Spiritus sancti. Paracletus à verbo παρακαλέω, aduocatum significat, & consolatorem, & quidem consolatorem esse Spiritum sanctum facilè intelligitur, ideo enim mæstis discipulis promittitur tanquam vice Christi consolaturus eos, & propterea dixit, *alium*, quasi dicat, ego vos hactenus consolabar, deinceps etiamsi ego absim, ille vos consolabitur, & in omnibus laboribus solatium, & letitiam vobis præstabit. Quod autem Christus diceatur etiam Paracletus, docent D. Augustinus & D. Cyrillus hic, & probavit ex primo Ioan. 2. Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum nostrum, ubi pro aduocato, in Græco est παράκλητος quoniam Christus est aduocatus noster. Rom. 8. Qui sedet ad dexteram Patris, qui etiam interpellat pro nobis. Sed est in hac expositione dubium quomodo Spiritus sanctus possit dici παρακλητός, id est, aduocatus, nam Christus interpellat pro nobis quatenus homo, at hoc non conuenit Spiritui sancto. S. Thomas, & Iansenius c. 134. docet Spiritum sanctum dici aduocatum propter illud Rom. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: at cum iuxta communem Sanctorum expositionem sensus huius verbi postulat, sit, facit ut nos postulemus, non videtur ad rem pertinere, quoniam id aduocati nomine non intelligitur, aduocatus enim est qui alterius causam agit apud iudicem. Ut hoc intelligamus, sciendum est παρακαλέω propriè esse adhortari ad aliquid, orare, precibus pro alio interuenire: unde eleganter Euthymius exposuit, alium paracletum dabit, sive admonitionem, ac præceptorem in certaminibus virtutis, solatium ac subsidium in afflictionibus: recte igitur dicitur Spiritus sanctus paracletus, id est, consolator, recte etiam dicitur paracletus, id est, adhortator, quia interior illos roboretur, & incitat ad ardua opera pro Dei gloria suscipienda, & ad vincendum in certaminibus & temptationibus. Dicitur quoque paracletus, id est, aduocatus, non quod pro nobis oret, quod ipse non conuenit, sed quod nos doceat omnia quæ facere oportet, ut causam vincamus, & à iudice absoluamur, quod etiam est munus aduocati: & ad hoc pertinet quod facit, ut oremus, & postulemus necessaria, ut citatum est Rom. 8. Præterea cum dicit, *alium*, ostendit distinctionem personæ, at notant Augustinus, Cyrus, & Chrysostomus similiter in eodem nomine significatur identitas naturæ, ut ait Chrysostomus, quoniam cum dicit *alium*, subintelligitur qualis ipse sum, quoniam aliqui non esset magna consolatio. Quod autem dicit, *rogabo Patrem*, loquitur ut homo, quia enim oportebat ut Deus, & homo crederetur, nunc loquitur ut Deus, nunc ut homo; rogabit autem hoc c. 17. ut ibi videbimus.

Christus etiam Paracletus dicitur.

Spiritus S. quomodo dicitur Paracletus.

Aduocatus quis.

Paracleti

præsentia in

Ut maneat vobiscum in eternum.] Non erit eius præsentia temporalis,

vt aduentus meus in carne, sed perpetua, semper enim manet idem *perpetuum*.
Spiritus in Ecclesia.

Spiritus veritatis.] Veritatis, id est, filij, quia ipse dixit paulo ante, *Ego sum via, veritas, &c.* Chrysostomus, & Euthymius intelligunt spiritum veritatis dici spiritum noui Testamenti; vetus enim Testamentum dicitur figura, sive umbra: nouum autem dicitur veritas, ut c. primo exposuimus; quasi dicat, Spiritus ille, qui reseruatus est nouo Testamento, vobis dabitur; licet enim idem sit Spiritus quantum ad substantiam in utroque Testamento, non tamen est idem quantum ad copiam, & effusionem gratiarum, & quantum ad effectus quos operatur: unde Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum servituis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum:* sed, quod maximè ad rem pertinet, Spiritus veritatis dicitur, quia docet nos veritatis necessaria ad salutem, & liberat nos ab erroribus, patet ex c. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ille docebit vos omnem veritatem.* Pater etiam ex consuetudine locutionis scripture sacræ, spiritus enim sapientia, vel fortitudinis, vel pietatis dicitur, efficiens in nobis sapientiam vel fortitudinem, &c. Isai. 11. & in loco citato Rom. 8. Spiritus seruitutis dicitur, qui timore paenarum facit homines bene vivere, quod est seruorum, & spiritus adoptionis filiorum, qui amore potius, quam metu facit bene operari, quod est filiorum.

Quem mundus non potest accipere.] Id est, mundani homines, dum scilicet mundani sunt, & oblieti coelestium, voluptates saeculi sequuntur, ita enim dictum est, *quem mundus non potest accipere;* sicut dicitur Rom. 8. *Prudentia carnis inimica Deo est, legi enim non est subiecta, nec enim potest.* Scilicet dum prudentia carnis est, &, ut dicitur Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere,* &c. ita Augustinus.

Qui non videt eum, nec scit eum.] Non videt, quia non habet oculos mundos, quibus solis videtur iste spiritus, & cognoscitur eius dignitas; mundus enim habet oculos animi exacerbatos variis cupiditatibus; *nec scit eum,* id est, non amat eum, loquitur enim de cognitione, quæ includit affectum, quomodo saepè in Scriptura capi verbum *cognosco*, diximus c. 10. in illis verbis. *Et ego cognosco eas,* & sequitur me.

Quia apud vos manebit.] Id est, *vos cognoscetis & amabitis eum,* nec hanc cognitionem ex vestris meritis habebitis, sed ex ipsius presentia.

Non relinquam vos orphanos.] Quasi dicat, quoniam dixi Patrem missurum esse ad vos alium paracletum, nolite putare me à vobis perpetuè absutum, nam & ego veniam ad vos in consummatione saeculi; & tollam vos ad me, ut mecum perpetuè sitis. Quoniam autem filios appellauerat c. 13. merito dicit, *non relinquam vos orphanos,* id est, sine patre: verum non loquitur tantum

Veritas, filius.
Spiritus veritatis quis secundum Chrysost. Theoph. & Euthym.

Mundus pro hominibus mundanus.

Cognoscendi verbum.

Orphani qui.

de hoc extremo aduentu, sed etiam de aliis, ut ait Cyrillus, & in sequentibus verbis explicabimus, &c.

Duplici modo Dominus apparetur Apostoli post resurrectionem.

Aduis modicum, & mundus me iam non videret.] Duobus modis Apostoli viderunt Dominum post resurrectionem, primò corporaliter ipsis apparebat, & loquebatur; secundò spiritualiter, præbendo eis quotidie maiorem sui cognitionem, & maiora dona, consolandoque eos, & confirmando in periculis, & tentationibus. Præterea dicit, *Adhuc modicum, &c.* id est, citò non videbit me mundus, quia post resurrectionem, nec corporaliter veniam ad illum, nec spiritualiter, cum in mundanis habitare non possim: vos autem utroque modo me videbitis, primo corporaliter, deinde spiritualiter, quia sicut ego viuo post resurrectionem, ita & vos viuetis liberati à morte spirituali, tunc perfectius me cognoscetis, & intelligetis melius identitatem substantiae, quam habeo cum Patre, & inter me, & vos erit maxima unitas, & identitas per gratiam. Dixi, in illo die vos habituros perfectiorem cognitionem, quoniam ego diligentibus me manifesto meis: quod si hoc obtinere vultis, seruate mandata mea, non enim me diligit nisi qui seruat mandata mea: ideo mundus me non videbit, quia non diligit me, nec seruat mea mandata: & hoc est quod respondet Iudæo quareanti cur se manifestatus sit Apostolis, non autem mundo; quia si dicat, hoc signo seruandi mandata volo cognoscere quantum me ametis, non dolere quem de recessu meo cepistis; non enim dolere debebatis de meo recessu si me vere diligretis, sed potius gaudere, amans enim potius spectat bonum amati, quam suum: & hoc est quod dicit postea, *si diligenteris me, gauderetis utique quia vado ad Patrem, scilicet vitam immortalem, & regnum æternum semper habiturus.*

Sed eius qui misit me Patris.] Quasi dicat, & ideo non potest diligere a Patre, qui mandata mea non seruat.

Hec locutus sum vobis, apud vos manens.] Quoniam Apostoli crassi adhuc, & præterea dolore turbati multa ex verbis Domini parum intelligebant, ait, hæc modò loquor vobis, nec amplius expono, quoniam nondum bene capere potestis, veniet Spiritus sanctus, ille erit meus interpres, & exponet vobis omnia, quæ dixi, & quæ dicam, quæ vos minus intellexistis. & præterea non efficiunt in vobis eam consolationem quam deberent, ille etiam suggeret, id est, in memoriam vobis reducit omnia, quæ dixi, ne memoriæ excidantur. ita Cyrillus quod satis indicat verbum Græcum quod ponitur, vbi nos habemus suggeret: quod autem dicit, *in nomine meo*, est ac si diceret, virtute, & efficientia mea; id est, ego faciam ut mittat, propter me mittet.

Pacem, relinquo vobis.] Altera causa consolationis est, quod semper sint habituri consolationem Christi, & eam eis relinquit, & donat. Pax haec continet amicitiam cum Deo, tranquillitatem, & securitatem ab initio in persecutionibus, & tentationibus, mutuam.

Non incepit non invenit: esse que sibi transiit. *Apostolus*

Apostolorum inter se concordiam, qua coniuncti, & in unum redacti fortiores erunt omnibus aduersariis: de hac pace dicitur Phillipen. 4. Pax Dei, qua exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras in Christo Iesu; & Psal. 71. Orientur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis; & Isa. 57. Non est pax impiis, dicit Dominus. Hanc pacem vocat suam, quoniam nisi per Christum haberi non potest. Augustinus tract. 57. dicit illud pronomen meam, posse ad utrumque membra referri, ac si diceret, pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis; aut posse ita intelligi, pacem relinquo vobis, quoniam dum hic vivimus, habemus quidem pacem à Christo, sed non pacem Christi, id est, qualem haberet Christus: nam in Christo omnia erant pacifica, & appetitus perfecte subditus rationi, & ratio Deo: nos autem, ita pacem habemus, ut tamen caro concupiscat aduersus spiritum, & necessè habeamus dicere, Dimitte nobis debita nostra. Si igitur nunc habemus pacem, quam relinquit, postea habebimus pacem quam daturus est, cum perfectè sanabimur in gloria.

Nou quomodo mundus dat.] Mundus non dat pacem veram iustis, & stabilem, sed fictam, & caducam, amat enim comoda sua, & illa tantum expectat, castos odit, mea pax est stabilis, & vera, & ideo illam vobis do, ut per illam salvi efficiamini. Hoc exponit oratio Ecclesie. Da seruis tuis illam, quam mundus dare non potest pacem, vt & corda nostra mandatis tuis dedita, &c. quasi dicat hæc mea pax multo præstantior est pace, & tranquillitate, quam mundus vobis dare nō potest, nā eti mundus vobis daret omnia quæ potest, non posset vobis efficere hanc tranquillitatem, & requiem mentis, & hanc lætitiam, quam ego per Spiritum sanctum efficiam in vobis, vnde ponitur inter fructus spiritus Gal. 5. Fructus autem spiritus charitas, gaudium, pax, &c.

Non turbetur cor vestrum.] Verbum illud, relinquo, discedentis est, & ideo rursus eos consolatur, ne doleatis, ne timeatis, me discedente, cùm pacem meam vobis relinquam, iam enim dixi vobis. Vado, & venio ad vos, id est, licet modò vadam, non multo post redibo.

Si diligenteris me.] Hæc verba exposuimus cap. 13. vbi ait, vt transierat ex hoc mundo ad Patrem. & i in hoc cap. vbi ait, Adhuc modicum, & mundus me iam non videt.

Credatis.] Scilicet me vt Deum omnia prænoscere, & omnia ita esse euentura vt ego dixi.

Venit enim Princeps mundi buins.] Id est, venit diabolus per suos satellites ad me comprehendendum, & occidendum exercebit potestatem datum in me, vt Luc. 22. Sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum. Principem mundi vocat diabolum, quoniam mundani homines ei se voluntate sua subiecere peccando, vt exposuimus cap. 8. in illis verbis, Omnis qui facit peccatum, serius est peccati.

Et in me non habet quicquam.] Id est, ego nulla ratione ei subiector, quoniam omnino alienus sum ab eius potestate; quoniam nullum peccatum habeo, sed ego voluntate mea patiar, quidquid ille per mi-

Princeps
mundi cur
dictus dia-
bolus.

nistros suos facere voler, vt doceam omnes homines quantum diligo Patrem meum, pro cuius gloria, & obedientia non recuso mortem pati, sicut ipse mihi mandauit. Quomodo hoc mandatum intelligatur diximus cap. 10. in illis verbis. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.*

Surgite, eamus hinc.] Cyrilus dicit tritram esse expositionem, quam probare ipse videtur, Dominum hinc transisse ad locum, in quo comprehensus est à Iudæis: ita etiam intellexit Hilarius 9. de Trinitate, & Augustinus, & Beda, & multi alij. Sed videtur planè hic sensus pugnare cum verbis cap. 18. *Hæc cùm dixisset, egressus est Iesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron.* Iansen. cap. 134. putat Dominum in eadem domo fuisse, sed surrexisse, tantummodo quoniam usque ad hæc verba recubuerat, itaque stans habuit reliquam concessionem: sed ad hoc satis erat dicere, *surgite, & non erat necesse addere, eamus hinc.* Quare mihi videtur sine dubio intelligendus locus, vt exponitur à Chrysostomo homil. 75. quem sequuntur Euthymius, & Lyra, videlicet Dominum inde secessisse in alium locum tuiorem, & secretiorem, vt Apostoli, qui timore turbabantur, conquiescerent, & attentius possent audire quæ sequuntur. Iste locus quis fuerit, nobis non constat, sed siue in eadem domo fuerit, siue in alia, siue fortè extra urbem, surrexit tamen, & exitus è loco in quo pedes lauerat, non enim aliud dicere potuit, & aliud facere.

SANCTVM

S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T X V .

1. G O sum vitis vera : & Pater meus agricola est.
 2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum,
 tollet eum : & omnem qui fert fructum , purgabit
 eum , ut fructum plus afferat. 3. Iam vos mundi
 estis propter sermonem , quem locutus sum vobis. 4. Manete in me ,
 & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso ,
 nisi manserit in vite : sic nec vos , nisi in me manseritis. 5. Ego sum
 vitis , vos palmites : qui manet in me , & ego in eo , hic fert fructum
 multum : quia sine me nihil potestis facere. 6. Si quis in me non
 manserit : mittetur foras sicut palmes , & arsctet , & colligent eum ,
 & in ignem mittent , & ardet. 7. Si manseritis in me , & verba mea
 in vobis manserint : quodcumque volueritis petetis , & fieri vobis. 8.
 In hoc clarificatus est Pater meus , ut fructum plurimum afferatis , &
 efficiamini mei discipuli. 9. Sicut dilexit me Pater , & ego dilexi vos .
 Manete in dilectione mea. 10. Si precepta mea seruaueritis , manebi-
 tis in dilectione mea , sicut & ego Patris mei precepta seruauit , & ma-
 neo in eius dilectione. 11. Hac locutus sum vobis , ut gaudium meum
 in vobis sit , & gaudium vestrum impleatur. 12. Hoc est preceptum
 meum , ut diligatis inuicem , sicut dilexi vos. 13. Maiorem hac dile-
 ctionem nemo habet , ut animam suam , ponat quis pro amicis suis.
 14. Vos amici mei estis , si feceritis , quæ ego præcipio vobis. 15.
 Iam non dicam vos seruos : quia seruus nescit quid faciat domi-
 nus eius. Vos autem dixi amicos : quia omnia quæcumque audiui à Patre meo , nota feci vobis. 16. Non vos me elegistis
 sed ego elegi vos , & posui vos ut catis , & fructum afferatis ; &
 fructus vester maneat : ut quodcumque petieritis Patrem in nomine
 meo , det vobis. 17. Hæc mando vobis , ut diligatis inuicem. 18. Si
 mundus vos odit , scitote quia me priorem vobis odio habuit. 19. Si
 de mundo fuissetis , mundus quod suum erat diligenter : quia vero de
 mundo

mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. 20. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruancerunt, & vestrum seruabunt. 21. Sed haec omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me. 12. Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. 23. Qui me odit: & Patrem meum odit. 24. Si opera non fecisset in eis, quae nemo aliis fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt & me, & Patrem meum. 25. Sed ut adimplatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. 26. Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: 27. Et vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

IN CAPVT XV. S A N C T I
IESV CHRISTI EVANGELII
SECVNDVM IOANNEM,
COMMENTARIA.

*Parabola
Syria & Pa-
lestina ma-
xime fan-
tiæ.*

EGO sum vitis vera.] Dominus (vt in Euangeliis vidimus) & etiam Prophetæ, assidue parabolis, & similitudinibus vtebantur, quoniam, vt ait Hieronymus Matth. 18. in illis verbis, Ideo assimilatum est regnum calorum homini regi; Familiare est Syria, & maximè Palestinæ ad omnem sermonem suum parabolas iungere, vt quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non potest, per similitudinem exemplaque teneatur. His parabolis, & omnibus figuris, & similitudinibus rerum corporearum vtitur Spiritus sanctus cum de inuisibilibus loquitur, quam scribendi rationem Dionysius vocat saepe Theologiam symbolicam, siue significatiuam, idque duabus maximè causis, vt author est idem Dionysius cap. 1. de cœlest. Hierarch. & in epistola 9. ad Titum. Prior est, vt superbos & indigños arceat à tantorum mysteriorum cognitione, ne sanctum detur canibus, & Margaritæ mittantur ante porcos, quod prohibuit Dominus Matth. 7. Similique ut studiosos rerum diuinarum excitet ad inquirendum, & intelligendum, quod cum inuenitur, magis delectat, & maioris sit, & si aperitum esset, fortasse fastidium pareret, vt eleganter doceat

docet Augustinus 2. de Doctr. Chrysost. cap. 6. Posterior causa est, ut per similitudines rerum notarum nobis, prouochamur in rerum, spiritualium, & inuisibilium intelligentiam, ut etiam ait Gregorius in prologo Canticorum. Hinc fit duplex genus parabolarum, & usus eorum. Quedam sunt huiusmodi, ut sine interprete, aut vix, aut nullo modo intelligi possint: has adhibet Dominus, cum loquitur multitudini, in qua erant Pharisæi, & multi indigni, atque superbii, etiam si adsint Apostoli, sed Apostolis seorsum explicat, & hoc est quod ait Matth. 13. Quare in parabolis loqueris eis? qui respondens ait illis, Quia vobis datum est nosse mysteria regni calorum, illis autem non est datum, & Statim, ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt, id est, quia laborant ignorantia affectata, & nolunt intelligere res apertissimas, ideo indigni sunt quibus aliter loquar. Aliæ sunt, quæ expositione non indigent, aut statim ab ipso Domino exponuntur, has adhibet cum loquitur solis Apostolis, ut Matth. 13. Simile est regnum calorum sacerdotis missæ in mare, &c. statim hanc parabolam Dominus interpretatur, huiusmodi est parabola vitiis, & palmitum, quam nunc proponit.

Duplex pa-
rabolarum
genus.

Ego sum vitis vera.] Sensus, qui primo aspectu videtur, germanissimus est, in me verissime, & propriissime conueniunt omnes qualitates, & proprietates vitis: at Augustinus tract. 80. & Beda, & Interlinearis, & alij volunt dici vera, ut distinguatur à vitibus vineæ, quæ significat domum Israël, cui dictum est Hierem. 2. Ego te plantavi vineam electam, omne semen verum, quomodo ergo conuersa est mihi in prauum vinea aliena? quasi dicat, istæ vites sunt falsæ, quoniam expectauit Dominus, ut vinea ista faceret vuas, & fecit labruscas, Isa. 5. cum autem ex fructu iudicetur arbor, ut Dominus ait Matth. 7. non potest vera vitis dici, quæ vuas non fert, & ideo ait, Ego sum vitis vera, id est, ego non sum sicut illæ vites falsæ, sed vitis vera, vuas optimas ferens in me, & in palmitibus meis viuis. Hæc sententia verior est, & ut intelligatur, sciendum est in istis verbis, vitis vera, duplē articulū poni in Græco, qui articuli minime erant necessarij, si esset sensus, mihi verissime conueniunt proprietates vitis, cum autem articuli ponantur demonstrationis, & distinctionis causa, sicut litera π, apud Hebræos, quæ ideo dicitur π, notificationis necessarij videtur aliter intelligendum, ut scilicet dicatur vitis cum articulo, ut distinguatur ab illis, quæ vites esse videbantur, sed non erant, & dicatur vera cum articulo, ut distinguatur ab illis, quæ vero videbantur cum essent falsæ, & pro vuis ferrent labruscas; ostendunt etiam articuli vitæ aliquam insignem indicatam in Scriptura, aut promissam, ad quam modò Dominus alludat: ut cum dixit Ioan. 10. Ego sum pastor bonus, ubi etiam est duplex articulus, est sensus, sum non quicumque pastor, sed ille insignis pastor, qui promissus est Ezech. 34. Alludit igitur Dominus primùm ad vites illas falsas Hierem. 2. & ubi

Ribera in Evangel. Ioan.

V u nos

ubs habemus ibi, vineam electam, & L X X. vineam fructiferam, sive zitem; utrumque enim significat verbum Græcum, ἀπειλθ, in Hebræo est, πνευ, fores; & ubi nos habemus, omne semen verum, sicut est in Hebræo, L X X. habent, totam veram, id est, nullam vitem plantati in te, quæ non esset vera, & ideo Dominus ait, *Ego sum vitis illa vera*, longe ipsis dissimilis. Præterea Genes. 49. scriptum est de Christo, ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, aſnam ſuam: pro vinea ponitur in Hebræo πνευ quod licet vitem frequentiflum significet, etiam significat vineam, ut Psal. 79. Vineam de Aegypto transtulisti: pro vite autem est in Hebræo πνευ, & est ſenſus, ad vineam, id est, ad populum Iudæorum, nempe ad Apostolos, & primos credentes ex Iudæis, adiunget pullum, id est, populum gentium, & ad πνευ fores, id est, ad ſe qui eft vitis vera, ſive fructifera, vt diximus vertisse L X X. aſnam ſuam alligabit, id eft, populum Iudæorum, iſti enim duo populi intelliguntur in his duobus animalibus, vt expoſuimus cap. 12. ita ferme exponunt hunc locum Chrysostomus 67. homil. in Gen. Hieronymus in traditionibus Hebræ. in Gen. Ambrosius lib. de bened. Patriarcharum c. 4. Augustinus lib. de benedictionibus filiorum Iacob, & meritò: nam Christus per ſe prædicauit Iudæis, & conuertit multos; Gentibus autem prædicauit per Apostolos: quoniam igitur ibi vocatus fuerat vitis, nunc ad eundem locum alludens ait, *Ego sum vitis illa vera*, id eft, πνευ, ſive fructifera, vel electa.

Pater cur
dicitus A-
gricola.

Et Pater mens agricola eft.] Agricola dicitur Pater, quoniam palmites huius vitis, id eft, Chryſtianos omnes colit putando, abſcindendo, rigando, & cetera omnia præſtando, quæ agricultoræ ſunt, vt ſtatiſ docet. Ex hoc loco nitebantur Arriani probare filium non eſſe eiusdem ſubſtantia cum Patre, quoniam vitis diuersæ naturæ eſt ab agricultor, quos refellit Cyriſſus, & Ambrosius lib. 4. de fide cap. viſtimo, docens haec non dici de Christo ſecundum diuinam naturam, ſed ſecundum humanam, in qua nobis, qui palmites ſumus, coniubitalis eſt; ſicut vitis, & palmites ſunt eiusdem naturæ, quod etiam affirmat Augustinus & eſt communis ſententia Catholicorum: nam ſi ſecundum diuinam naturam diceretur vitis, ſequeretur nos eſſe coniubitiales illi in diuinitate quam habet.

Quare Do-
minus ſer-
vē dixerit.

Sed queritur cur potius vitem ſe eſſe dixerit, quām arborem aliquam, aut fruticem, quandoquidem omnibus arboribus communis eſt ramos habere, quibus ſtripes vitam, & alimentum largiuntur. Respondetur primò propter mirabilem vitis fecunditatem, vnde Psal. 127. *Vxor tua ſicut vitis abundans*, &c. Secundò, propter utilitatem, & ſuavitatem fructus, & celeritatem in crescentio. Tertiò, quia cum arborum omnium ligna arida ad aliquid prodeſſe poſſint, ligna vitis arida niſi ad ignem utilia non ſunt.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum.] In Græco legitur modò tollit, in præsenti, & ita videntur legiſſe Cyrilus Theophylactus, & Euthymius: sed optimè legitur tollit, vt est in textu Chrysostomi homil. 75. & ita legit Nonnus & Gregor. lib. 7. epistoliarum epist. 32. Est autem sensus, omniem hominem, qui est in me, & pars est mei corporis, sicut palmes est in vite, id est, qui est intra Ecclesiam per fidem, quam habet, & tamen non fert fructum bonorum operum, per charitatem; Pater meus abscondet eum ex vite, relinquendo eum in peccatis suis, interdum etiam permittendo, vt ex Ecclesia exeat per infidelitatem. 1. Timoth. 1. *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Denique per mortem poenis inferni tradetur, vt postea exponitur, *Si quis in me non manserit, mutetur foras, &c.* ita Chrysostomus, Cyrilus, & alij. Theophylactus exponit, tollit eum, id est, extra communionem ponit cum filio. quod magis exponemus in illis verbis, *Manete in me, & ego in vobis.* Sed notandum est illud verbum, *in me, habere magnam emphasis, quoniam turpissimum est in tali vite manentem non ferre fructum.* His paucis verbis multæ hæreses ingulantur. Prima est Eunomij, qui omnia opera inutilia esse dicebat, & minimè necessaria, modò quis haberet fidem, quam ipse dicebat, vt refert Augustinus lib. de hæref. cap. 54. quam imitatus est Lutherus, dicens fidem sine operibus satis esse ad salutem, qui damnatus est in Tridentino, sessione 6. cap. 3. & sequentibus & can. 19. Secunda est Begardorum & Beguinarum, damnata à Clement. 5. in Conc. Vien. vt patet in Clem. ad nostrum de hæret. superuacanea esse opera, cùm quis ad statum perfectionis venit: vtramque refellit Dominus cùm docet, sine exceptione vlla damnandos esse omnes fideles, qui opera non habuerint, de qua re elegantissimè loquitur Cyrilus lib. 10. in Ioan. cap. 14. Tertia fuit eiusdem Lutheri damnata in Concilio Tridentino, sessione 6. can. 25. omnia opera nostra peccata esse, propterea quod ex innata concupiscentia emanant, nec fiunt in charitate perfecta: si enim hoc verum esset, non esset poena dignus, qui fructuosa opera non haberet, immo nullus posset ferre fructum.

Quarta per quodlibet peccatum mortale fidem amitti, damnatam ibidem can. 28. nam hic loquitur Dominus de manente intra Ecclesiam per fidem, sed charitatem non habente; qui autem fidem amisit, extra Christum, & extra Ecclesiam est. Quod autem dicit, tollit eum, phrasis Hebræorum est, qui solent eundem casum bis ponere cum uno verbo, vt Psal. 104. *Misit Moysē seruum suum Aaron, quem elegit ipsum;* & hic, omnem, qui fert fructum, purgabit eum.

Pargabit eum.] Scilicet calamitatibus, & laboribus, & inopia, &c. vt à terrenis rebus auocatus toto corde ascendat in Deum; quemadmodum

Eunomij
hæretis.

Item Be-
gardorum,
& Begui-
narum.

Hæretis Lu-
theri.

agricolæ putant vites, & superflua resecant, ut plus fructifcent: ita Chrysostomus homil. 75. Augustinus, Theophylactus, Euthymius, & Gregorius epistola citata: in qua etiam addit, sic spicarum grana tribulis attrita aristis, & paleis nudantur, sic pressæ oliuæ prælo in olei pinguedinæ destiunt; sic botti vinearum tunsi calcibus in vinum liquefcent. & hoc est quod apertius ait Dominus Apoc. 3. *Ego quos amo arguo, & castigo;* & Prov. 3. *Disciplinam Domini, fili mi, ne abiicias;* & latius Apostolus Hebræ. 12. Atque hic est communis huius loci sensus; sed accuratius explicabitur in verbis sequentibus, *iam vos mundi estis.* Putat etiam Cyrus aliter intelligi posse, ut palmes in fructuosis sit populus Iudeorum, qui propter infidelitatem suam excisus est; palmes autem fructuosus sint fideles, tam ex Iudeis, quam ex Gentibus, quos purgat Pater, sed diuersimodè: nam Iudeis Moseyæ legis ruditas tollitur, Gentibus impuritas morum, & idolatriæ voluntas. Sed videtur non admodum conuenire iste sensus, Christus enim loquitur de iis, qui per fidem membra eius effecti fuerant: Iudei autem, qui crediderant, non sunt excisi, sed qui nunquam crediderunt.

Iam vos mundi estis.] Hæc verba non videntur ad præcedentia pertinere, sed pertinent tamen multum: est enim sensus, vos per sermonem meum quem audistis, & cui obedistis, effecti estis membra mea, & estis palmites huius vitis purgati à peccatis, in quibus eratis antequam ad me conuerteremini. Hoc nunc restat, ut fructum semper feratis, ne excidamini à vite, & hoc est quod subdit, *Manete in me, & ego in vobis.* Quasi dicat, & ita non excidemini. Quærit hic Augustinus tract. 80. *Quare non dicit: iam vos mundi estis propter Baptismum quo loki estis, sed propter verbum?* & respondet, *quia etiam in aqua Baptismi verbum Dei est quod mundat, detrahe verbum, & quid est aqua nisi aqua: accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Ex quibus verbis desumptum est cap. Detrahe 1. quæst. 1. adducit illud Ephes. 5. mundans eam lacro aquæ in verbo vite: itaque intelligentium est, mundi estis, non per fidem solam, sed per fidei sacramentum, & per fidem quam professi estis per Baptismum: atque hunc esse sensum horum verborum, *Iam vos mundi estis, &c.* aperte constat, quoniam hinc incipit explicare parabolam, & refert ea quæ dixerat ad Apostolos. Ex his rursus patet illa verba, *purgabit eum,* non esse dicta potissimum de tribulationibus, sed ita esse intelligentia, *purgabit eum,* id est, per uberiorum gratiam emundabit magis, ac magis animas iustorum ab amore rerum terrenarum, & ab inordinatis affectibus, ut indies puriores sint; ita proslus intellexit Cyrus, & de hac purgatione expouit illud Rom. 2. *Et circumcisio cordis non in litera, sed in spiritu.* Docet hoc experientia, quo enim quisque magis proficit, eo magis expetit animæ puritatem, acrius pugnat cum suis affectibus, ut abiecto amore creaturarum totus fecatur in creatorem:

hoc

*Palmites
infructuosi
& fructuosi
qui, ex Cy-
rillo.*

hoc colligo ex verbis, *Iam vos mundi estis*, &c. quibus parabolam ad Apostolos accommodans, docet eos non solum esse palmites, sed etiam fructuosos palmites esse debere; atque ita intellectissime sanctos, patet ex Chrysostomo, Cyrillo, Augustino, Theophylacto, Euthymio, & aliis qui adnotant his verbis, *Iam vos mundi estis*, Dominum velle ostendere se, etiamsi vitis sit, quatenus homo, tamen etiam esse agricolam, ut Patrem suum, atque idem facere quod facit ille, nam sicut Pater purgat palmites, ita ipsi Christus sermone suo purgabit Apostolos. hoc etsi in nostra translatione perspicuum est, cum idem sit purgare, & mundare, tamen adhuc est in Graeco aperius: nam virtutur eodem vocabulo, siquidem vbi nos habemus, *purgabit*, in Graeco est, καθαιρει, & postea vbi habemus mundi, legitur καθασαι, quod est nomen ab eodem verbo deductum. quasi diceret, *purgari*. Quare non negamus metaphoram sumi a putatore vitis, sed dicimus hanc purgationem fieri abscindendo ex anima peccata, & inordinatas cupiditates, etiamsi quis ex rebus externis nihil amittat: pertinet tamen ad amputationem pecuniae, salutis, honoris, &c. quatenus his amputatis solet amor terrenorum valde minui, & anima magis purgari: & ita intelligit Cyrillus, si attentè legatur. Sed querat aliquis, si mundi erant Apostoli, quia in Christo fructum ferebant, quomodo dicit, omnem, qui fert fructum purgabit eum: nam iuxta Domini verba, purgatio non videtur esse palmitum; qui sunt extra vitem, sed eorum tantum, qui ferunt in vite fructum. Respondetur vtrorumque esse, mundantur enim a peccatorum sordibus, & a cupiditatibus saeculi, ut viti inferantur per Baptismum, & ideo tunc respondent se abrenunciare satanae, & pompis eius, & postquam inserti sunt, & fructum ferunt, purgantur in agris, ut vberiorem ferant. Hæc responsio colligitur ex Augustino. *Iam, inquit, vos mundi estis, mundi scilicet, atque mundandi, neque enim nisi mundi essent, fructum ferre potuissent, & tamen omnem, qui fert fructum, purgat agricola, ut fructum plus afferat.*

Manete in me, & ego in vobis.] Id est, date semper operam, ut & vos in me maneat, & ego in vobis: ille, qui habet fidem, quodammodo manet in Christo, quandoquidem extra vitem non est, sed imperfectè manet. Christus autem loquitur de perfecta, & fructuosa mansione, quæ fit per charitatem, & bona opera, & ideo, qui ira non manet, non dicitur manere in Christo: Est enim notanda regula, quando Scriptura loquitur de actibus, qui fructuosè, & infrafructuosè fieri possunt, semper intelligenda est de illis fructuosè factis, nisi aliquid addatur, vnde aliter intelligi debeat: vnde si infrafructuosè fiant, vix illos suo nomine dignatur. hoc de actu credendi ostendimus c. 5. in fine. Inde Iacobi secundo. *Fides sine operibus mortua est in semetipsa.* & Matth. 3. & 4. *Penitentiam agite, appropinquauit enim regnum celorum.* & c. 25. *Esi rui enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ita intellegitur in hoc c. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione*

mea multi enim seruant præcepta qui non manent in dilectione Christi , quia seruant tantum ea , quantum ad substantiam , ita etiam dicit modò , manete in me . & Psalm. 118. benedictus es Domine , doce me iustificationes tuas . exponit Augustinus , Doce me iustificationes tuas , quomodo sciunt , qui faciunt . Quòd autem hoc sit manere in Christo , & Christum manere in nobis , intelligimus ex eiusdem Euangelistæ verbis in prima epistola c. 2. qui dicit se in ipso manere , debet , sicut ille ambulauit , & ipse ambulare ; & c. 3. Et qui seruat mandata eius , in illo manet , & ipse in eo . & denique c. 4. Qui manet in charitate , in Deo manet , & Deus in eo . Gregor. in expositione 6. Psalm. penitentialis , in illis verbis , Sustinuit anima mea in verbo eius , ita ait : Vbi manendum est nisi in Christo . deficient domus , palatia corruent , destrucentur ciuitates ab imis sedibus , turres euellentur , cælum & terra transibunt , verbum autem Domini manet in eternum : maneamus ergo in eo , qui manet in eternum .

Qui manet in me , & ego in eo .] Id est , qui ita in me manet , vt ego etiam maneam in eo .

Hic non
quam ex-
cludit in
Scriptura.

Hic fert fructum multum .] Pronomen hic , aliquando ponitur in Scriptura ad excludendum cæteros , vt Iacobi primo . Qui autem perficerit in lege perfectæ libertatis , & permanerit in ea , non auditor obliniosus factus , sed factor operis , hic beatus in facto suo erit . Psalm. 100. Oculi mei ad fideles terra , vt sedeant mecum , ambulans in via immaculata , hic mihi ministrabat . Et Ecclesiast. 12. Deum time , & mandata eius obserua , hoc est omnis homo , id est , & nihil aliud . Ita modò , hic fert fructum multum , id est , nemo alias præter hunc fert fructum . Ex his verbis , & sequentibus conuincitur apertè hæresis Pelagianorum , damnata in Conciliis Mileuitano , & Atrausiano , qui dicebant : A Deo habemus , quòd homines simus ; sed à nobis , quòd iusti simus . quos Augustinus tract. 21. vocat non assertores , sed precipitatores liberi arbitrij , & aduersus eos ita concludit : Qui à semetipso se ferre fructum existimat , in vite non est , qui in vite non est , in Christo non est , qui in Christo non est , Christianus non est .

Quia sine me nihil potestis facere .] Verba per se sumpta tam de generali auxilio , quam de speciali intelligi possunt ; sed si considerentur in contextu , nullo modo intelligi possunt de generali , sed de speciali , alioqui nihil ex eis posset concludi aduersus Pelagianos , qui generale auxilium necessarium esse non negabant : semper autem Ecclesia vfa est hoc telo aduersus Pelagianos . patet etiam apertè , quoniam Dominus non loquitur modò de operibus naturalibus , sed de fructuosis , id est , de operibus meritoriis , quare de speciali auxilio loquitur . ita explicat S. Thomas , Cyrillus , Chrysostomus homil. 75. Rupertus , Bernardus homil. 54. in Cant. Augustinus tractatu 81. & lib. de Spiritu , & litera c. 29. & lib. primo de gratia Christi contra Pelagium c. 29. & lib. 2. contra duas epistolas Pelagian. c. 8. & lib. de hæresibus

c. 88. immo Concil. Mileuit. c. 5. quod & refertur de consecr. d.
4. c. placuit, ut quicunque, ita habet; de fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, ubi non ait, sine me difficulter potestis facere, sed, sine me nihil potestis facere. eadem verba sunt in Concil. Afric. sub Bonif. I. c. 80. & in prima epistola Cælestini I. ad Episcopos Galliæ.

c. 10.

Sed queritur, an hic locus, sicut manifestè probat, non posse fieri viribus naturæ opus fructuosum, probet etiam eum, qui per gratiam est eleuatus adesse supernaturale, indigere speciali auxilio ad operandum fructuose: videtur enim tantum probare necessariam esse gratiam, ut elevetur ad esse supernaturale. Respondetur probari utrumque, ut ex proposita similitudine intelligitur, non enim satis est palmiti esse in vite, ut fructum ferat, sed necesse habet succum illum vi-

talem ex vite sugere, alioqui aresceret.

Sed queretur iterum, an ita debeat intelligi, ad singula opera meritoria, etiam minima, necessarium esse auxilium spirituale; possit aliquis dicere minimè id ex hoc loco probari, quoniam non semper palmes vite indiget, posset enim per exiguum tempus fructum facere succo eo, quem habet in se, etiamsi nouum ex vite non sugeret; ita, qui est in gratia, &c. Mihi videtur etiam hoc valde probabiliter colligi ex his verbis, quod etiam placuisse video doctissimo Magistro Medinae in commentariis 12. quæstione 109. art. 9. patet ex verbis Augustini tract. 8 t. non ait, quia sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere: siue ergo parum, siue multum sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest. & statim ait palmitum nullum fructum prorsus magnum aut parvum ferre posse, nisi manserit in vite, & vixerit de radice. Duo ergo sunt necessaria ad quemlibet actum meritorium, & naturam sanatam esse per gratiam, & auxilium speciale adesse, quo homo moueat ad operandum sicut palmiti, ut ferat fructum quemlibet, necessarium est esse in vite, & præterea ab ea alimentum, & virtutem accipere. Secundò probatur, quoniam Dominus non loquitur nisi de manentibus in se per gratiam, & hos dicit sine se nihil posse facere. Tertiò probatur, quoniam Concilium Mileuitanum loco citato loquitur de gratia, qua natura sanatur, ut patet ex eius verbis, placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis gratiam iustificationis dari, &c. Deinde Concil. secundum Arausic. c. 7. manifestè loquitur de auxilio actuali, cum ait, Qui dixerit nos posse bonum aliquod quod ad salutem pertineat vita aeterna per naturam vigorem cogitare, aut eligere, aut Euangelij predicationi credere absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo veritati, heretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Euangelio, dicentis: sine me nihil potestis facere. & quomodo hoc intelligat, videtur exponere c. 9. dicens: Divini est muneric, cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate, & iniustitia tenemus, quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur operatur.

*Ad actum
meritorium que
requiruntur.*

Si quis in me non manserit, mittetur foras.] Docet mala quæ imminent non manentibus in se per charitatem, ut magis & moueat. *Mittetur foras*, hoc sœpe fit, vt iam diximus, cùm amissa fide omnino exit ex Ecclesia: Verum etiam si fidem non amittat, separatur, & cœlitur foras inuisibiliter, quia non vivificatur spiritu, quo viuit corpus Ecclesie, nec accipit influxum gratiae. Hoc autem dupliciter contingit, primò cùm quis mortaliter peccat, sed iterum tamen in amicitiam Dei reuersurus est. Secundò, cùm incidit in peccatum mortale, vnde extitur non est, & Deus decrevit firmiter non dare illis auxilium, quo efficaciter exeat, licet nunquam neget sufficiens, & de hoc secundo loquitur Dominus potissimum, vt ex eius verbis patet: *arescit, & colligent eum, &c.* hoc enim est propriè mitti foras, quando Deus ita decrevit, quia iam nihil illi prodest ad vitam æternam, aut ad fructum faciendum manere in radice, & Dominus loquitur de mansione fructuosa, vt diximus. *Tunc arescit, id est, quo diutius in hoc miserabili statu vixerit, eo magis, magisque igni aptus redditur, quia semper plura peccata committit, vt palmes excisus dum magis arescit aptior igni efficitur, deinde in ignem mittent.* Ex quo patet quām aptè similitudine vitis vſus sit, quoniam vt palmes in vite præstantissimum fructum fert, ita extra vitem nihil est eo inutilius, vt merito dicat Augustinus, *Vnum de duobus, palmiti conuenit, aut vitis, aut ignis, si in vite non est, in igne erit, vt ergo in igne non sit, in vite sit.* Quod eleganter explicatur aduersus Hierusalem Ezech. 13. *Fili hominis, quid fieri de ligno vitis ex omnibus lignis nemorum, quæ sunt inter ligna sylvarum, nunc quid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus ut dependeat in ea quodcumque vas, ecce igni datum est in escam.*

Indicatio, seu imperatiuum ponit profuturo in Scriptura frequens. *Et ardet.*] Mos est Scripturæ, vt cùm aliquid futurum esse dicit, si velit summam certitudinem, & celeritatem significare, vtatur præsenti indicatiui, siue imperatiui pro futuro, hoc sit dupliciter, vel cùm simpliciter dicit aliquid futurum esse, vt Matth. vltimo, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem faculi;* & Ioan. 14. *Aduer modicum, & mundus me iam non videt, vos autem videtis me.* & ibidem, *Audistis, quia dixi vobis: Vado, & venio ad vos.* ita exponit Anselmus in lib. de conceptu virg. c. 7. illud Rom. 8. *Si autem Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum; spiritus autem viuit propter iustificationem;* non enim mortua erant corpora eorum, sed necessariò moritura erant propter peccatum Adæ. Secundò sit, quando dicit vnum necessariò futurum esse post aliud, siue conditionem apponat, siue non apponat, sine conditione, vt Isa. 55. *Audite audientes me, & comedite bonum.* Osee 10. *Seminate vobis in iustitia, & metite in ore misericordia,* in hoc c. *Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum.* Cum conditione, vt Ioan. 14. *Etsi abiero, & preparauero vobis locum, iterum venio;* ita modò dicit, & in ignem mittent, & ardet, id est, statim sine dubio ardebit. Præterea certa temporis differentia ponitur aliquando, non solùm, vt ipsa significetur, sed etiam vt signifi-

gnificetur permanentia actu sua illa, ut notauimus c. primo in principio, ita dictum est in hoc c. Et omnem qui fert fructum purgabit eum, id est, semper magis, ac magis emundabit dum erit in hac vita. Ita etiam modò dictum est, ardet, quasi dicat, dum erit sarmentum, semper ardebit, itaque si æternum esset sarmentum, in æternum arderet: significat igitur poenam mali Christiani nunquam esse finiendam: ex quo conuincitur hæresis Origenis de damnatis aliquando beatis futuris.

*Pœna mali
Christiani
sine fine du-
ratura.*

Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, perinde est ac si diceret, vultis scire quomodo manebitis in me, si manserint in vobis verba mea, sicut statim ait, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea.* Quid sit autem manere verba Dei in aliquo, intelligimus ex regula præcedenti, manent illa quidem in omni, qui oblitus non est, sed quoniam Scriptura non loquitur nisi de fructuosa mansione, tantummodo dicuntur manere in illis, qui memoria, & affectu ea complectuntur, vt operentur. ita Ioan. 5. Et *Verbum Dei non habetis in vobis manens, quia quem misit ille, huic vos non creditis* Ioan. 2. *Scripti vobis adolescentes, quoniam fortes esis, & verbum Dei manet in vobis;* hinc intelligitur illud Matth. 13. *Qui enim habet, dabitur ei, & abundabit, qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo.* est enim sensus, qui habet, scilicet cognitionem Dei cum amore, & operibus coniunctam, vt Apostoli, quibus antea dixerat, *Vobis datum est nosse mysteria regni cælorum, illis autem non est datum;* istis augebitur huiusmodi cognitio: qui autem non habet, scilicet talem cognitionem, & quod habet auferetur ab eo. Si non habet, quomodo habet? Respondeatur; dicitur non habere, quia licet Deum cognoscat, non ei obedit, atque ita infructuosè habet. Dicit autem huiusmodi hominem habere iam, non tam iuxta phrasim propriam Scripturæ, quām iuxta vulgarem hominum phrasim, qui non distinguunt inter habere fructuosè, & infructuosè; nam quod aliter loquendum sit, vt propriè dicatur, ostendit idem Euangelista, qui eadem verba repetens c. 25. dixit, *ei autem qui non habet, & quod videtur habere auferetur ab eo.* hinc phrasis visitatissima Scripturæ, seruare, vel custodire mandata, videlicet memoria, & affectu, vt iuxta ea operentur homines, quemadmodum explicuit David Psalm. 102. *Et iustitia illius in filios filiorum iis qui seruant testamentum eius;* & vt doceat, quid sit, seruare, addit, & *memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.* Discant quidem Latinis seruare leges, seruare equitatem, vt Virgilius,

*Verba Dei
in aliquo
manere,
quid.*

*Seruare
testamentū
quid.*

Qui fuit in Tenuis, & seruantissimus aqui.

Sed vtuntur verbo seruare, pro eo quod est liberare ab interitu, non pro eo quod est abscondere, & in se habere. Quare hæc phrasis, & propria videtur esse Scripturæ, & multis verbis idem valentibus explicari solet, vt Psal. 118. *In corde meo abscondi eloquia tua, ut non peccem tibi.*

Ribera in Euang. Ioan.

Xx Et

Et ibidem, in iustificationibus tuis meditabor, non obliniscar sermones tuos;
& Psal. 36. Lex Dei eius in corde ipsius. Ps. 39. Ut facerem voluntatem tuam.
Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.

In hoc clarificatus est Pater meus.] Multis rationibus eos allicit Christus, ut in se maneant. Prima quia non possunt fructum ferre aliter, secunda, quod igni tradendi sint, qui fructum non tulerint. Tertia, quod si manserint, obtinebunt a Patre quidquid petierint; nunc iuxta S. Thomam & Lyram addit quartam, quod ex ea re Pater glorificandus sit, glorificatur autem quoniam bona facientes ostendimus aliis quantum in nobis est Deum esse magnum & gloriosum, & collendum ab omnibus, qui finis praecipuus nobis esse debet in operando. Matt. 5. Sic luceat lux vestra, &c. 1. Cor. 10. siue comeditis siue bibitis, siue aliquid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite. Cyrillus Patrem suum glorificatum dicit, quoniam ineffabilis eius bonitas atque misericordia nota omnibus coronam quasi gloriae illi attulit; quod autem ait, ut fructum plurimum afferatis, &c. Possunt haec verba, & sequentia duplenter intelligi, primò ut sit ordo mutatus, ut dicit S. Thomas, qui tropus dicitur υερον πρότερον prius enim est effici eius discipulos, deinde ferre fructum plurimum, postremò, Patrem clarificari. Secundò, ut sit sensus, Pater meus glorificabitur, cum vos mihi adhaerentes fructum plurimum feretis, & tunc eritis vere discipuli mei, scilicet magis propriè, & multo perfectius quam antea: nam docendo homines, & pro eorum salute multa tolerando, vere me imitabimini, qui pro eis passus sum. Cyrus hæc paulo aliter intelligit, non enim accipit clarificatus est, pro clarificabitur, ut haecenus accepimus, sed accipit propriè, ut sit præteriti temporis ad hunc modum: Pater clarificatus est, filium suum dando, ut homo fieret, & ut ita homines fructum plurimum afferant, non enim possent afferre, nisi ut palmites illi adhaerērent, ita ut significet in hoc, id est, propter hoc, ad hoc; & quamvis hoc, in Graeco sit datiuī causus, tamen nihil obstat (quod putauit Iansenius) cum Euangelistæ indifferenter utrumque dicant. Plurimum autem fructum putat Cyrus dici comparatione fructus iustitiae legalis, quoniam, ut ait Apostolus Hebræ. 1. nihil ad perfectum adduxit lex, & ad hoc affert illud Matt. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plusquam scribarum, & Phariseorum, non intrabis in regnum cœlorum. affert etiam illud Matth. 13. Omnis scriba doctus in regno cœlorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera; & ita exponit, qui Euangelium colit, & iuxta illud viuit, noua, & vetera proponit, quoniam umbra legis in veritatem verit, & facit in veritate quod præceptum erat in figura; & eadem ratione; qui illud exponit, profert noua, & vetera.

Sicut dilexit me Pater, &c. Hæc est quinta ratio, quasi dicat ego vos dilexi, antequam me nossetis, & ad magna opera elegi, ut per vos

Finis præci-
pium operū
nostrorum
guis esse de-
bent.

vos vniuersus mundus credat , & saluus fiat, sicut Pater me hominem præuenit sua gratia , & misit ad homines, vt vitam per me adipiscantur. Quare curate diligenter, vt in dilectione mea maneat, quod facietis si mandata mea seruaueritis. Ex his autem , quæ diximus c. 10. ibi, *Ego & Pater unum sumus*, & illis verbis c. 6. *Sicut misit me viuens Pater*, intelligimus particulam sicut , hoc loco non æqualitatem significare , sed similitudinem. Præterea quod ait , *in dilectione mea* , posset sumi actiuè , & passiuè, qua ego vos diligo, vel qua à vobis diligor ; & quamvis Rupertus intellexerit , perseverate amando me , tamen Augustinus tract. 82. & ferè omnes sumunt actiuè manere in dilectione, qua vos diligo. & patet apertè ex eo quod sequitur , *sicut & ego Patris mei præcepta seruavi*, & maneo in eius dilectione , id est , semper ab illo diligor , semper me honorat miraculis , & signis , & vult me ab omnibus agnoscere , & adorari ; itaque loquitur de exterioribus indiciis dilectionis.

Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit.] Variæ sunt authorum sententiae de hoc gaudio Christi quòd nam sit. Mihi valde placet expositio Iansenij c. 131. *Hæc vobis dixi*, vt in vobis semper sit gaudium simile gaudio quod est in me , qui gaudeo , quod à Patre diligor , ita vos mandata mea obseruate , vt semper à Patrem eo diligamini , & gaudeteatis , & hoc vestrum gaudium impleatur. Iansenius dicit implendum fuisse per resurrectionem , & missionem Spiritus sancti. Ego potius exponerem , impleatur , id est , paulatim augeatur , cum maiora Dei erga vos amoris indicia videritis , & denique consummabitur in æterna felicitate. Ista expositio conuenit optimè cum præcedentibus , & colligitur ex simili loco c. 17. *Hæc loquor in mundo*, vt habeant gaudium meum impletum in semet-ipsis. Sed forte poterit adhuc commodiùs exponi ad hunc modum. Hæc vobis locutus sum , vt habeatis gaudium meum , id est , vt in me gaudeatis , & ex meis dictis atque promissis consolationem capiatis , etiamsi vos mundus persecuturi , & affligati : nam si ex me consolationem non habetis , ex mundo habere non potestis ; itaque gaudium suum vocat effectiuè , quod ipse efficit aut efficere ntitur in eis. hoc intelligitur ex illis verbis c. 16. *Hæc locutus sum vobis*, vt in me pacem habeatis , in mundo pressuram habebitis ; & hoc significant verba citata c. 17. Dixerat enim , serua eos in nomine tuo , quos dedisti mihi ; id est , effice , vt semper in mundi calamitatibus , invicti , atque integri permaneant , vt non pereant. subdit : *Quos dedisti mihi custodiri* , &c. Nunc autem ad te venio , & hec loquor in mundo , vt habeant gaudium meum impletum in semet-ipsis , id est , nunc eos relinquo , sed antè tamen has preces fundo ad te , vt postea nullo modo cedant persecutionibus , & temptationibus , quas passuri sunt , sed pleni sint gaudio in illis , & quotidie magis gaudent:

vnde statim sequitur, *Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit.* Cyrillus ex duobus sensibus horum verborum propositis, secundum magis probat, id est, ut gaudeatis rebus quibus ego gaudeo, nempe laboribus, & periculis pro hominum salute susceptis. Chrysostomus homil. 76. *Hoc locutus sum, ne à me discedatis, & a gaudio quod habuistis ex eo quod mei discipuli eratis, decidatis, ne à cursu deficiatis, sed in finem usque hæc latitias perduret.*

Hoc est præceptum meum, &c.] Quoniam sœpe locutus est de seruandis præceptis, nunc aperit, quæ sint, posito præcepto fraternali charitatis, in quibus verbis sunt quædam dubia. Primum est, quare cum de multis præceptis antè locutus fuerit, nunc unius tantum meminerit. Respondetur, quoniam hoc præceptum cætera omnia continet, & qui hoc implet, omnia implet. ita Chrysost. homil. 76. August. tract. 83. Cyrillus, Greg. homil. 27. in Euangelia, Rupertus, S.Thomas. Ostendit hoc Gregor. exemplo arboris, cuius rami quidem sunt multi, sed una tantum est radix, ex qua omnes rami prodeunt; ita omnia præcepta ex charitate emanant, & in charitate solidantur, & sunt multa per diuersitatem operis, & unum in radice dilectionis. hoc ipsum facile probatur ex sacra Scriptura, non enim dicimus Deum diligere, nisi omnia eius præcepta seruemus, & tamen 1. Ioann. 4. scriptum est, *Si diligamus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est.* Et Matt. 7. *Quicumque ergo vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis, hac est enim lex, & Propheta.* Denique Apostolus Rom. 13. & Galat. 5. latius hoc explicat. *Omnis, inquit, lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut te ipsum.* At restat adhuc insoluta difficultas, cum enim duplex sit præceptum charitatis Dei, & proximi; præceptum dilectionis Dei sine dubio maius est, ut Dominus docuit Matth. 22. *Diliges Dominum Deum, &c.* hoc est maximum, & primum mandatum; atque hoc præceptum non minus continet omnia præcepta, quam præceptum dilectionis proximi. Cur ergo cum unum præceptum statuendum esset, potius meminit minoris, quam maioris: qui enim verè Deum diligit, non potest non amare proximum, & cætera præcepta implere. Respondetur duas esse causas huius rei. Prima est Augustini in libello expositionis epistolæ ad Gal. c. 5. in utroque præcepto vis est tota charitatis, & unum alterum continet, nec potest unum esse sine altero; quare alterum eorum commemorare sufficit, cum de operibus iustitiae agitur; sed illud opportunius commemoratur, de quo facilius quisque conuincitur. nam cum Deum homines odire non soleant, facile seipso decipiunt, putantes se amorem Dei habere, & ad hunc amorem examinandum, rarius tentationes occurruunt: at in dilectione proximi, cum quo loquendum, & vivendum est, facilè periculum sit dilectionis, & certatur,

nitur, velis nolis, an proximum ames, adeo ex dilectione proximè vult colligi, & cognosci dilectionem Dei. 1. Ioan. 3. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necesse habere, & clausurit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Et cap. 4. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Secunda ratio est S. Thomæ: Dominus exhortatur Apostolos ad edificationem proximorum, & ad perferendum labores in hominum utilitatem, ideo potius meminit dilectionis fraternæ, quamvis altera sine altera non sit. Tertiò, quoniam dignitas dilectionis Dei satis ex se patebat, & in c. Decalogi posita sunt præcepta ad Dei honorem pertinentia; at quoniam proximus multo inferior est Deo, nec erat in Decalogo præceptum expressum & affirmatum dilectionis proximi, sed omnia negativa, præter præceptum de honorandis parentibus, necesse fuit dilectionem proximi commendare, & eius dignitatem demonstrare, ne putaretur illud præceptum Levit. 19. *Diliges proximum tuum, siue amicum tuum, sicut te ipsum*, esse quasi vnum è multis.

Secundum dubium est, cur hoc præceptum suum vocet. Respondeatur eadem ratione vocat illud suum, qua cap. 13. nouum vocavit dicens, *Mandatum nouum do vobis, ut diligatis inuicem*, &c. Id est, non ratione substantiæ, sed ratione modi: nouitas enim in his verbis posita est, *sicut dilexit vos*, vt ibidem ait Cyrillus, quod ibi fusiùs explicuimus. Sed sciendum est cum dupli articulo dici in Græco, *præceptum meum*: quare sine dubio alludit Dominus ad verba citata cap. 13. quasi dicat: Hoc est illud præceptum quod nouum appellauit, vt significarem peculiariter meum esse: nam præceptum dilectionis proximi Moysi erat, sed hoc præceptum verè meum est, quoniam nunquam lex præcipit diligi proximum non solum vsque ad amissionem pecuniæ, & honoris, sed etiam vsque ad effusionem sanguinis; idque gratis etiam, & sine ullis meritis proximi ipsius, quod significat cùm ait, *sicut dilexi vos*, vt cap. 13. exposuimus. Postremò ratione articulorum possumus ita etiam exponere, *hoc est præceptum meum*, id est, hoc est inter mea præcepta insigne quoddam præceptum, & maximum, & quod ego pluris facio, quām cætera, exceptis quæ ad Dei honorem pertinent, nam, & aliquando positiva nomina per superlativa sua exponuntur, ratione articuli vel expressi, vel subintellecti, vt Mathh. 22. *Magister, quod est mandatum magnum in lege*, id est, maximum, & ita esse exponendum docet Marc. 12. dicens, *Et interrogauit eum quod esset primum omnium mandatorum*; & 2. Timoth. 2. *Timotheo charissimo filio*, cùm tamen in Græco non sit *charissimo*, sed *charo*, in his locis non ponitur articulus, sed subintelligitur, quasi diceret, filio vnico, aut præter cæteros amato. Similiter fit cùm ponitur articulus, vt Rom. 16. *Salutare Ampliarum dilectissimum mihi*; & ibidem, *salutare Persidem charissimam*: vnde noster interpres hac ratione etiamsi articulus non ponatur in Græ-

*Quare hoc
præceptum
vocet suū.*

eo, cum videt esse subintelligendum, vertit per superlatium, ut u. Corinth. 4. Sed ut filios meos charissimos moneo; aliquando etiam si posatur articulus, vertit per posituum, phrasim sacrae Scripturae imitans, & volens superlatium intelligi, ut Rom. ultimo, *Salutare Epaphetum dilectum mihi;* & ibidem, *salutare Urbanum adiutorem nostrum in Christo Iesu;* & Stachyn, *dilectum meum:* in omnibus his locis semper est in Graeco nomen posituum ἀγάπης, id est, *dilectus.* & ibidem, *salutare Apellem probatum in Domino;* id est, probatissimum in Domino. Quod si vidisset Erasmus, non ita saepè nostrum interpres tem reprehendisset.

Christi
charitas.

Maiorem hac dilectionem, &c.] Quoniam iussit ut proximum diligenteremus, sicut ipse dilexit nos, docet, ut ait Augustinus tract. 84. & S. Thomas, quomodo nos dilexerit, adeò, inquit, dixi vos, ut nemo maiorem charitatem habere potuerit, hæc est enim tota dilectionis vis, ut quis pro amicis suis animam ponat; id est, sponte sua moriatur. Erasmus, & eum secutus Iansenius, adhotant non esse legendum; quam ut animam, &c. sed dempta particula, quam; quemadmodum est in codicibus Graecis. Quoniam si legeretur, quam, significaretur eam charitatem, qua quis animam ponit pro amicis, esse maiorem charitate Christi. citat pro se Iansenius officium ecclesiasticum Apostolorum, in quo non legitur, quam, & illa lectio est antiquissima. Ad hoc dicenda sunt duo, primùm est, si in libris Sanctorum hæc verba queramus, nunc inueniemus, quam, nunc non inueniemus; nam apud Augustinum tract. 84. prius ponitur, deinde non ponitur; & tract. 5. in epist. Ioan. non ponitur, deinde tract. 6. ponitur, & apud Bernard. serm. 9. in Psal. Qui habitat, ponitur, & apud eundem in serm. feria 4. hebdomada pœnale non ponitur. Secundum est, huius loci duas esse posse lectiones, altera est, maiorem hac dilectionem, &c. altera sine pronomine *hac*, maiorem dilectionem, &c. si legamus primo modo cum pro nomine, *hac*, non est addenda particula, quam, quoniam reuera superuacanea est, & sensum nihil iuuat, sed laedit prius; nam comparatio optimè exprimitur si dicas, maiorem hac dilectionem nemo habet, & statim exponitur, qualis sit ista dilectio, ut animam suam ponat quis pro amicis suis; si vero non ponatur pronomen, *hac*, rectè additur particula, quam, ut explicetur quæ sit illa dilectio, quia maiorem nemo habet, & ita Augustinus tract. 5. in epistol. Ioan. & Bernardus sermone citato hebdomada pœnale, non posuerunt pronomen, *hac*, sed legunt, maiorem charitatem nemo habet, quam ut animam, &c. utraque istarum lectionum vera est, & probabilis, sed prior est verior, ut ex authoribus, & libris Graecis intelligitur, & ex officio ecclesiastico: at vero tertia, quæ ex ipsis composita est, in qua ponitur *hac*, & quam, errore deseribentium depravata est. Sed est dubium quomodo hoc verum esse possit, quandoquidem maior est charitas,

qua quis animam suam ponit pro inimicis, vt possit Christus. Vnde Bernardus sermone citato de passione ait, *Tu maiorem habuisti Domine, ponens etiam pro inimicis.* Et Apostolus aperre Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum inimici essemus, Christus secundum tempus pro nobis mortuus est.*

Respondet primò hīc non fieri verbā de intentione charitatis secundūm se; fieri enim potest, vt aliquis moriatur pro altero, & tamen alter, qui pro eo non moritur, diligit eum intensius, sed de intentione charitatis declaratæ exterioribus actibus. nullum est enim maius amoris indicium quām ponere animam pro amico. Si autem dicat aliquis, præstantioris amoris actum, & indicium esse ponere non animam tantum, sed animam, & honorem, & pecunias. Respondet bene Caietanus comparationes semper fieri inter actus disparatos alicuius virtutis, & non inter unum actum solum, & ipsummet iunctum cum alio, & idem contingit in omnibus rebus que comparantur, vt cùm charitas dicitur esse maior cæteris virtutibus, non intelligitur esse maior se ipsa, iuncta cum fide, aut cum alia virtute; ita hīc comparantur actus amicitiae.

Sed adhuc urget difficultas, quoniam maius amoris indicium est ponere animam pro inimicis. Ad hoc responderetur primò non conferri actum moriendi pro inimicis, sed cum cæteris actibus, & officiis amicitiae, quasi dicat, inter eos, qui se vehementer amant, nullum maius amoris indicium inueniri potest, quām si unus mortem oppretat pro altero, quod ego pro vobis factus sum, qui amici mei estis; si tamen præcepta mea seruaueritis. hoc colligitur ex ipsius verbis, *pro amicis suis*, non enim dicitur amicus propriè, qui non diligit, licet diligatur, quoniam authore Aristotele 8. Ethicorum cap. 2. *Amicitia est mutua benevolentia non latens.* Secundò potest esse sensus, inter homines nulla potest esse maior dilectio, quām mori pro amico; sed mea erga vos adhuc est maior, quoniam morior pro inimicis. Dicere autem, pro inimicis, non erat necesse, quoniam nunquam id inter homines fit. Vnde Pyladis, & Orestis amicitia, tanquam res admodum rara, omnium litteris, & voce commendata est, quod alter pro altero mori voluerit; & hoc est argumentum Pauli Rom. 5. *Vix enim pro iusto quis moritur, nam pro bono forsitan quis audeat mori: commendat autem charitatem suam Deus, &c.* Tertiò respondet cum Caietano, & Iansenio, mori pro inimicis formaliter non esse actum dilectionis ordinatae, sed pro inimicis materialiter, id est, pro iis, qui diliguntur, licet non diligent. Quare moti pro amicis actu vel potentia, id est, pro amicis habitus, vel habendis, non est minus, quām mori pro inimicis, immo maius, & perfectius

perfectius est, quia moti pro inimicis materialiter est pars eius, quod est mori pro amicis, ita intellexit Gregorius homil. 27. in Euang. & S. Thomas, & Rupertus, & ait Rupertus, cum dicere posset, pro inimicis suis, maluit tamen dicere, *pro amicis*, vt scilicet nominis suauitate dulcedinem auditoribus eius dilectionis, quam praedicabat, infunderet; ergo non quia erant amici, sed quia eo paciente siebant amici, dixit, *pro amicis suis*. Sed poterit aliquis argumentari, maius est mori pro inimico nunquam futuro amico, quam pro futuro amico: ergo non fuit maxima omnium ista charitas Christi. Respondeatur, cum quis pro inimico moritur, vt morte illa fiat amicus, & per illam amicitiam, summam dignitatem, & magna emolumenta consequatur, & à morte liberetur, vt fecit Christus, maioris dilectionis est, quam mori pro inimico nihil horum bonorum consecuturo. Quare longè maius amoris specimen dedit Christus prædestinatis, pro quibus efficaciter mortuus est, quam reprobis, pro quibus mortuus est tantum quoad sufficientiam, & qui inimici mansuri erant. Omnes istæ responsiones veræ sunt, & recipiendæ; sed mihi videtur prima omnium aptissima, quoniam nunc Apostolis loquitur, qui non erant inimici, sed amici, nec amici potentia, sed actu, & ideo addit statim, *Vos amici mei estis*; non tamen propterea tertia recipienda est, quoniam cùm loquitur Apostolis, omnibus creditibus, & credituris loquitur, qui non erant actu amici, sed potentia; immo Apostoli ideo erant actu amici, quia pro eis Christus moriturus erat, atque ita, cùm eos elegit, & pro eis mori voluit, & cùm ad hoc beneficium vocati sunt, non erant amici, sed inimici.

Vos amici mei estis.] Quoniam propter præcepta Domini seruanda multa passuri erant, eos amicitia sue spe atque mercede animat, eamque omnibus periculis opponit, vt ait Cyrillus, vt ea facile omnia contemnant, & vincant: sed videtur hoc iam prius fuisse dictum in illis verbis, *Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea*. Respondeatur, sæpe Dominum repetere solere eadem, vt altius in memoria insigantur, & eorum utilitas magis cernatur; præcipue cùm sunt eiusmodi, vt inter cætera maximam vim habeant ad persuadendum, vt in hac concione vidimus, quemadmodum repetit se ventrum esse ad eos, impetraturos à Patre quidquid petierint, &c. at nunc non repetit, sed aliquid amplius dictis addit; antea enim dixerat, *manebitis in dilectione mea*, id est, diligemini à me: at multi amantur, qui amici non sunt, seruus enim diligitur à domino, sed ad seruum quatenus seruus est, non est amicitia. 8. Ethic. c. 11. quoniam amicitia est æqualitas quedam. 8. Ethic. cap. 5. & veteri proverbio iam inde à Pythagoræ temporibus iactatur amicitia æqualitas; pollicetur igitur nobis amicorum dignitatem, quæ habet æqualitatem quendam quodammodo. Vnde statim ait, *Iam non dicam vos seruos, &c. &c., vos autem dixi amicos*, &c. quam dignitatem tanti fecit Dauid, vt dicat

dicat Psal. 138. *Mibi autem nimis honorati sum amici tui Deus.* Et Gregorius homil. 27. *O quanta est misericordia conditoris nostri, serui digni non sumus, & amici vocamur.* Scitis me constantem, & beneficium esse erga amicos meos, pro quibus animam ponere non dubito; cum igitur vos hoc honore donauerim, ut amici mei sitis, illum agnoscite, & tenete, quod facietis, mandata mea seruantes.

Iam non dicam vos seruos.] Dubium est quomodo hæc verba vera esse possint, cum paulo post seruos eos vocet. *Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est seruus maior domino suo;* & in iudicio dicturus sit, *Euge serue bone, & fidelis,* Matth. 25. Iansenius cap. 135. dupliciter exponit, primò ait non dixisse, *non dicam vos seruos*, sed, *iam non dico vos seruos*, ita enim habetur in Græco, & ita legit Rupertus, quasi Dominus nunc nihil promittat in futurum, sed tantum doceat cur eos amicos vocet, & non seruos. Sed hæc responsio falsa est, quoniam legendum est, *dicam*, ut legunt ferè Latini huic loci expositores, præsertim Gregorius homil. 27. Augustinus tract. 85. & in lib. de amicitia c. 5. & 23. & Hieronymus in Michæam cap. 7. immo & Nonnus apertè legit in futuro, deinde, quoniam, ut ipse etiam Iansenius vidit, in eiusdem codicibus Græcis legitur, non adhuc dico vos seruos, quod manifestè habet significationem futuri, videlicet, non adhuc dico, siue non amplius dico, æquivalet futuro, ut Psal. 87. *Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius,* id est, quorum nunquam iam recordaberis, & ubi nos habemus, *amplius*, est in Græco eadem dictio, quæ hic legitur ēti, id est, *adhuc*, siue *amplius*. Itaque nihil refert ad sensum, siue legatur *dico*, siue *dicam*. Secunda responsio eius est, *non dicam vos seruos*, tales scilicet, quales aliquando fuistis cum toto populo Iudaico, id est, merè seruos, qui necdum in amicitiam translati sunt. Augustinus tract. 85. proposita eadem dubitatione ita respondet. *Omnis seruitus ex timore nascitur, & ideo sicut sunt duo timores, qui faciunt duo genera timentium, sic sunt duo seruitutes, quæ faciunt duo genera seruorum; prior timor est seruus, quem perfecta charitas foras mittit.* 1. Ioan. 4. alter est filialis, qui manet cum perfecta charitate. De utroque disputat eleganter idem Augustinus tract. 9. in epist. Ioan. In timore seruili est seruitus quedam, quæ simul cum timore foras mittitur à charitate; in filiali est seruitus manens cum charitate: cum igitur Dominus ait, iam non dicam vos seruos, non loquitur de seruis, qualis est ille cui dicitur, *Euge serue bone;* sed qualis est ille, de quo dicitur Ioan. 5. Seruus non manet in domo in eternum, id est, non dicam vos seruos seruitute, quæ oritur ex timore seruili, sed altera quæ oritur ex timore filiali. Augustinum sequuntur glossæ, & Rupertus, & S. Thomas. Rupertus etiam addit aliter dici in Scriptura seruum absolute, aliter seruum Domini; nam seruus absolute in malam partem accipitur, quasi seruus peccati; seruus autem Domini est nomen magnæ dignitatis, & ideo non dixit, *iam non dicam vos seruos meos*, sed, *iam non dicam vos seruos*, absolute. At hæc additio Ruperti non videtur omnino vera, primò, quoniam

Ribera in Euang. Ioan.

Y y

cum

cum seruus relatiuè dicatur , nunquam per se ponitur sine eo , cuius est seruus , aut certè ex præcedentibus , & sequentibus intelligitur , cuius seruus sit , vt Matth. 24. *Si autem dixerit seruus ille in corde suo, moram faciet Dominus meus , &c.* Secundò , quoniam hic etiam cum ait , *iam non dicam vos seruos* , non intelligit seruos peccati , aut diaboli , vt existimauit Rupertus , alioqui nihil ad rem faceret causa quam continuò reddit , *seruus enim nescit quid faciat Dominus eius;* sed est sensus , non dicam vos seruos meos , quia seruus nescit quid faciat dominus eius , vos autem scitis , quid ego faciam. Contra Augustini autem distinctionem , & expositionem , quæ communis est , pugnat non leue argumentum , quod nec antea vocauerat eos seruos ea seruitute , quæ oritur ex timore seruili , nec qualis est ille , de quo dictum est ; *seruus non manet in domo in eternum:* ergo cum Dominus eis modò aliquid pollicetur , quod antea non habebant , non exponitur eo modo locus satis commodè ; præsertim cum post hæc verba vocet eos seruos eodem modo , quo antea vocauerat , dicens , *Mementote sermonis mei , &c.* Non est seruus maior Domino suo , &c. Ad hoc possumus respondere hæc verba , *Iam non dicam vos seruos , &c.* antea quoque Apostolis dici potuisse , sed nunc peculiari ratione dicuntur , quia vocantur iam amici , & reuelantur eis diuina mysteria. Sed si adhuc magis velimus explicare , & obseruare Scripturæ consuetudinem , dicendum est , cum nomen vetus alicui detrahitur in Scriptura , non protinus significari nunquam deinceps eo nomine esse appellandum , sed non eo solo esse appellandum , nec ita frequenter vt antè , vt Genes. 32. *Nequaquam Jacob vocabitur nomen tuum, sed Israël;* & tamen sapissimè postea in sacra Scriptura dicitur *Jacob.* Et Iudic. 6. *Ex eo die vocatus est Gedeon Gerobaal;* & tamen sæpe postea vocatur Gedeon , ita , *iam non dicam vos seruos* , id est , deinceps non solùm appellabo vos seruos , sed etiam amicos , & quidem frequentius amicos , quam seruos. Præterea consuetudo Scripturæ est , vt cum nomen videatur imponi , non tam significetur eum , cui nomen imponitur , ita esse vocandum , quam conuenire in eū optimè rem illo nomine , significata vt Isa. 7. *Et vocabitur nomen eius Emanuel.* Et c. 8. *Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere : Festina prædari :* Quæ sunt nomina Christi , hoc etiam videmus in nonnullis nominibus eorum , quæ Isa. 9. ponuntur , & vocabitur nomine eius *Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri faculti, Princeps pacis;* & Hierem. 23. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster.* Itaque vocari sæpe idem est , quod esse , vt Romanorum 4. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt,* id est , apud quem ea , quæ non habent esse in re , iam existunt. Hinc fit vt sæpe dicat Scriptura , verba aliqua esse dicenda , quæ non tam intelligendum est sono vocis esse enuncianda , quam verè faciendum esse quod illis verbis significatur vt Isa. 2. & Michæl. 2. *Ibunt populi multi, & dicent : Venite, ascendamus ad montem Domini , & ad dominum Dei.* Iacob. 1. *Venient gentes ad Ecclesiam , & colent illum ipsum Deum , quem colebat populus Indiorum.*

Ex quo patet recentiorum Iudeorum ignorantia, qui negabant hæc verba temporibus Iesu Nazareni impleta esse, quoniam Christiani non dicunt, eamus in domum Dei Jacob; sed eamus in templum Petri, aut Pauli, &c. Ita etiam intelligenda sunt plurima verba, quæ in Psalmis, &c. in Prophetis Christo tribuuntur, cùm tamen Prophetæ non significant omnia ipsius ore esse enuncianda, sed reuera in ipso esse implenda, vt in Psal. 3. & 21. & 68. Isa. 65. & passim in Prophetis. Vnde Ioan. 19. *Vt Scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta meas ibi, &c.* Similiter exponit illud, *dederunt in escam meam fel, & siti mea potauerunt me aceto.* iuxta ergo sensus est; *iam non dicam vos seruos,* iam non agam vobiscum quasi cum seruis, sed honorificentius vos tractabo, agam quasi cum amicis, quia Patris mei arcana vobiscum communico, quomodo non serui, sed amici tractari solent, & quamvis antea quoque amicos vocauerat, vt Luc. 12. *Dico autem vobis amicis meis, &c. ne terrea- mini ad his, qui occidunt corpus, &c.* & vt amicos tractauerat, tamen pollicetur peculiarius se in posterum tractaturū, eos vt amicos quoniā plura Dei arcana eis reuelat, & plura post resurrectionem reuelaturus erat per aduentum Spiritus sancti.

Quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius.] Ita fieri solet inter homines, nō enim detegit Dominus seruo omnia secreta sua consilia, quod si aliquando id facit, ī magis eū habet eo tempore, vt amicū, quām vt seruum. Prou. 25. *Causam tuā tracta cū amico tuo, & secrētū extraneo ne resuleas.*

Quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.] Cū his verbis pugnare videntur illa c. 16. *Adhuc habeo vobis multa dicere, sed nō po- testis portare modo.* Præterea dies iudicij quando futurus esset, ipse à Patre audierat, sed reuelare Apostolis noluit, immo cū quererent Actu. 1. *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël;* respondit, *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta quæ Pater posuit in sua potestate;* ideo Chrysost. hom. 76. duos sensus huius loci subindicit; prior est, in iis quæ dixi, nihil ex meo dixi, sed omnia quæ dixi, accepi à Patre meo, vt c. 14. & sermonem, quem audisti non est meus, sed eius, qui misit me Pater. ita exposuit August. in Enchiridio cap. 103. illa verba, illuminat omnem hominem ve- nientem in hunc mundum, vt suo loco diximus. Posterior est, *nota feci vo- bis omnia quæ audiui à Patre meo,* ea scilicet, quæ vobis audire expediebat, atque hunc sensum sequitur Lyra. 3. sensus est, præteritū ponit pro futuro, propter summam certitudinem, vt passim fit in Prophetis; itaque nondū illis omnia dixerat, tamen quia certo certius dicturus erat, dixit se iam dixisse: iste sensus est Aug. tract. 86. & lib. 1. de Trinit. c. 12. & lib. 7. de Genesi cont. Manichæos c. 7. quibus in locis adnotat hanc Scripturæ regulam, & eandem adnotat lib. primo de sermone Domini in monte cap. 42. Nec solum in Prophetis, sed in tota Scriptura id fieri, docet Hieronymus in epistola ad Ephes. cap. 2. in illis verbis, & confidere fecit in caelestibus. Quartus, qui omnium germanissimus vi- detur, est; *nota feci vobis omnia, quæ audiui à Patre meo,* id est, quæ mihi Pater meus tradidit, vt vobis ad hoc usque tempus dicerem.

ita loquitur est Paulus Act. 20. *Non enim subterfugi, quominus annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Ita etiam loquitur Dominus cap. 17. *Opus consummari quod dedisti mihi, ut faciam, id est, feci, quidquid usque ad hoc tempus per me fieri voluisti.* Similiter intelligitur illud cap. 19. *Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit, consummatum est, scilicet, quod usque ad hoc tempus faciendum erat pro salute hominum.* Præterea quemadmodum dixit Marc. 13. *De die autem illa nemo scit, nec Angelus in calo, neque filius hominis, quia scilicet non audierat à Patre, ut Apostolis manifestaret, sicut aduersus Arrianos exponunt Hilarius lib. 9. de Trinitate paulo ante finem.* Et Ambrosius lib. 5. de fide cap. 8. ita modò dicit, *omnia quacumque audiui, scilicet, ut vobis dicerem, quæ mihi pater ad hoc tradidit.* Eodem modo intelligendum est, quod ait cap. 16. vbi cum dixisset. *Aduo multa habeo vobis dicere, &c. docens, quando dicturus es, subdit, cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, id est, non omnem absolute, sed quam à Patre, & à me accepit ut vobis diceret, & quam à me audire vobis expedit.*

Non vos me elegistis, &c.] Ut magis eos moueat, docet se eos amasse, & elegisse sine ullis eorum meritis, ut ita ad redamandum accendantur. 1. Ioan. 4. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos.* Cyrus optimè exponit, quò tendant hæc verba; quasi, dicat, cum vobis me proposuerim imitandum, id vos erga alios facere debetis, quod ego feci erga vos: ego elegi vos, non vos me: ego me vobis ignorantibus notum feci humanitate, clementiaque commotus, & adeò vos roboraui, ut fructum plurimum sitis allaturi, & tam chari Deo futuri, ut quidquid petieritis, sitis obtenturi. Quare non debetis vos sedentes, & ignavi expectare, ut ultrò homines veniant, sed etiamsi errare velint, eos debetis ex errore educere, quamvis vos acerbissime persequantur, ut ipsi quoque fructum afferant, & quidquid petierint obtineant. Atque hunc sensum optimum esse, dicit Cyrus deprehendi ex verbis sequentibus, *Hec mando vobis, &c.*

Et posui vos ut eatis.] Perstat, ut aiunt Chrysostomus homil. 76. & Gregorius homil. 27. in translatione vitis, id est, ego posui vos in vite. Quare si velimus in eadem translatione manere, possumus expondere, ut eatis, id est, ut crescatis in vite, & fructum afferatis, ut Osee vlt. *Ibunt rami eius, & erit quasi olima gloria eius;* sed aptius videtur ut eatis per vniuersum orbem, prædicantes Euangelium, & fructum afferatis conuersionis Gentium, iuxta illud Ioan. 4. *Lenate oculos vestros ad regiones, quoniam iam alba sunt ad messem, & qui metit, mercedem accipit, & fructum congregat in vitam eternam.* Bernard. in serm. de sancto Benedicto, moraliter exponit: *Vt eatis, scilicet à vobis metiatis, auertendo locis heresi vos à vestris voluntatibus, iuxta illud Matth. 16. Si quis vult post me venire, abneget semet-ipsum.* Ex his verbis conuincitur hæresis Pelagianorum nostris virtibus nos assequi gratiam: nam si non præuenimur gratia Dei, nos elegimus eum, potius quam ipse nos.

Secundò

Secundò conuincitur hæresis eorum, qui dicebant, Deum vocare nos propter bona opera quæ animæ nostræ fecerunt, antequam in corpora ingredentur, quam Basilidis, & Manichæi fuisse testatur Hieronymus epistola ad Heditiam q. 10. fuit etiam Origenis lib. primo periar. con. c. 7. & lib. 2. c. 8. Tertiò refellitur error eorum, qui omnia bona opera putant esse causam vocationis nostræ: nam si ita esset, nos ele-
gissimus Deum, ut dictum est, & ad hoc probandum adducit istum locum Augustinus in lib. de prædest. sanctorum. c. 17. & lib. de patien-
tia. c. 20. & 21. & sermone 39. ad fratres in eremo. Quartò refellitur hinc sententia quorundam Theologorum, ut Enrici, quodlib. 4. quæst.
19. & quodlib. 5. q. 5. qui putabant bona opera quæ facturi eramus post acceptam gratiam fuisse causam, ut vocaremur à Deo illa præui-
dente, ait enim Dominus, & posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, id est, elegi vos, non quia eratis ituri, & fructum allaturi, sed ut eatis, & fructum afferatis. & eodem modo loquitur Apostolus prima Cor. 7.
Consilium autem do tamquam misericordiam consecutus à Deo, ut sim fidelis.
& Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ut essemus sancti, & immaculati coram ipso.*

*Item Basili-
idis & Ma-
nichæi.**Item Ori-
genis, &
aliorum.*

Et fructus vester maneat.] Dignitatem, & amplitudinem huius fru-
ctus ostendit, ut ait Rupertus: reliqui enim fructus transeunt, iste ma-
net, & hoc est quod eleganter dicit Eccles. 1. *Vanitas vanitatum, &c.*
Quid habet homo amplius de uniuerso labore suo, quo laborat sub sole: &c., ut ait Gregorius homil. 27. fructus laborum huius saeculi licet antea non periret, in morte certè perit; sed fructus de quo loquitur Dominus, tunc verè incipit apparere, iuxta illud Ps. 126. *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini,* ideo Apostolus cum loquitur de operibus carnis Gal. 5. *Manifesta autem sunt opera carnis,* opera dixit, quia natura operis est, cum sit motus quidam, ut cum factum est, iam non sit, cum autem venit ad opera Spiritus, iam non opera vocat, sed fructus, fructus autem Spiritus, &c. ut ostendat non transire, sed manere in æternum, ita exponunt ibi Hieronymus, & Augustinus.

*Fructus pe-
renni.*

Hec mando vobis, &c.] Possent hæc verba ita intelligi, ut idem præceptum repeteretur, quod suprà positum est, *hoc est præceptum meum, ut diligatis iniicem,* ut intellexerunt Rupertus, & Iansenius; sed multò melius intelligentur, si coniunctio, ut, significet finem, & sit sensus, hæc quæ de amore meo erga vos commemorai, non exprobandi cau-
sa dixi, nec aliam ob causam, quam ut vos mutuo amaretis, atque ita pro salute hominum quiduis æquo animo perferretis. Ex quo patet quam rectè exposuerit præcedentia Cyrillus; ita exponunt Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius, S. Thomas, ita enim accipiunt isti authores. *Hec mando vobis,* ac si dixisset hæc locutus sum vobis; & eodem modo videtur intellexisse Cyrillus. Augustinus tract. 87. ita expo-
nit: *Quoniam dixerat, posui vos, ut eatis, & fructum afferatis, nunc dicit,* *Hec mando vobis, &c. docere volens fructum, quem latiri sumus, esse di-
lectionem proximorum.* quod idem videtur esse cum sensu Chryso-
stomi.

Odium &
persecutio
mundi.

Si mundus vos odit.] Hoc maximè poterat obstarere ne Apostoli pro salute hominum laborarent in prædicatione Euangelij, odium scilicet, & persecutio mundi, id est, mundanorum hominum, & tantum bona hu- ius saeculi voluptatesque querentium; sed docet hoc odium esse contemnendum, quasi dicat: Nihil miremini, aut turbemini, cum vos mundus oderit, me prius odit quam vos: gaudete quod mei imitatores eritis, & tamen nihil vobis nocebit eius odium, sicut nec mihi nocuit, persecutur vos mundus, qui de eo non estis, id est, quia operibus non faueris, sed contradicis, ut ego & cum hoc dicit, relinquat subintelligendum, sed tamen ego vos amabo, quia mei estis, & electi a me, ut mundi opera damnetis; multo magis vobis amor meus proderit, quam mundi odium Oberit. Sed queritur quomodo verum esse possit quod ait, mundus quod suumerat diligenter, quandoquidem mundus maleficos odit, & punit. Iansenius respondet ita: quamvis mundus ex aliqua sui parte malos odiat, in aliquo genere mali; nec sunt aliqui mali, quos mundus ex magna sui parte non diligit; contra autem iustos non pars mundi, sed totus mundus odit. Mihi videtur aliter respondendum, mundani homines diligunt suos, id est, fautores, & participes suorum consiliorum: si quando vero alios mundanos oderunt, causa est quod illi consiliis eorum aduersantur, itaque iam alieni sunt, & aduersarij, atque ideo Christum odio prosequebantur, quoniam eorum opera reprehendebat, & hominibus nostra faciebat, ut videmus Sapientiae 2. & eadem causa odio habituri erant Apostolos. Ex quo patet hanc expositionem optimè in verba Domini conuenire, & probatur etiam ex Ioan. 6. non potest mundus odire vos scilicet, quia nulla in re ei resistitis, aut contradicis, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quod opera eius mala sunt.

Quod autem dicit, si de mundo fuissetis, videtur non esse verum, quoniam licet iam de mundo non essent, fuerant tamen aliquando, sicut idem Dominus ait, Ego elegi vos de mundo. & c. 17. Manifestauit nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Propter hoc Iansenius putat melius vertendum fuisse, si de mundo essetis, mundus quod suum esset diligenter. Sed ad hoc primò respondemus Erasmum, & Pagninum ita vertisse ut nos habemus. Secundò apud nostrum interpretem pro eodem usurpari solere, esse, & fuisse, ut Isa. 1. sicut Sodoma fuissetis, & sicut Gomorrah similes essetis, immo & Latini pro eodem dicunt, amatus essem, & fuisset. Tertiò dicimus, fuisset, fecisset, & similia verba eleganter apud probatissimos authores accipi pro essem, facerem, &c. quod nos sermone nostro dicimus hic etiam dixera de te, ut Cicero pro Sexto, restituisse, repugnasse, mortem pugna appetuisse, pro quo idem Cicero dicere solet resistere, ut in Secunda Philipica. Conchiliatis Cnei Pompeij peristromatis seruorum cellis lectos stratos videres & Plinius lib. 1. epistolarum epistola 11. Dediisse huic animo, par corpus fecisses quod optabat, pro daret, & faceres. Ita modo eleganter dictum est, fuissetis, pro essetis.

Esse, & fu-
isse pro eodē
sumi.

Quem

Quem ego dixi votis.] Scilicet c. 13. & ibi exposuimus.

*Si me persecuti sunt.] Id est, sicut me persecuti sunt, ita etiam vos persequentur: vbi nota conditionem quæ per se nihil certi statuit, solere in Sacra scriptura addi præterito cuius significatio immutabilitatem habet, vt futurum quod postea ponitur, & natura sua mutabile est, etiam immutabilitatem habere significetur, & latet sæpe in hac locutione argumentatio à minori ad maius, vt Matth. 10. *Si patrem familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius ita nunc; si me persecuti sunt, &c. si sermonem meum, &c. quod etiam in vsu esse videmus apud prophenos authores, vt apud Virg. 4. Aeneid.**

Præterito
conditionem
addi in Scri-
ptura solia-
tum.

*Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre soror potero.*

*Propter nomen meum] Id est, quia mei vocamini & estis, idemque est, ac si diceret, propter me: vnde utroque modo dicere solet eandem rem significans, vt Matth. 5. & dixerint omne malum aduersum vos mentientes propter me. & c. 10. & eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, & Act. 5. Præcipiendo, præcepimus vobis ne diceretis in nomine isto, id est, ne prædicaretis Iesum. Ex quo exponi potest optimè illud Act. 8. quod sæpe in illo libro repetitur, Baptizati tantum erant in nomine Iesu; nihil enim aliud est baptizari in nomine Iesu, iuxta phrasim Scripturæ sanctæ, quam baptizari in Iesu, vt videmus, baptizari autem in Iesu, est baptizari eius Baptismo Gal. Tertio. *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Act. 19. In quo ergo baptizati estis, id est, cuius baptismus baptizati estis: qui dixerunt, *In Ioannis baptisme his auditis, baptizati sunt in nomine Domini Iesu, id est, Baptismo Domini Iesu.**

In nomine
Iesu, idem
quod in
Iesu.

Quia nesciunt eum.] Loquitur de scientia fructuosa, id est, de cognitione coniuncta cum operibus.

*Peccatum non haberent.] Scilicet infidelitatis nam Iudæi ante aduentum Christi fideles erant, quoniam credebant Christum esse venturum, at cum venit, inciderunt in peccatum infidelitatis, nolentes credere iam venisse Messiam, ipsūmque esse, qui loquebatur; quam veritatem Christus comprobauit faciendo maiora, & plura miracula, quā nullus unquam fecerat, vt c. 9. *A seculo non est auditum quod quis aperuit oculos cœci nati, &c.* Confirmauit etiam ex Scriptura sancta, vt vidimus Ioan. 10. in fine, & propterea illi iam erant inexcusabiles.*

Iudei fideles
ante adven-
tū Domini.

Qui me odit, & Patrem meum odit.] Ratio est, quoniam ego in nomine eius veni, & quæ ille me loqui vult, loquor, atque ex hoc intelligitur quā graue sit eorum peccatum.

Sed ut adimplatur sermo.] Quasi dicat, denique implendum erat, quod scriptum est in lege. De hac phrasim diximus c. 12. in illis verbis, vt sermo Isaia Propheta impleretur.

Qui in lege eorum scriptus est.] Id est, in Psal. 34. vbi dicitur, *Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, &c.* id est, absque illa causa & Psal. 68. *Multiplicati sunt super capillos capitum mei, qui oderunt me gratis.* Nomine autem legis interdum Psalmos. & Prophetas comprehendendi ostendimus Ioh. 10. in illis verbis, *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dic estis?* & ratio est, quoniam apud Hebreos ἡγέρνηται, id est, *lex*, dicitur à verbo ἡγέρνηται, quod in tertia coningatione significat docere quid faciendum, aut quid fugiendum sit, vnde ἡγέρνηται idem est, quod legislator, sive docttor, ut diximus Iohannes 2., in illis verbis, *quia dedi vobis doctorem iustitiae*, inde lex ponitur aliquando pro doctrina quam Deus seorsum docet iustos per internam inspirationem, sive per externam doctrinam, ut Psal. 24. *Quis est homo qui timet Dominum, legem statuet ei in via quam elegit.* & ibidem, *dulcis, & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via*, id est, docebit errantes, & nescientes, quā sit eundum: quamobrem recte hoc nomen tribuitur omnibus libris sacris, in quibus per Prophetas suos docet nos Dominus viam salutis, sed per antonomasiā quādam libris legis.

Cum autem venerit Paracletus.] Id est, quamvis abunde illis demonstrauerim diuinitatem meam, & sint iam inexcusabiles, tamen adhuc magis demonstrabo per aduentum Spiritus sancti, qui perhibebit de me testimonium veniens de cœlo tantummodo in vos, qui in me credidistis, ac deinde in eos qui per prædicationem vestram credent, ita ut omnibus notus sit eius aduentus, cùm videant vos linguis loqui, & Scripturas explicare, & miracula facere; vos etiam prædicando Euangelium perhibebitis testimonium omnibus de me, & de doctrina mea, & operibus, cùm mecum fueritis ab initio, quo docere homines cœpi, & inter eos versari.

Quem ego mittam vobis à Patre.] Hactenus semper dixerat Spiritum sanctum esse mittendum à Patre, nunc à se mittendum dicit, ut doceat se habere omnia quae habet Pater, & doceat se quoque esse principium Spiritus sancti: quod autem dicit à Patre, planus sensus, & apertus est, cùm ego ad Patrem ascendero, id est, quem mittam vobis ē cœlo. Theophylactus exponit, à Patre, id est, probante, Patre, & simul mittente. Tertiò potest intelligi dici, à Patre, propterea quod filius à Patre habet, ut Spiritus sanctus ab ipso procedat, & quod eum mittat. Quartò, quod mihi magis placet, mittam vobis Spiritum illum, qui est apud Patrem, ut ei coæternus, & consubstantialis.

Spiritus veritatis.] Hoc exposuimus c. 14. in illis verbis, *Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere.*

Qui à Patre procedit.] Cùm Spiritus sanctus etiam procedat à filio, vt fides catholica docet, quæritur cur tantum dixerit Christus, qui à Patre procedit. Propter hoc Iansenius c. 135. & Montanus dicunt, hæc verba non intelligi de processione æterna, sed de missione temporali, qua mittitur ad creaturas. Probatur primò, quia similiter loquitur de

Spiritus sanctus quomodo dicitur tantum procedere à Patre.

se filias cùm agit de sua missione tempotali , Ioan.8. *Ego enim ex Deo processi , & veni , &c. 16. Exini à Patre , & veni in mundum.* Secundò probatur ex Nonno , & Beda posita intellexisse dicit : Verba autem Bedæ habentur in 7. tom. in homiliis de tempore æstivalibus ; in homilia Dominicæ. Exaudi , & sunt huiusmodi , cùm datur Spiritus sancti gratia hominibus mittitur à Patre , & à filio , quia eius missio ipsa est processio , qua ex Patre procedit , & à filio . Tertiò probatur , quoniam in Greco loco præpositionis , à , non ponitur præpositio εν , quæ pertinet ad æternam processionem , sed præpositio παρα , quæ magis pertinet ad temporalem missionem : nihilominus hæc expositiο minimè recipienda est , quoniam aduersatur communi veterum Patrum expositioni , vt Chrysostomi Cyrilli , Theophylacti , Euthymij , & denique omnium , qui de processione Spiritus sancti loquuntur. Præterea in Concilio Florentino ex hoc loco Græci potissimum argumentum depromebant contra Latinos , vt probarent Spiritum sanctum non procedere à filio , & tamen Latini Patres nunquam propterea negarunt Dominum loqui de æterna processione .qua responsione facilè potuissent cludere argumentum , sed semper ut verissimum concederunt , vt patet ex sessione 23. & etiam ex 18. & sequentibus. Vnde Iansenius non est ausus postea hanc expositionem reiicere , licet priorem prætulerit. Patet hoc ex ipso contextu ; cùm enim dixit , *quem ego mittam vobis à Patre* , loquitur de temporali missione . quare superfluum esset iterum de eadem dicere , qui à Patre procedit : hoc ergo dicit , *Mittam vobis Spiritum veritatis , qui vos docebit omnem veritatem , & ut sciatis eum hoc posse prestare , scitote à Patre æterna processione eum procedere :* quare cùm sit in Patre , nouit omnia quæ sunt in Patre . ita intelligunt Chrysostomus , & Euthymius , & hoc est quod Paulus argumentatur prima Cor. 2. *Quis enim hominum scit , quæ sunt hominis , nisi Spiritus hominis qui in ipso est ? Ita & quæ sunt Dei , nemo cognovit nisi Spiritus Dei , scilicet , quia in ipso Deo est , & ab ipso procedit.* Ad Iansenium respondeamus , illud verbum , ex Deo processi , intelligi de æterna generatione , ut suo loco probauimus aduersus eundem Iansenium . idem intelligendum est de secundo loco , atque ideo in utroque additur alterum verbum pertinens ad missionem temporalem ; ut cùm dicit , *ego ex Deo processi , & veni ; exiui à Patre , & veni in mundum ; & similiter intellexerunt Patres Concilij Florentini , tam Græci , quām Latini sessione 18. & sequentibus* ; quare meritò præferenda est communis sententia Sanctorum sententiæ Nonni , & Bedæ , quod erat secundum argumatum Iansen . Ad secundum respondeatur utramque præpositionem idem valere apud Græcos , & ita Græci veteres , & recentiores intellexerunt , vt videmus . Ad quæstionem ergo respondeatur Dominum manifestè ostendere in hac concione Spiritum sanctum etiam procedere à se , cùm ait , *Quem ego mittam vobis à Patre ;* nunquam enim persona mittitur , nisi ab ea , à qua procedit ; ideo Pater nunquam legitur missus , filius legitur missus à Patre , nunquam à Spiritu sancto ;

nisi postquam homo factus est. Præterea ut Latini respondeant Græcis in Concilio Florentino sessione 23. quomodo intelligi debeat hæc verba, qui à Patre procedit, ab eodem Ioan.c.16. clarè exponitur, dicente Domino: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Si enim omnia quæ habet Pater, Filii sunt; ergo ipse etiam spirat Spiritum sanctum. ita hoc intellexerunt omnes Patres eiusdem Concilij. Vnde in litteris vniuersa Synodus ait, *Et quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito filio suo dedit prater esse Patrem, hoc ipsum quod spiritus sanctus procedit ex filio, ipse filius à Patre eternaliter habet, à quo etiam eternaliter genitus est.* Præterea non posset filius dicere, *de meo accipiet*, nisi Spiritus sanctus ab ipso procederet, nunquam enim legitur in Scriptura, nec in Conciliis, nec in Sanctis, Patrem accipere aliquid à filio, aut à Spiritu sancto, aut filium accipere à Spiritu sancto, nisi quatenus homo est. Secundò dicimus, non dixisse Dominum à se procedere Spiritum sanctum, quia omnia quæ authoritatis sunt, vbiique tribuit Patri, quoniam ab ipso simul cum essentia accepit omnia quæ habet: vt cùm dicit Ioan.3. sic Deus dilexit mundum, vt filium suum unigenitum daret, Patri hoc tribuit, cùm tamen etiam seipse dederit, similiter facit c.10. *Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, &c.* cùm etiam ipse sua virtute ficeret. &c. c.14. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo;* cùm tamen ipse etiam eum mittat, vt vidimus. Præterea ibidem, *ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* quibus verbis docet Spiritum sanctum à se procedere, & statim totum hoc tribuit Patri, dicens, *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Eodem modo loquitur de Spiritu sancto, nam cùm dixisset ille vos docebit omnem veritatem, hoc refert ad se ipsum dicens, *non enim loquetur ab sè-metipso, &c. & de meo accipiet.* atque ita omnia tandem refert ad Patrem, quoniam ipse est principium cæterarum personarum: & eadem ratione Ecclesia in precibus semper fere Patrem alloquitur, propterea dum veritas hæc ita intellecta est, Ecclesia tantum dicebat in Symbolo, *Credo in Spiritum sanctum ex Patre procedentem*, quod Symbolo Nicæno addidit Concilium primum Constantinopolitanum, nam in Nicæno tantum dictum erat, *Credo in Spiritum sanctum*; sed postquam cœptum est dubitari, addidit Ecclesia, *ex filioque*, vt Latini docent in Concilio Florentino sessione 7. quod etiam veteres Patres Græci docuerunt, nempe Spiritum sanctum procedere à Filio, vt latè probatur ibidem sessione 18. & 25. & à Besatione Cardinale Greco in oratione pro vniione c. 7. quæ est in fine eiusdem Concilij. Propterea etiam Græci recentiores concedebant Spiritum sanctum procedere à Patre per filium, sed negabant procedere ex filio, quoniam, vt ait ibidem Besarion. c.6. præpositio, *ex*, apud Græcos significat principium principale, aut causam principalem, vt ipsi loquuntur, putabantque Latinos affirmare Spiritum sanctum procedere principaliter à Filio, ac si filius esset principium principale Spiritus sancti distinctum à Patre. Sed postquam Latin

tini cœperunt profiteri se non ponere duo principia Spiritus sancti, nec facere filium principium potissimum, sed habere eum à Patre quod Spiritus sanctus ab ipso procedat, doctissimi quique Græcorum, ut Beſarion, & alij cœperunt Græcos hortari ad vniōnem cum Latinis, vt patet ex ultima ſeſſione affirmandoſe Latinos nullo modo diſcrepare ab Orientalium Patriū Theologia. *Et vos testimonium perhibebitis.* Græci codices habent, nunc perhibebitis; ſed melius legi in futuro res ipsa in-dicat. nam Apoſtoli non perhibebant tunc testimonium, ſed perhibe-turi erant poſt reſurrec-tionem, ut Actu 4. Scriptum eſt, & virtute magna redde-bant Apoſtoli testimonium reſurrec-tionis Ieſu Chriſti Domini noſtri. ita, ut diximus, legunt Auguſtinus & Theophylac-tus, & Euthymius, ex quo probabile eſt, & Chrysotomus ita legiſſe. Præterea etiam ſi lega-tum in Græco μαρτυρεῖ intelligendum eſt imperatiui eſſe, quamuis poſſit etiam eſſe indicatiui. Sed imperatiui eſſe intellexit Cyri-lus: & erit ſenſus, ſicut Spiritus sanctus teſtimonium perhibebit de me, ita & vos perhibebo: & hoc recte ſignificari po-teſt per futurum perhibebitis, nam Futurum
pro Impera-torio in Scri-
ptura fre-gueris.

Z z 2 SANCTVM



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T XVI.

1. **H**ec locutus sum vobis, ut non scandalizemini:
 2. Absque synagogis facient vos: sed venit hora,
 ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium
 se prestare Deo. 3. Et hac facient vobis, quia non
 noverunt Patrem, neque me. 4. Sed hac locutus
 sum vobis: ut cum venerit hora, eorum reminiscamini, quia ego di-
 xi vobis. 5. Hac autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum
 eram: Et nunc vado ad eum, qui misit me; & nemo ex vobis inter-
 rogat me, Quò vadis? 6. Sed quia hac locutus sum vobis, tristitia
 impleuit cor vestrum. 7. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vo-
 bis ut ego vadam: si enim non abiero, Paracitus non veniet ad vos:
 si autem abiero, mittam eum ad vos. 8. Et cum venerit ille, arguet
 mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. 9. De peccato qui-
 dem, quia non crediderunt in me: 10. De iustitia vero, quia ad Pa-
 trem vado, & iam non videbitis me: 11. De iudicio autem, quia
 princeps huius mundi iam iudicatus est. 12. Adhuc multa habeo vobis
 dicere: sed non potestis portare modo. 13. Cum autem venerit ille
 Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur
 à seipso: sed quæcumque audiet, loquetur, & quæventura sunt
 annunciat vobis. 14. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, &
 annunciat vobis. 15. Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt.
 Propterea dixit quia de meo accipiet, & annunciat vobis. 16. Mo-
 dicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis
 me: quia vado ad Patrem. 17. Dixerunt ergo ex discipulis eius ad
 iniçē: Quid est hoc, quod dicit nobis: Modicum, & non videbitis me:
 & iterum modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem? 18.
 Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, Modicum? nescimus quid
 loquitur. 19. Cognovit autem Iesus, quia volebant eū interrogare &
 dixit eis: De hoc queritis inter vos, quia dixi, Modicū, & nō videbitis
 me:

me : & iterum modicum, & videbitis me. 20. Amen, amen dico vobis : quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit : vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. 21. Mulier cum parit, tristitia habet, quia venit hora eius : cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. 22. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem video vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. 23. Et in illo die me non rogabitis quidquam. Amen, amen, dico vobis : si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. 24. Usque modo non petistis quidquam in nomine meo : Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. 25. Haec in proverbiis locutus sum vobis. Venit hora, cum iam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de Patre annunciaro vobis. 26. In illo die in nomine meo petetis : & non dico vobis, quia ego rogaro Patrem de vobis : 27. Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis, & credidistis, quia ego a Deo exiui. 28. Exiui a Patre, & veni in mundum : iterum relinquo mundum, & vado ad patrem. 29. Dicunt ei discipuli eius : Ecce nunc palam loqueris, & proverbum nullum dicis. 30. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi ut quis te interroget : in hoc credimus quia a Deo existi. 31. Respondit eis Iesus : Modo creditis? 32. Ecce venit hora, & iam venit, ut disperganimi unusquisque in propria, & me solum relinquatis : & non sum solus, quia Pater mecum est. 33. Haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis : sed confidite, ego vici mundum.

I N C A P V T X V I . S A N C T I
IESV CHRISTI EVANGELII
S E C V N D V M I O A N N E M ,
C O M M E N T A R I A .

HEC locutus sum vobis.] Scilicet, quæ dixi de persecutione & odio mundi in vos, & etiam de aduentu Spiritus sancti vos confirmaturi.

Ut non scandalizemini, &c. id est, ne offendatis in via æternæ viræ, qua ibatis, & recedatis a me, quasi ego eam non prænouerim, aut

Z z 3 vos

vos admonere voluerim aut quasi intolerabilia sint, quæ patimini, & præter opinionem acciderint.

Absque synagogis facient vos.] Hoc exposuimus cap.9. dum ait, *extra synagogam fieret.*

Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, &c. id est, iam proximum est tempus, quo vos acerbissime persequentur; cum enim aliquis odio ardet, & vindictæ cupiditatem excusat specie obsequendi Deo, tunc sine ullo modo persequitur inimicitias, & laedit quantum potest, quia desunt duo, quæ maximè auertere homines solent, ab huiusmodi facinoribus, id est, hominum verecundia, & timor, & interna conscientia reprehensio. Vbi nos habemus obsequium, in Græco est, *λατρεία*, quasi dicat, putabunt se offerre Deo sacrificium gratissimum, ita Cyrillus, & opus insignis pietatis facere, & maximæ religionis; loquitur autem de Iudæis, ut ait Cyrillus, & Augustinus, & S. Thomas, nam Gentiles occidentes Apostolos, non putabant se obsequium praestare Deo, sed diis, licet Lyranus, etiam de Gentilibus intelligat: at coniunctio illa aduersaria, sed, obscuram reddit orationem, non videtur namque nunc aduersari, sed potius aliquid adiungere, simile ei, quod præcesserat. Quæritur ergo, quomodo hic posita sit. Propter vim huius coniunctionis Augustinus tract. 93, putauit id quod sequitur positum esse ad consolationem Apostolorum; quasi dicat, efficient vos Iudæi, sed ego vos colligam, & tantam hominum multitudinem ad me conuertetis, ut Iudæi metuentes ne templum suum & lex deseratur, interfecti sint vos, maximum hac cæde honorem se Deo habere existimantes, quod eius templum legemque defendant. Augustini sententiam sequuntur Beda, & glossa vtraque, & alij. Idem Beda in homiliis æstinalibus explicans hoc Euangelium, aliter explicat hanc consolacionem his verbis: *Bella quidem passuri estis a vestris contribulibus, sed hoc tolerabilius suscipite, quod non tam odio vestri, quam diuina legis emulazione hæc vobis ingerentur.* At vero sciendum est, apud Hæbreos 14 coniunctionem aduersariam, pro qua Latini dicunt, sed, aut, veruntamen, & Græci ἀλλα, aliquando ponit in principio dictio, non causa significationis, sed ornatus, more Hebraeorum, quod in aliis particulis facere solent, ut in, &, & quoniam, atque ideo saepe omittitur a nostro Interpretate, ut Leuit. 13. Decimo die mensis huius septimi dies expiationum erit. Et Num. 13. *Aurum & argenum, & as, & ferrum.* Quibus locis ponitur in principio coniunctio, aliquando ponitur ab Interpretate, sed, aut aliquid æquivalens, sed ita ut officium aduersariæ minimè exerceat, sed ut tantum expleat orationem & ornnet, & continuet quodammodo cum præcedentibus, ut Psal. 38. *Veruntamen universa vanitas omnis homo viuens;* veruntamen in imagine pertransit homo, sed & frustra conturbatur. Vbi nos habemus, veruntamen, &c, sed, &, in Hebreo est, vnde L X X. aliquando vertunt pro ea, &, ut Leu. 23. aliquando vtuntur particulis quibusdam expletius, ut πάτω, aut, πέρτη, γιτι, aliquando vero ita ponitur ac si subintelligendum sit, non

Veruntamen, sed
&
vocula.

non solum, vt 2. Corinth. 7. Ecce enim hoc ipsum, secundum Deum contristari vos: quantum in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed emulationem, sed vindictam; id est, non solum operatur sollicitudinem, sed etiam defensionem; nec solum defensionem, sed etiam indignationem, &c. aut, quod idem est, in d. & defensionem, in d. & indignationem, &c. sicut vertit Interpres Chrysoftomi; & Chrysoftomus ipse videtur intellectus; scholia Graeca, quæ collegit OEcumenius, docent in his particulis omnibus, sed, accipi pro &: quod dicitur quidem recte, sed melius tamen accipitur, vt modò diximus, atque ita nunc cum dicit, sed venit hora, vt omnis, qui interficit, &c. coniunctio, sed, potest capi pro &, sed melius exponitur ad hunc sensum, non solum è synagogis suis vos eiicent, sed etiam occident, putantes se Deum coleare, vt aperte exposuerunt Cyrillus & Theophylactus: prior expositio erat Euthymij.

Sed hac locutus sum vobis.] Id est, ista quidem patiemini, sed ego aduersus illa antidotum vobis porrigo, quod memineritis me, vt qui Deus sim, ista minimè latuisse, & potuisse vitare si vellem, & mihi vt Deo confidatis: pronomen autem, eorum, cum verbo reminiscamini, iungendum est; vt aperte patet ex Graeco. Cæterum verbum reminiscamini, reprehendunt Erasmus, & Caietanus, & quod non dicitur reminisci, nisi eorum, quorum iam eramus obliiti. Sed respondet hoc verbum à Cicerone usurpari aliquando pro recordor, & apud Ouidium lib. 1. de Ponto. eleg. 9. ita ponitur, cum ait;

Nam modo vos animo dulces reminiscor amici.

Hac autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.] Id est, potuissem, & antea ista vobis prædicere, sed non fuit necesse, quoniam dum ego vobiscum essem, nihil aduersi passuri eratis: nunc cum abeo, & cum necesse, dico. Est tamen dubium quomodo hoc verum esse possit, cum sæpe hæc eadem illis prædixerit, vt Marci 13. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis vapulabitis, &c. Et Luke 21. Sed ante hac omnia iniicierunt vobis manus suas, &c. immo multo antè cum misit Apostolos ad prædicandum Matth. 10. Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum, &c.

Propter hoc Augustinus tract. 94. non refert pronomen, *hec*, ad mala, quæ passuri erant Apostoli, sed ad ea, quæ dicta fuerant à Domino de aduentu Spiritus sancti; quasi dicat, non opus fuit diceare vobis de aduentu Spiritus sancti, quandiu vobiscum eram, sed nunc cum à vobis discessurus sum: Hanc expositionem refellit Iansenius, quoniam cum dixit, *hac locutus sum vobis*, vt cum vere sit hora, eorum reminiscamini, non est dubium locutum fuisse Dominum de malis quæ passuri erant. Cum autem subdit, *hec autem vobis ab initio non dixi*, etiam notum est de illis opus loqui, quæ proximè præcedebant. Augustinum sequuntur Beda, Rupertus,

Reminiscor,
pro recordor.

Rupertus, & glossa ytraque. Posset secundò iste locus explicari ad hunc modum: Non dixi vobis ab initio, id est, cùm vocauit vos primò ad Apostolatum, quoniam tunc non eratis apti rebus huiusmodi audiendis, & ego vobiscum eram, in quæ tantummodo totum tribulationum pondus vertebatur; ita videtur intellectus Cyrilus, & Albertus Magnus idem sentit, & Titelmanus, & Claudius, & Arboreus, & Montanus. Verùm contra hanc solutionem, est, quod paulò post hæc illis dixit, cùm misit eos ad prædicandum: si autem non dixit cùm vocauit eos ad apostolatum, quia erat cùm illis, ergo nec postea dicturus erat, cùm misit ad prædicandum, quia etiam tunc erat cùm illis. Quare non videtur cum hac expositione recte cohædere ratio Domini. At verò Chrysostomus homil. 77. dupliciter exponit. Primò dixit eis ab initio verbēa, & expulsiones, sed quòd eorum mors ita esset appetenda, vt qui eos occiderent, putarent se obsequium præstare Deo, nūquām dixerat. Secundò Matth. 10. prædixit eis quæ passuri erant à Gentilibus, vt patet ex illis verbis, *Anteregetes, & presides ducentini*; nunc autem dicit quæ passuri sunt à Iudæis, vt patet ex illis verbis, *absque synagogis facient vos*, docētque ista, & multo grauiora esse, & hoc est quod illis ab initio non dixerat. Priorem Chrysostomi expositionem sequitur Euthymius, & Caietanus; posteriorem verò Theophylactus, & S. Thomas, & Iansenius, quamvis S. Thomas etiam proponit expositionem Augustini. At Iansenius aliam magis probat, nempe ea, quæ Matth. 10. leguntur non tunc dicta esse Apostolis cùm ad prædicandum missi sunt, sed propter loci opportunitatem inserta esse ab Evangelista per anticipatiōnem. Hoc latius confirmat cap. 55. his argumentis. Primò quòd cùm missi sunt ad prædicandum per Iudæam, nullam persecutionem passi sunt, & ita non opus erat eo tempore dicere. Secundò, quoniam illa intelliguntur de persecutione Gentilium; tunc autem prohibiti sunt prædicare Gentilibus: *In viam gentium ne abieretis*, &c. Tertiò, quoniam omnia ferè, quæ sunt in eo loco Matth. ab illis verbis, *Ecce ego mitto etos*. Marcus, & Lucas commemorant dicta alio tempore, & diuersis locis: ex quibus infert dicta fuisse post resurrectionem cùm mitrebantur ad Gentes; posita autem esse ibi propter materiarum conuenientiam: quemadmodum sermo in monte habitus, qui breuiter scriptus est à Luca c. 6. prolixè scribitur à Matth. c. 5. 6. & 7. quoniam conuertit ibi multa propter eorum aptissimam cohærentiam. Mihi diu cogitanti hæc Iansenij responsio nequaquam videtur vera, quoniam et si id fiat ab Evangelistis, vt copulent quasi simul dicta, quæ diuersis temporibus dicta sunt, propter rerum ipsarum propinquitatem, & similitudinem, quemadmodum historici omnes faciunt, qui, vt doceant quid ille, de quo scribunt historiam, de re aliqua senserit, simul proponunt, quæ ab eo diuersis temporibus dicta sunt, ita fecit Matth. c. 3. apud quem multa verba Ioan. Baptista simul leguntur, quæ non sunt simul dicta, vt ex c. 1. Ioan. intelligi potest, & nos ibi adnotamus:

uimus: quamuis hoc, inquam, ita sit, tamen ubi certus locus signatur, aut certum tempus, quo sermo habitus est, & illo loco, vel tempore ab Euangelista dicitur habitus, durissimum videtur docere, admixta esse alia, quae ibi dicta non sint. v. g. cum commemorat Ioan. cap. 13. quæ Dominus in cænaculo locutus est, usque ad illud c. 14. *Surgite eamus hinc*, nemo audebit negare omnia dicta esse illo tempore, & loco, quoniam hoc in principio sermonis, & in fine Ioannes indicauit. Idem iudicium est de eo, quod sequitur cap. 15. *Ego sum vitis vera*; &c. Donec dicit, *Hæc cum dixisset Iesus egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron*. Similiter Matth. 5. legimus, *ascendit in montem, & cum sedisset, &c.* & in fine eiusdem sermonis cap. 7. & factum est cum consummasset Iesus verba haec. Nemo dicere potest aliqua ibi esse admixta, nouara enim id, & durura esset: idem fit in illo sermonе Matth. 10. quoniam ibi certum tempus signatur in principio, & in fine, ait enim, *Hos duodecim misit Iesus, præcipiens eis, dicens, &c.* Et cap. 11. & factum est cum consummasset Iesus, præcipiens discipulis suis, transit inde, &c. quod in cap. 3., ubi verba diuersorum temporum narrantur, non fit; quod autem aliqua ex his sermonibus aliis locis narrantur ab Euangelistis, nihil obstat, ut putauit Iansenius, quoniam aliis atque aliis sermonum suorum locis multa iterat Dominus, quæ alibi iam dixerat, ut eisdem verbis docet Augustinus 2. de consensi. Euang. cap. 30. in fine: quo canone usus est ad conciliandos Euangelistas eodem lib. 2. cap. 19. & aliis locis, & passim hoc in Euangelistis obseruauimus. Ad primum ergo argumentum Iansenij, & ad secundum respondetur, Apostolos missos esse per Iudeam quasi discendi, & experiendi causa, ut illa missio esset præludium quoddam maioris, & difficilioris missionis, qua per orbem dispergendi erant, & ideo docet eos Dominus non solum, quæ illi tempori erant necessaria, sed etiam, quæ in secunda missione passuri erant, quemadmodum si quis tyronem in ludicro certamine doceat, quæ non multo post in vero iuuet didicisse, quandoquidem ludus ille gratia veri certaminis exercetur, atque ita Chrysostomus homil. 34. in Matth. & Euthymius, & Theophylactus ibidem cap. 10. intelligunt illa omnia tunc dicta esse propter futurum tempus post ascensionem. Ad tertium respondimus iam ex canone Augustini. Ut igitur ad dubium propositum respondeamus, dicimus utramque Chrysostomi solutionem iungendam esse, ut sit sensus, dixi vobis antea multa vos passuros fore à Gentilibus, sed non dixi quām grauiter vos persecuti essent Iudei; & quamuis dixerim eos quoque sauituros esse in vos, non tamen dixi, atrociter, ut nunc, sed queritur modū, quomodo ratio Domini, quia vobiscum eram, coheret cum his, nam ita nec ea dicere debuisset, quæ passuri erant à Gentilibus, quandoquidem ipso cum eis manente nihil passuri erant. Ego ita intelligo: Ab initio non dixi vobis haec de persecutione Iudeorum, quoniam vobiscum manebam,

Ribera in Euang. Ioan.

A A a

&

& poteram, cùm vellem, dicere, nunc autem cùm à vobis discedam, non potui non dicere: & propterea statim subdit, *& nunc vadō ad eum, qui misit me, &c.* Itaque Dominus non dixit hæc ab initio, quia infirmi erant, & vehementius terrentur. Primo, quoniam mala ipsa preferenda à Iudæis, erant multo grauiora. Secundo, quoniam citius erant preferenda, ante scilicet, quām in Gentes dispergerentur, & mala quo viciniora sunt, eo magis terrent. Tertio, quoniam multo grauius est à suis aliquem affligi, quām ab alienis, iuxta illud Psal. 54. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuisse utique.* Attemperauit ergo se Dominus imbecillitati Apostolorum, & ideo cùm eos ad apostolatum vocauit, nihil de tribulationibus dixit; deinde cùm eos misit ad prædicandum, dixit de malis quibus à Iudæis, & à Gentibus erant affligendi; sed minora erant, & magis distabant, nunc dicit grauiora, & iam imminentia.

Et nemo ex vobis interrogat me, quò vadis.] Quæritur quomodo hoc verum sit cùm Petrus cap. 13. quæsierit, *Domine quò vadis, &c.* 14. dixerit Thomas quasi interrogans, *Domine, nescimus quò vadis.* Respondet cum lansenio eos interrogasse quidem, sed cùm Dominus sub obscurè respondisset, adhuc interrogare debebant, vt melius explicarent quò iret, id est, quæ gaudia, quam gloriam, quod imperium esset habiturus, & quantum eos inde esset adiuturus: atque ideo tacite eos reprehendit, quod non interrogarent mætre impediti, nam multum consolationis ex responsione acciperent. Est præterea amicorum multa ex discedentibus amicis quærere, de loco ad quen- eunt, & de rebus etiam minutissimis, quod hortantur, vt faciant deposito mætre.

Expedit vobis, vt ego vadam.] Quasi dicat, ideo utilitatem vestram potius spectare debeo, quām voluptatem, expedit autem, quoniam Apostolorum affectus in præsentia Domini corporea immorabatur, nec apti erant accipiendo Spiritui sancto, quia amore quodam carnis Christum diligebant. Vide Augustinum tract. 94. Et quod diximus cap. 7. in illis verbis, *nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus non erat glorificatus.* Cæterum, vt norat Chrysostomus homil. 27. diuinitatem Spiritus sancti his verbis ostendit: nam si creatura esset Spiritus sanctus, quomodo expediret Apostolis, vt eius loco veniret creatura, Christum ab eis recedere, qui Dens est. Constat ergo æqualem esse ei. Sed non aliquis propterea Spiritum sanctum filio crederet, ait, *mittam eum ad vos.*

Arguet mundum de peccato.] Id est, redarguet, conuincent, quam significationem indicauimus Ioan. 8. in illis verbis, *Quis ex vobis arguet me de peccato.* Est ergo sensus, cùm venerit Spiritus sanctus, & vos impleuerit sapientia, & varietate linguarum, & per vos miracula fecerit ad nomen meum illustrandum, conuincent mundum, quod magnum peccatum commiserit, non credendo in me. Ita factum videmus,

A&t. 2. His auditis compuncti sunt corde , & dixerunt ad Petrum , & alios Apostolos , quid faciemus viri fratres . Cæterum vbi nos habemus , Quia non crediderunt in me , in Græco est , Quia non credunt in me , & ita legunt Theophylactus , & Euthymius , & ita videtur legisse Augustinum . Latini codices , quidam habent , credunt , plures verò habent crediderunt , idéoque magis hæc lectio sequenda est , quamvis nihil referat ad sensum . De iustitia verò , quia ad Patrem vado , id est , conuincet Iudeos me verè esse iustum , quandoquidem ad Patrem vado , atque ille me recipiet apud se , & inde Spiritum sanctum mitto in discipulos meos . hoc facturus erat Spiritus sanctus , quoniam Iudei dicebant Ioan . 5. Non est hic homo à Deo , & cap . 8. Nōnne bene dicimus , quia Samaritanus es , & demonium habes ? Et cap . 78. Si non esset hic malefactor , non ibi tradidissimus eum . Sed queritur , quid ad hunc sensum faciant illa verba , Et iam non videbitis me . Respondet hunc esse eorum sensum , ad Patrem vado perpetuò cum eo regnaturus , nec iam amplius inter homines commoraturus ; quasi diceret , non latebo ad tempus fictione vtens , & postea ad vos redibo , sed semper cum eo ero : ex quo mea iustitia & sanctitas plenè demonstrabitur , cùm verè me Pater apud se receperit , atque ita videtur intellexisse Chrysostomus .

De iudicio autem , quia Princeps huius mundi iam iudicatus est .] Princeps mundi vocat diabolum , ut in fine cap . 14. exposuimus ; iudicium autem accipit pro condemnatione , ut sèpe notauimus , ut cap . 12. Nunc iudicium est mundi . Relictis igitur variis horum verborum expositionibus mihi ita omnino videntur intelligenda . Arguet mundum de iudicio , id est ; conuincet mundum , quod damnatione dignus sit & verè sit damnandus , nisi in me crediderit , quoniam diabolus iam iudicatus est , id est , damnatus , & ejectus è regno suo , id est , ex animabus hominum , quas possidebat , quod ostendet Spiritus sanctus cùm per prædicationem vestram , & testificationem nominis mei pañim conueretur magna hominum multitudo , & diabolo admetur . Si ergo planè cernetur eum , qui antea Princeps mundi erat , expelli per me , & cuerti ipsius regnum , paretur quoque me à Deo missum esse ad salutem hominum , & ad eversionem tyrannidis diaboli , simùlque cum eo omnes esse damnandos , qui me relicto illi adhæserint . Est igitur illud , quod Lucæ 11. legimus , Si in digito Dei euicio demonia pereuenit in vos regnum Dei , cùm fortis armatus custodit atrium suum , in pace sunt omnia , que possidet : si autem fortior illo superuenerit .

Adhuc multa habeo vobis dicere .] Hoc exposuimus cap . 15. in illis verbis , Quia omnia quæcumque audiui à Patre meo , nota feci vobis . Hoc autem ait , nunc non estis apti ad audiendum , cùm tristitia obruamini , & parum diuina capiatis , donec veniat Spiritus sanctus , & vos doceat , eo autem docente , ego vos doceo , quia à me accipit omnia , à quo procedit , ille claritatem , & gloriam meam vobis demonstrabit , quia à me accipiet omnia quæ dicturus est vobis , & ita per

Princeps mundi dia-
bolus .
Iudicium
pro condem-
natione .

ipsum vobis loquar , & me demonstrabō vobis : nec mitemini quod de Spiritu sancto dixerim , de meo accipiet : nam ego per aeternam generationem accepi à Patre omnia , quae ipse habet , & ideo accepi ab ipso , quod vnum sim cum ipso principium Spiritus sancti ; quomodo autem filius omnia Patri tribuat propter autoritatem principij , & originis , diximus cap. 15. in illis verbis , Qui à Patre procedit . Cūm autem dicit omnia quae habet Pater mea sunt , intelligendum est , omnia præter esse Patrem , vt explicuit Concil. Florent. in litteris vñionis ; quare non sequitur , quod Sabelliani volebant eandem esse Patris filiique personam , vt enim ait Didymus lib. 2. de spiritu sancto , non dixit omnia quae habet Deus , mea sunt , sed , omnia quae habet Pater : itaque Patris nomine se filium esse declarauit , non paternitatem vñtpauit , qui filius erat . Ex illis autem verbis , & que ventura sunt annunciat vobis , manifestè colligimus Apostolos habuisse spiritum prophetiæ , vt notat S. Thomas , atque ita videmus eos frequenter prophetare , vt Paal. 1. Timoth. 4. & 2. Timoth. 3. & 4. Pet. 2. epist. cap. 1. & denique tota Apocalypsis Ioannis prophetia est .

*Apostoli
spiritu pro-
phetia pra-
dicti.*

*Modicum
quid.*

*Duplex loci
inseleccitus.*

Modicum , & iam non videbitis me , &c.] Tripliciter hic locus explicari potest . Primò , Non videbitis me , quia recessurus sum à vobis per mortem , sed postea modicum me videbitis , 40. scilicet diebus post mortem , quibus post resurrectionem vobiscum manebo , quia statim per ascensionem iturus sum ad Patrem . Secundò , *Modicum , & iam non videbitis me , quia vado ad Patrem* , id est , parum vobiscum in terra commorabor , quia citò ascensurus sum in cælum : Deinde post modicum me videbitis , cùm in fine mundi veniam indicaturus : uterque sensus est Augustini tract. 101. Et quidem prior non est improbabilis , de posteriori autem dicemus mox in illis verbis , In illo die me non rogabitis quidquam . Germanissimus tamen omnium tertius est , quem sequuntur Chrysostomus homil. 78. Cyrillus , Theophylactus , Euthymius , Ianuenius , vt , *modicum* , non significet , paruo tempore me videbitis , sed idem valeat quod adhuc modicum , vt cùm dixit cap. 14. *Adhuc modicum , & mundus me iam non videt.* Ita ergo exponitur , post modicum tempus me non videbitis , quoniam citò moriar , crastino scilicet die , sed tamen , cùm hoc contigerit post modicum tempus , me videbitis , cùm tertio die resurgam , quoniam ascensurus sum ad Patrem , & glorificandus ad eius dexteram , ideoque non potero à morte detineri , sed citò resurgam . Quare verba Domini , quibus hæc exponit dubitantibus Apostolis , dupliciter intelligi possunt , iuxta predictos sensus .

Primò , *plorabitis , & flebitis , &c.* id est , vos flebitis , me per mortem subtracto , & tunc Iudæi gaudebunt , sed paulo post vos gaudebitis cùm me resurrexisse videbitis , Iudæi autem dolebunt cùm audient meam resurrectionem , & gloriam & signa , quæ in nomine meo fient . Secundò , *plorabitis vos variis persecutionibus , & laboribus afflicti post meam ascensionem , & mundani gaudebunt ; sed*

ego

sed ego in fine mundi veniam , & eripiam vos , vt mecum in æterna beatitudine gaudeatis. Tertius sensus non differt in his verbis à primo , & ideo diximus hæc verba duplicitate exponi : quare iuxta primum , & tertium sensum cùm dicit , *sterum autem videbo vos* , &c. hoc significat , iterum videbo vos post resurrectionem meam , & gaudium vestrum nemo tollet à vobis , quia immortalis resurgam & iterum mori non potero.

Quid est hoc , quod dicit nobis modicum .] Hanc geminationem verborum exposuimus c. 1. in illis verbis , & confessus est , & non negavit , &c.

Cognovit autem Iesu .] Non coniecturis , sed aperta cognitione , ex quo probatur quod Deus sit , vt ait Cyrillus.

Quia natus est homo in mundum .] Cùm prius puerum dixit , nunc hominem vocat ; hoc autem dicit non tam ad rem de qua est similitudo , id est , ad puerum , quār̄ respicens ad rem , propter quam adducta est similitudo , id est , ad se , qui homo perfectus erat , & per resurrectionem quasi iterum natus erat : unde resurrectio vocatur regenerationem Matth. 19. In generatione , cùm sederit filius hominis , &c. ita Chrysostomus , Augustinus , Theophylactus , Euthymius ex quo intelligimus cur Paul. Actu. 13. probauerit Christi resurrectionem ex verbis. Psal. 2.

*Resurreccio,
regeneratio,
seu iterata
nativitas
dicta.*

Filius meus es tu , ego hodie genui te . nam cùm illa verba , etiam de generatione temporali intelligentur , ideoque afferantur ab Ecclesia in die nativitatis , merito etiam referuntur ad resurrectionem , quæ est iterata quædam nativitas. Si autem aspiciamus in his verbis Euangelistæ ad rem ipsam , ex qua sumitur similitudo , infantulus appellatur homo , quoniam cùm eum mater videt , iam censet se quasi successorem in mundo relinquere , per quem genus suum propagetur , non enim considerat quod tunc est , sed quod post paucos annos erit : quemadmodum Regina gaudet cùm primogenitum peperit , quia Regem se peperisse indicat , &c. *Et in illo die me non rogabitis quidquam .* Pro , *rogabitis* , siue , vt aliis libris legitur , *interrogabitis* , est in Græco , ἐπωνοετε , quod verbum significat rogare , siue interrogare , nec possumus de hoc dubitare , cùm in hoc ipso c. ponatur pro rogare ; & non dico vobis quia ego rogaro Patrem . & c. 14. *Et ego rogaro Patrem , & alium Paracletum dabit vobis .* Pro interrogare autem passim ponitur ; quare Augustinus tract. 101. annotauit hoc verbum significare hæc duo , sed ipse hoc loco accipit pro *rogare* , aut *precari*. Chrysostomus homil. 78. & Theophylactus , & Euthymius utroque modo interpretantur , & quidem Augustini sensum iam dictum sequens , ac videns multa post resurrectionem petuisse à Christo Apostolos , coactus est retexere quodammodo suam priorrem expositionem , & referre hæc verba , & omnia praecedentia , non ad tempus post resurrectionem , vt hactenus fecerat , sed ad cœlestem beatitudinem , quoniam tunc nihil habebunt beati , quod petant , habentes omnia quæ volunt. Sed iste sensus ægrè cum sequentibus coheret , nara cùm dicit Dominus , *in illo die in nomine meo petetis* , difficile

dictu est non loquii de eodem tempore, de quo loquebatur, dicens, *in illo die me non rogabis*, sed illud, *in illo die in nomine meo petetis*, non est dubium non intelligi de beatitudine, in qua sancti nihil opus habebunt petere: At iuxta expositionem quæ nobis magis probata est, dubium est, quomodo hæc verba intelligentur. Respondeatur verbum illud Græcum in utroque sensu accipi posse: si significet *precari*, sensus est, in illo die cum ad vos post resurrectionem redibo, & deinceps non precabimini me, sed satis vobis erit mei nominis invocatio ad omnia impetranda, non indigebitis aduocato: ita Chrysostomus, Theophylactus, & Euthymius, quod ut recte intelligatur, sciendum est Apostolos ante resurrectionem Domini non fuisse solitos a Patre petere pro se, sed a Christo petebant, ut Matth. 8. cum nauicula aperiretur, fluctibus, suscitauerint eum, dicerentes *salua nos Domine*, perimus. &c. 14. *Petrus cum capisset mergi, clamauit, Domine saluum me fac:* aut si quid volebant petere a Patre, orabant Christum, ut ipse pro eis peteret. propterea mœsti erant maximè de Domini discellu, quia iam putabant se non habere, ad quem in laboribus & periculis confugerent, & ideo Dominus toties repetit, *si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*. hoc colligitur satis ex Euangelio; ait enim in hoc c. In illo die in nomine meo petetis, & non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. (id est, de rebus ad vos pertinentibus, ut haec tenus faciebam) ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis: & paulo antè, Usque modo non petistis quicquam in nomine meo: quare hoc dicit nunc, & est sine dubio germanissimus sensus. iam tunc non erit vobis opus ad me confugere, & orare me, ut pro vobis petam a Patre, sed per vos ipsos accedere ad Patrem poteritis, & petere in nomine meo, & nihil vobis denegabit, & propterea cum dixisset, *me non rogabis quidquam*, ut ostenderet, quid pro hoc habituri essent, addidit, *si quid petieritis. Patrem in nomine meo*, &c. Quare hanc lectionem potius amplectendam censem, scilicet, *rogabis quidam interrogabis*. Primo, quoniam Augustinus & Beda cum vidissent verbum Græcum utrumque significare, hoc potius elegerunt: quod similiter fecit Nonnus. Secundo, quoniam plurimi codices Latini, quos ego vidi, & in his quidam antiquus manuscriptus habens, *rogabis*. Tertio, quoniam cum Interpres videret duo significari verbo, *ἐρωτάω*, & in c. videmus, & haberet ad manum verbum Latinum, *rogo*, quod similiter significat *precari*, & *interrogare*, cur non eo uteretur, ut maneret etiam in translatione Latina duplex sensus, sicut est in Græco. Quartò, quoniam, ut probatum est, iste sensus aptissimè in verba Domini conuenit. Sed quoniam multi etiam codices habent *interrogabis*, & Cyrillus hunc sensum secutus est, & simul cum priori assertur a Chrysostomo, Theophylacto, & Euthymio, & est etiam in Syriaca translatione, exponetur a nobis ita, *non me interrogabis*, id est, non necesse habebitis interrogare me, quoniam scietis omnia de quibus

quibus modò dubitatis , & interrogatis , nam & ego vobis mala dicam ; & paulo post , *Spiritus sanctus docebit vos omnem veritatem* ita Chrysostomus , Cyrilus , Theophylactus , Euthymius ; quasi dicat , ita vos implebit *Spiritus* , vt etiam me absente omnia intelligatis , nec desideretis me vt vobis dubitationes soluam : Quod si aliquis obiciat Apostolos post resurrectionem interrogasse Actuum primo *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israhel* , & etiam Petrum , Ioann. ultimo , *Domine hi autem quid?* Respondeatur primò hos Patres intelligere ista verba de tempore post adventum Spiritus sancti . Secundò responderetur more Scripturæ possumus esse id quod sequitur pro eo , quod antecedit , id est , non interrogabitis , pro eo quod est , nihil ignorabis , aut dubitabis , quoniam ex ignorantia & ex dubitatione oritur interrogatio . Cum autem dicimus Apostolos nihil ignorasse , intelligendum est , de iis , quæ erant necessaria ad gubernandam Ecclesiam , & quæ illis scire expediebat vt c. 15. cum explicuimus illud , *omnia quæcumque audiui à Patre meo nota feci vobis* . Quod si Dominus post resurrectionem non respondit ad quædam , quæ interrogabant , causa fuit , quoniam nec interrogare debuerant , nec eis illa scire expediebat : Vnde Petro respondit , *Quid ad te:* & Apostolis , *Non est vestrum nosse tempora , vel momenta :* non igitur de curiosis interrogationibus loquitur , cum dicit , *In illa die me non interrogabitis* , sed de necessariis . Sed profectò adhuc difficultatem habet ista expositio , quoniam cum dicit , *in illo die* , iam exposuimus ex sententia sanctorum de tempore resurrectionis Christi : eo autem tempore probabile est multa Apostolos interrogasse , cum nondum venisset Spiritus sanctus , qui eos erat edocurus , nec credendum est semper ea interrogasse , quæ non expediret sciri . Si autem intelligatur de tempore subsecuto adventum Spiritus sancti , cum iam Dominus in cœlos ascendisset , non erat magna promissio . *In illo die me non interrogabitis* . Præterea etiam post adventum Spiritus sancti , opus illis fuit interrogare Dominum ; nam cum quidam dicerent necessariam esse in Euangeliō circumcisionem , & obseruationem legis Moysi , connenerunt Apostoli , & seniores videre de verbo hoc , & facta est conquisitio magna , Actu . 13. sic existimabant noui Testamenti gratiam prædicandam , vt à legis veteris non recederet institutis , vt scribit , Gelasius in tomo de vinculo anathematis , qui est inter eius epistolas in Conciliis . ergo aliquid necessarium ignorabant : quare multo magis mihi placet prior lectio , *rogabitis* , id est , orabitis .

Si quid petieritis Patrem in nomine meo.] Hæc verba experientia ipsa reddidit obscura , non enim dubitaremus quomodo essent intelligenda , nisi experiremur multa nos petere , quæ non impetravimus :

mus: nec solum nos, verum & Paul. ter Dominum rogauit, ut auferret sibi Angelum Satanæ, 2. Corinth. 12. quod tamen non obtinuit Propterea cum non possint non esse vera, querendum est quomodo intelligentur. Communior Latinorum expositio est, petere in nomine Christi nihil esse aliud, quam petere rem, quæ saluti animæ nostræ utilis sit, quoniam nomen eius est Iesus, id est, saluator, vel salus. quare qui petit rem suæ saluti incommodam, non petit in nomine Iesu. ita Augustinus tract. 13. & 81. & 86. & 102. & Beda, & Rupertus, & S. Thomas, & Gregor. homil. 27. in Euangelia. Sed quoniam multa etiam salutaria petuntur, qua non continentur, addunt Sancti conditiones quasdam, nempe, ut pro se aliquis petat, & ut iussus sit, & ut cum fiducia petat, & perseveranter: de quibus vide Augustinum tract. 73. & 102. & S. Thomam hic. & 22. quæst. 83. art. 15. & lib. 3. contra Gentil. c. 93. Secunda expositio Græcorum est, *in nomine meo*, id est, tantummodo inuocando, & nominando nomen meum, ut faciebant Apostoli in miraculis, ut Actu. 3. *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* ita Chrysostomus homil. 73. & 78. Theophylactus, Ioan. 14. in illis verbis, *Et quidquid petieritis in nomine meo, hoc faciam.* & etiam hinc Euthym. in eisdem locis, & præterea c. 13. in illis verbis, *et quidquid petieritis Patrem in nomine meo, dñe vobis,* ubi alio etiam modo interpretatur, *in nomine meo*, id est, tanquam mei, tanquam Christiani. Cyrillus paulo aliter. In nomine meo dici putat, ut Christus se mediatorem, & collargitorem ostendat, nam quatenus Deus nobis cum Patre bona largitur, quatenus mediator est, nostras preces ad Patrem adducit, ipse enim nobis libertatem atque fiduciam ad Patrem largitur. Hanc Cyrrilli expositionem ferè sequitur Iansenius. Expositio Augustini satis probabilis est, sed magis ad litteram accedit expositio Chrysostomi. Denique ut omnia recte intelligentur, sciendum est nomen, apud Hebræos significare virtutem, & potestatem, ut expouimus c. 1. in illis verbis *Iis*, qui credunt *in nomine eius*. Diximus etiam c. 15. in illis, *Hec facient vobis propter nomen meum*, idem esse propter nomen meum, propter me, *in nomine Christi*, & *in Christo*. dicitur autem fieri in aliquo, apud Hebræos quod eius viribus, virtute, auctoritate, auxilio fit, ut Psal. 17. *Quoniam in te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.* Atque idem omnino significat, *in nomine alicuius*: unde pro codem hæc duo ponuntur in Scriptura, ut Psalm. 4. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentem in nobis.* Petere igitur in nomine Christi, est petere non fiducia nostrorum meritorum, sed fiducia meritorum Christi, ut auertens oculos Pater à nobis, qui sæpe in eum peccauimus, respiciat in faciem Christi sui, & eius virtute, meritorumque eius efficientia det nobis, quod non merebamur accipere: hunc esse omnium germanissimum sensum declarat Ecclesiæ consuetudo, quæ est optima verborum Domini interpres: nam in fine orationum dicit, *per Dominum nostrum Iesum*

*Nomen quid
apud He-
breos.*

*In aliquo
fieri idem
quod eius
viribus,
virtute,
auctorita-
te, auxilio
fieri iuxta
Hebr.
Idem, in no-
mine alicu-
iis.*

*Ecclesia
optima ver-
borum Do-
mini inter-
pres.*

Chris

Christum, id est, hoc à te obtineamus, ô Pater, per merita Domini nostri Iesu Christi, non per nostra. Conuenit hoc bene cum eo, quod modo dicebamus, nam etiam, in, accipitur pro, per, & nomen pro re In, pro, per. ipsa, cuius est nomen; quare petere in nomine Christi, est petere per nomen Christi, quod est, per ipsum Christū. Secundò potest hoc idem adhuc elegatiū & propriū explicari: vt sit, petite in nomine meo, id est, petite quasi à me missi, petite nō quasi vobis donandum, sed quasi donandum mihi. quod nos eodem modo dicimus, pedidlo en me nobre; vel magis propriè pedidlo de mi parte, quoniam propter unitatem capitis & corporis Christus accipit, cùm nos accipimus, & Christo datur, quod nobis datur. Matt. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, miki fecisti, & Ps. 67. Ascendi in altum, cœpisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus, quod Apostolus explicauit Ephes. 4. dedit dona hominibus. hoc intelligetur optimè ex verbis filiorum Iacob. ad Ioseph. Gen. 50. Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hac tibi verbis illius diceremus, obsecro, vt oblinisci caris scelerum fratrum tuorum, & peccati atque malitia, quam exercuerunt: nos quoque oramus, vt seruo Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. isti ita petentes petierunt in nomine Iacob patris sui, ita & nos petere debemus in nomine Christi, & hoc est quod modò Dominus pollicetur, quod si ita intelligamus, nullam conditionem addere necesse habemus, quoniam sicut absoluē à Domino dicta sunt, ita absoluē sunt vera, quandoquidem petere in nomine Christi, est petere quæ Christus nobis cupit, & dari nobis vult; non autem cupit dari nobis, quæ saluti animæ noceant, aut, quæ nobis maiora bona impediant quia iam ista non sunt utilia, ac propterea defectus aliquos in nobis semper esse patitur, quoniam illis conseruamur, nec promittuntur in his verbis omnia quasi statim danda, quoniam sæpe non expedit nobis statim accipere, sed post aliquod tempus, vt fides, & patientia nostra probetur, & vt dona ipsa pluris faciamus, & diligentius custodiamus. Fiducia ad petendum satis intelligitur in ipsis verbis, quandoquidem non per merita nostra, sed per merita Christi petimus; nec petimus quasi dandum nobis, sed quasi dandum Christo, cui nihil quod velit, negari potest. Vnde qui sine fiducia petit, non petit in nomine Christi, sed in nomine suo, quia non potest dubitare petens in nomine Christi, sed dubitat, quia considerat sua merita, & ideo ex suis meritis petit, quare recte Dominus Marc. 11. Omnia quæ orantes petitis, credite quia accipietis, & euenerint vobis. & Iacobus c. 1. Postuler autem in fide, nihil habens, videlicet, quia non petit in nomine suo, sed in nomine Christi, & quoniam nos non sumus digni per nos accipere petita, & cùm dubitamus, an accepturi simus, iam ex nostris meritis petimus. ideo de hæsitate subdit Iacobus, Non ergo estimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. Præterea non est opus addere, vt iustus sit qui petit, nam si peccator petat in nomine Christi, accipiet quod petit: tunc autem peccator petit in nomine Christi ad eum accedere cupiens, & partes diaboli deserere: illa etiam conditio, vt petamus nobis, & non aliis, nō videtur

necessaria, quoniam si petimus aliis in nomine Christi, id est, si petimus, quæ illis Christus dari cupit, obtinebimus: sed aliquando non expedit illis modò accipere, aliquando nunquam accipient; quia nō vult Christus, vt hominibus tam male donis Dei vrentibus, & pertinaciter in peccatis suis manentibus, illa bona donentur, atque ita tunc non petimus in nomine Christi, quia non est in gloriam Christi, nec iuxta voluntatem Dei illud fieri. De hoc igitur tantummodo dubitare licet in oratione, an petamus in nomine Christi, non autem an petentes in eius nomine accepturi simus. Quid ergo sancti conditiones quasdam apponunt, maioris explicationis causa faciunt, & illæ potissimum conueniunt in ipsam expositionem. nam reuera in ipsis verbis Domini includuntur, si rectè intelligantur; idem dicendum est, si intelligamus in nomine Christi, id est, per merita Christi, quoniam Christus donat sua merita nobis, & suam autoritatem, & gratiam, quam habet apud Patrem, vt per illam petamus, atque ita in idem redit cum hac posteriori expositione.

Sed quoniam nouum videri potest dicere, in nomine meo significare quasi à me missi, & non vobis, sed mihi petentes, superest, vt hanc quoque phrasim ex Scriptura confirmemus. Exod. 5. *Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, affluxit populum tuum.* Quid sit autem loqui in nomine tuo, exposuit in principio capititis, his verbis. *Ingressi sunt Moyses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni: Hec dicit Dominus Deus Israël, dimitte populum meum, vt sacrificet mibi, propterea, vt ista intelligeremus, multi codices antiqui habent, vt loquerer ex nomine tuo;* & Deuter. 18. *Qui autem verba eius, quæ loquuntur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Et vt doceat, quid sit loqui in nomine suo, ait, *Ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* & 1. Regum 25. *Et venietis ad Nabal, & salutabitis eum ex nomine meo pacificè;* & postea, *Cumque venuissent pueri David, locuti sunt ad Nabal omnia verba hec ex nomine David, in utroque loco tam in Hebræo quam in Græco est in nomine, sed Hieronymus, vt magis phrasim explicaret, transtulit ex nomine: ex quibus patet ita intelligendum esse illud Ps. 117. *Benedictus, qui venit in nomine Domini,* id est, à Domino missus, & ex persona Dei Patris nobis loquens, & etiam quod Dominus dicit Ioan. 5. *Ego veni in nomine Petris mei, & non accepisti me; si alius venerit in nomine suo,* (id est, non missus à Deo, nec in eius persona loquens) *illum accipieris.**

Vsquamodo non petitis quicquam.] Scilicet, quia omnia à Christo petebant, & ipse pro eis petebat à Patre, vt diximus.

Vt gaudium vestrum sit plenum.] Id est, vt gaudium, quod habetis ex eo quod mei discipuli estis, & quod ego resurrexerim, plenum habeatis, accipientes quidquid petitis, atque ita magnam spiritualium bonorum copiam consequentes.

Hec in proverbiis locutus sum vobis, &c.] Id est, scio vos non satis intelligere quæ modò locutus sum, quia subobscurè dixi: at cùm resurre-

An petendum in nomine Christi.

Loqui in nomine suo quid.

xero, palam, & sine proverbiis loquar vobis de Patris mei maiestate, & omnipotentia, & de mysteriis cœlestibus, &c. Quid autem sit proverbiū, siue parabola, diximus in illis verbis c. 10. hoc proverbiū locutus est Iesus, & vide Basil. in homil. in principium proverbiorum. Cæterū de quo tempore loquatur Dominus cùm dicit, *venit hora, cùm iam non in proverbiis, &c.* dubium est. multi intelligunt de beatitudine, vbi nihil nobis erit obscurum, videntibus Deum sicuti est, vt August. 1. de Trinitate c. 10. Gregorius 30. Moralium c. 8. & Cyrillus, licet etiam de tempore aduentus Spiritus sancti intelligat Cyrilus. Sed recte ait August. tract. 102. hunc sensum impedit, quod sequitur, *in illo die, in nomine meo petetis, quod ad beatitudinis tempus referri non potest; quare omnino intelligere debemus cum Chrysostomo homil. 78. de tempore resurrectionis Christi, quoniam tunc aperuit illis sensum, ut intelligeret Scripturas Lucæ ultimo, & Actu. 1. per dies 40. apparet eis, & loquens de regno Dei. Ita etiam intelligunt Theoph. & Euthymius, & Rupert. At hoc multo perfectius, & plenius impletum est post aduentum Spiritus S. & ideo de illo etiam tempore intelligendum est, ut intellexit Cyril. & Augustinus tract. 104.*

Et non dico, &c.] Iā hoc exposuimus in illis verbis, *siquid petieritis, &c.*

Exiui à Patre, &c.] Iansenius intelligit hanc exitum de missione filij téporali, non de generatione æterna quem iam impugnauimus c. 8. in illis verbis, *ego enim ex Deo processi, & veni, &c.* c. 15. in illis, *Qui à Patre* *Exitus Domini à Patre* *procedit.* Nunc tantum dicimus sanctos Patres aliquando hunc locum intelligere de téporali missione, vt Aug. 1. de Trinit. c. 10. & lib. 2. c. 5. & Rupertus hic; sed & Cyrillus cū altero sensu hunc etiam proponit. Sed cōmuni tamē, & réceptissima Sanctorum exposita est de æterna generatione. Aug. tract. 102. *Exiit à Patre, quia de Patre est, & in mundū venit, quia mundo suū corpus ostendit, quod de virginē assump̄it.* Cyrilus, *Exiuisse à Deo nihil aliud est nisi natum esse, effulsiſſeque ex substantia Patris eo processi, quo est, & ita propria intelligitur substantia.* Euthymius, *exiui à Patre, significat eum de substantia Patris esse, siue legitimū Patris filium.* ita etiā Beda, & S. Thom. & Lyra, & alij, & probatur aperte ex sequentibus. *Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget, in hoc credimus, quia à Deo existi,* id est, per hoc credimus te esse verum Dei filium, quid scis omnia, & secreta cordium intelligis, quod propriū Dei est, & ideo non opus est tibi vt quis te interroget, quia antequam ille interroget, scis tu quid interrogare velit, & respondes ad dubitationē cordis eius. ita interpretatur Cyrilus: quare in his verbis non potuit Cyril. vti expositione illa secunda quam fecutus est Iansen. sed hæc cōmuni, quam sancti recipiūt, immo & ipse Iansen. coactus est ita exponere vt nos, &c.

Ecce nunc palam loqueris.] Id est, iam aperte intelligimus id de quo ante dubitabamus, dixeras enim obscurè, modicū, & nō videbitis me, &c. & id iam apertissime dicis, *relinquo mundum, & vado ad Patrem.*

Modò creditis, &c.] Quoniā Apostoli videbantur iā fidem firmam habere, reddit eos ad humilitatē, ostendens ab effectu valde infirmā esse, vt discat sibi nō cōfidere, quasi dicat, ista vestra magna fides, hūc tādem

exitum habebit, quod me relicto omnes fugietis. Possunt autem legi hæc verba, modò creditis sine interrogatione, vt sit sensus, modò fidem habetis, sed multo infirmiorem, quam putatis, vt paulo post videbitis; vel cum interrogatione (quod magis probat Iansenius) vt sit, *Putatis ne vos fidem firmam habere?* Et ita planè intellexerunt Theophylactus, & Euthymius. Græci Codices, & Latini quidam interrogationem habent, quidam non habent, & ad sensum nihil refert.

Ecce venit hora, & iam venit.] Primum venit, præsentis temporis est, secundum præteriti, vt constat ex Græco, id est, instat tempus, nec solum instat, sed iam adest, hac enim nocte fiet.

Vt dispergamini unusquisque in propria.] Id est, unusquisque vestrum seorsum fugiet, quod eum impetus, & timor tulerit, nō expectabit alter alterum, nec in locum certum omnes conuenietis, sed unusquisque in locum qui se primo fugienti obtulerit, non enim significat, *in propria*, id est, in suam domum, nam Apostoli non poterant habere domos in Hierusalem, cùm, & pauperes essent, & Galilæi omnes, vt Actu. 2. Scriptum est, *nónne omnes isti qui loquuntur Galilæi sunt?* Sed proprium dicitur quod unusquisque habet, seorsum ab aliis, vnde c. 1. *in propria venit*, id est, vbi ipse solus coli, & adorari debebat. ex hoc intelligitur illud c. 19. *Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, id est, in propria, id est, vt ipse solus eam haberet, solus cum ea viueret, & ei ministraret.

Et non sum solus, &c.] Ostendit se nihil egere eorum præsidio, & protectione, sed ipsis tantum vrile esse cum eo manere?

Hec locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis.] Hoc exposuimus c. 15. in illis verbis, *hec locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, &c.*

Ego vici mundum.] Id est, omnes mundanorum, & diaboli persecutions, & tentationes, & illecebras, atque ita vos eum vincetis, si mihi adhæreatis. 1. Ioan. 5. *Omne quod natum est ex Deo, vincit mundum, & hec est victoria, qua vincit mundum, fides nostra.*

*Proprium
quid.*

*Vincere
mundum
quid.*

S A N C T U M



S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIUM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T XVII.

1. **H**AEC locutus est Iesus: & subleuatis oculis in cœlum, dixit: Pater venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te: 2. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam eternam. 3. Hac est autem vita eterna: ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. 4. Ego te clarificavi super terram: opus consummaui, quod dedisti mihi ut faciam: 5. Et nunc clarifica me tu Pater apud temet-ipsum, claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te. 6. Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo. Tui erant, & mihi eos dedisti: & sermonem tuum seruauerunt. 7. Nunc cognoverunt, quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt: 8. Quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognoverunt verè quia à te exiui, & crediderunt quia tu me misisti. 9. Ego pro eis rogo: Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt: 10. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. 11. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos. 12. Cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, custodiui: & nemo ex eis periret, nisi filius perditionis, ut Scriptura impleatur. 13. Nunc autem ad te venio: & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semet-ipsis. 14. Ego dedi eis sermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non sunt de mundo, sicut & ego non sum de mundo. 15. Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo. 16. De mundo non sunt, sicut & ego non sum de mundo. 17. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est. 18. Sicut tu

me misisti in mundum, & ego misi eos in mundum. 19. Et pro eis ego sanctifico me ipsum: ut sint & ipsi sanctificati in veritate. 20. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: 21. Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis unum sint: ut credat mundus, quia tu me misisti. 22. Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis: ut sint unum, sicut & nos unum sumus. 23. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in unum: & cognoscatur mundus quia tu me misisti, & dilexisti eos, sicut & me dilexisti. 24. Pater, quos dedisti mihi, velo ut ubi sum ego, & illi sint mecum: ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi: quia dilexisti me ante constitutionem mundi. 25. Pater iuste, mundus te non cognovit: ego autem te cognoui: & hi cognoverunt, quia tu me misisti. 26. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

IN CAPVT XVII. SANCTI
IESV CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,
COMMENTARIA.

HAE C locutus est Iesu.] Confirmauerat Dominus verbis suis Apostolos, sed quoniam infirmæ sunt hominum vires, nisi auxilio Dei roborentur, statim ad Patrem conuertit sermonem, vt illos confirmet simul Apostolis relinquat exemplum, vt in omnibus laboribus, & periculis ad orationem confugiant, indeque auxilium expectent, & ideo cum dixisset, in mundo pressuram habebitis, statim orauit. Ita Chrysostomus homil. 79. docet etiam aliud exemplo suo, quod his verbis exposuit Cyrus lib. 11. cap. 14. Opus enim est non ignorare, si quis pie ac sancte vivere velit, aut ad fratres utiliter loqui, oportere aut in orandi opere sermonis usum adhibere, ne inanis verboſitas locum habere videatur.

Mos orandi Domini. *Et subleuatis oculis in cælum.*] Quemadmodum propter instructiōnem nostram orat, ita propter eandem oculos in cælum eleuat, vt nos ita faciamus, atque omne bonum ē cælo expectemus, erat autem iste mos orandi Domino: quod cur faceret ostendimus cap. 6. in illis verbis, cum gratias egisset: ideo non est dubium sepiissime hoc fecisse, licet non semper in Euangelio legatur, atque ita quod in cælo

none

nōne dicimus, & eleuatis oculis in calum, &c. in Scriptura non legitur; sed ex traditione habemus, quod eleuauerit, ut docet Innoc. II I. in cap. cum Marthæ. de celebr. miss.

Pater venit hora, &c.] Hanc orationem esse eandem, quam Dominus orauit in horto, nūtitur hīc probare Rupertus: sed eius falsa est omnino sententia, ut in postremis verbis cap. 14. ostendimus. Dominus petit in hac oratione primò suam, & Patris gloriam: Secundò orat pro Apostolis: Tertiò pro omnibus electis, qui per eorum prædicationem credituri erant: quod autem gloriam suam petere videatur, propterea petit, ut glorificetur Pater, & ideo non suam propriè, sed Patris gloriam petit: vnde cùm dicit, *Clarifica filium tuum*, statim addit, *vt filius tuus clarificet te*: nam, ut ait Cyrillus, sicut bene agere non ad gloriam nostram debemus, sed ad gloriam Dei, iuxta illud Matth. 5. *sic luceat lux vestra*, &c. ita cùm oramus, gloria Dei ante omnia petenda est: & ita nos orare docuit Dominus, *sanctificetur nomen tuum*, &c. est ergo sensus, *venit hora*, id est, accessit iam tempus (nam *venit præteriti* est, ut patet in Græco) passioni meæ destinatum, ut Ioan. 2. *Et nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius*, & cap. 13. *sciens Iesus quia venit hora eius*, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; quasi dicat, Ego pro gloria tua, & pro salute hominum, quos ab æterno elegisti, ignominiosæ morti me offero, tu me clarifica, ut in passione verus filius tuus appaream, & postea resurgam, & ascendam in cælum; ut ita verus Deus ab hominibus credar, propter quos morior, & diuinitas, & potentia, & bonitas tua cognoscantur, & ab omnibus adoreris: ita ferè hæc exponit Cyprianus in lib. de duplice martyrio prope medium, & nos ita exposuimus cap. 7. vbi ait, *Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus non erat glorificatus*. Et c. 12. in illis verbis, *Pater salufica me ex hac hora*, &c.

*Qualiter
nobis oran-
dum.*

Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis.] Ostendit modum clarificatio-
nis, ut aiunt Chrysost. & Cyrillus, vbi nos habemus, sicut in Græ-
co est, *xalōs*, quod propriè significat secundum quod; quare particula,
sicut, non significat similitudinem, sed causam, iuxta Euthymium,
quem secutus est Iansenius c. 136. sed melius dicemus significare simi-
litudinem cum quadam causalitate, ut sit sensus, quandoquidem dedi-
sti filio tuo potestatem in omnes homines, iuxta illud Psal. 2. *Postula à
me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam*, &c. clarifica illum, ita ut omnes
quos ei dedisti habeant per illum vitam, ita sumitur Judith. 8. *Sicut
quod potui loqui Dei esse cognoscitis*; ita, *quod facere disposui*, probate si ex
Deo est. ita nos etiam dicimus, sicut mihi semper fauili, sic, &
nunc faue. Quod caro totum hominem significet, ostendimus cap. 1. *Caro pro te-
ibi, & Verbum caro factum est*. Cæterum neutro genere vtitur, sic, ut so homino.
omne quod dedisti ei, ut significet vniuersum numerum, non electorum,
& reproborum, sed electorum tantum, ut notauimus c. 6. in illis verbis,
Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & c. 12. in illis, *Omnia traham ad
me ipsum*. Itaque Christus habet quidē potestatē super omnes homines,

*Clarifica-
tionis mo-
der.*

*Electi san-
tum Domini
no dati à
Patre.*

tam reprobos, quām electos, sed non omnes sibi datos dicit, sed tantum electos, quoniam isti peculiariter ei commissi sunt à Patre, vt efficaciter eos dirigat, & adducat in vitam æternam, atque ita semper intelligere debemus in hoc cap. vt, *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos mihi dedisti de mundo; &c., Quos dedisti mihi, ego eos custodiri, & postea, Quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.* Hanc autem potestatem in omnes homines intelligere possumus Christo datum esse secundum utramque naturam, & notant Cyrilus, & S. Thomas referens Hilarium lib. 9. de Trinitate, sed potissimum intelligendum est iuxta naturam assumptam, vt intelligit Augustinus tract. 105. de qua potestate agit S. Thomas 3. parte quæst. 3. & meritò ita intelligimus, quoniam nunc in oratione loquitur, vt homo, quandoquidem vt homo orat. Illud etiam rectè adnotat Iansenius phrasim Hebræorum esse, *Omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam*, cùm dicendum esset, omni; quod dedisti ei, det vitam æternam, ita vt nominatiuus ille quodammodo redundare videatur, quale est illud Psal. 11. *Domini in celo sedes eius*, pro eo quod est, Domini sedes est in celo, & quoniam cùm dicit *omne*, multos intelligit, ideo non vocem, sed sensum respiciens, pluraliter dixit, *det eis vitam æternam.*

*Arriani
vnde nituntur
hæresim
stam con-
firmare.*

*Locus con-
tra Sabel-
lianos &
Iudeos.*

Hec est autem vita eterna.] De huius loci intelligentia priùs cum hereticis deinde cum Catholicis agendum est. Arriani ex hoc præcipue loco, hæresim suam confirmare nitebantur, quoniam in eo Pater distinguitur à filio, & solus Pater Deus dicitur, ita refert Ambrosius lib. 5. de fide c. 2. At verò sancti Patres tantum ab hac depravata intelligentia absunt, vt doceant ex eo comprobari diuinitatem Christi. Augustinus tract. 105. & lib. 6. de Trinitate cap. 9. quem sequuntur Beda, & S. Thomas, ita exponit. *Hec est vita eterna, vt cognoscant homines te, & Iesum Christum, quem misisti, esse solum Deum verum.* Quam expositionem duram esse dicunt Erasmus, & Iansenius; sed immerito dicunt, quoniam reuera id Dominus dicere voluit: vnde Cyprianus lib. 1. aduersus Iudeos cap. 1. hoc testimonio usus est ad probandam Christi diuinitatem, & Ambrosius loco citato, testatur eo redargui Sabellianos qui confundebant personas, quoniam post Patrem ponitur filius: & etiam redargui Iudeos, qui filium non putabant esse Deum, cùm filius in hoc loco non separetur à dignitate Patris: itaque cùm dicit, *Et quem misisti Iesum Christum, esse omnino subaudiendum, esse solum verum Deum;* non enim fuit secundò ponendum, ne duos Deos ponere videretur. Hæc Ambros. & eadem est sententia Hilarij lib. 9. de Trinitate in medio. Præterea Basilius lib. 4. aduersus Eunom. in fine, & Chrysostomus hom. 19. & Cyrilus, & Theophylactus, & Euthymius, quos Iansenius, & alij sequuntur, docent, per solum non excludi cæteras personas diuinias, sed cæteras personas, quæ vbiique colebantur vt Dij, cùm Dij falsi essent: adducit Chrysostomus illud 1. Cor. 9. *Aut ego solum & Barnabas non habemus potestatem hoc*

hoc operandi : cùm dixit , ego *sólus* , non exclusit Barnabam , de quo ea-
dem erat ratio , sed potius in eadem causa secum coniunxit addens , &
Barnabas .

Sed vt hæc omnia melius intelligentur , & magis confitmentur , no-
tandum est , hanc esse consuetudinem Scripturæ , vt nomen , *sólus* , sæpe
non omnes excludat simpliciter , sed eos tantum qui dissimiles sunt ,
aut alieni ab eo , cui additur dictio exclusiva , vt Deuter. 32. *Domi-*
nus sólus Dux eius fuit , non excluduntur filius aut Spiritus sanctus , im-
mo neque Angeli ministri Dei , qui illum populum ducebant , sed tan-
tum excluduntur Diij gentium , & eorum ministri , quorum opera po-
pulus ille adiectus non fuit , & ideo additur statim , & non erat cum eo
Deus alienus . Similiter ibidem , *Videte quod ego sum sólus* , & non est aliud
Deus præter me . Et 1. Reg. 24. etiam super abruptissimas petras , que só-
lis ibicibus peruiæ sunt . Non excludit ibi alia animalia , si qua sunt per-
niciitate paria ibicibus , aut etiam superiora , sicut non excluduntur
aves , sed tantum homines & animalia tardiora , quoniam aliena sunt
ab hac perniciitate . Et Isa. 2. *Exaltabitur autem Dominus sólus in die*
illa . Non excluduntur serui Dei , qui eum imitari studuerunt , sed pec-
catores tantum , qui per superbiam & inobedientiam alieni effecti
sunt à Deo : ita enim ait , *Oculi sublimes hominis humiliati sunt* , & incur-
vabitur altitudo virorum , exaltabitur autem Dominus sólus . Ita etiam om-
nes loquimur , nam si dicamus : Tu sólus nobilis es in hac ciuitate ,
non excludimus filios , & consanguineos eiusdem nobilitatis parti-
cipes . Et si magistro dicamus : Cæteri errant , tu sólus sapi , non
excludimus eius discipulos , qui illam sapientiam ab illo acceperunt .
Ita ergo cùm dicit , te solum Deum verum , nullo modo excluduntur
personæ eiusdem naturæ , sed solum Diij Gentium alieni ab hoc Deo ,
& hoc est , quod Ambrosius , & S. Thomas , & Augustinus dicere vo-
luerunt , videlicet illud , solum Deum verum , non solum tribuendum
esse personæ Patris , sed etiam personæ filij , & ideo positum esse tan-
quam vtrique commune . Confirmatur hoc ex Euaristo Martyre , &
à Petro Pontifice , qui in epist. 1. ad Episcopos Africanos disputat ad-
uersus haereticos , à quibus illi oppugnabantur episcopi , locum Paul.
1. Timoth. 6. *Qui sólus habet immortalitatem* , & *Lucem habitat inacces-
ibilem* ; Quasi filius excluderetur eius verba sunt : Eos apostolicis per-
cutite ferulis , & diuinis redarguite præceptis : si enim sólus Pater lu-
cem habitat inacessibilem separataam : ergo à filio habet mansionem .
Quomodo ergo dicit Stephanus : *Ecce video calos apertos* , & *filium ho-
minis stantem à dextris virtutis Dei* , Actu. 2. & Ioan. cap. 1. *Vnigenitus*
filius qui est in sinu Patris , ipse enarravit . Quemadmodum igitur non ob-
est Patri , cùm dicit Sapientia , id est , filius , Eccles. 24. *Gyrum cali*
circuini sola , & *profundum abyssi penetraui* ; ita non obest filio cùm de
Patre dicitur ; *Qui sólus habet immortalitatem* . Præterea Ambrosius c. 4.
probat hinc non excludi filium à Deitate , primò , quoniam idem præ-
mium , & vnum honorem nobis dat Patris filiique cognitio . Sicut
Ribera in Euang. Ioan.

CCc enim

Solus s^ep_e
dissimiles
tantum ex-
cludit.

enim Patris, ita filij cognitio vitam acquirit aeternam. & eadem ratio-ne vtitur Hilarius lib. 9. de Trinit. in medio. Quare sicut in principio Euangelista Patrem & filium copulauit, tanquam eiusdem naturae, di-cens, *& Verbum erat apud Deum*, ita nunc eadem coniunctione eos co-pulat, cum ait, *Et quem misisti Iesum Christum: ut Christum verum Deum a maiestate Patris nemo fecernat: nunquam enim coniunctio separa-tur.* ita Ambrosius. Et eodem modo argumentatur Hilarius lib. 3. de Trinitate in medio, probat etiam Ambrosius ex similibus locis Iob 9. *Qui extendit celos solus*, hoc de Patre dicitur, & tamen non potest ex-cludi filius, qui ait de se Prou. 8. *Quando preparabat celos aderam;* & mox, *cum eo eram cuncta componens.* Similiter cum dicitur 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem,* non excluditur filius, qui dicit Ioan. 5. *Sicut enim Pater habet vitam in semet-ipso;* sic dedit, & filio vitam habere in semet-ipso. Eadem ratione cum dicitur Actu. 4. de filio, neque enim est aliud nomen sub celo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri, cer-tum est non excludi Patrem.

Ex hac doctrina Sanctorum constat, neque in hoc loco, quem in-terpretamur, neque in aliis excludi Spiritum sanctum, quantumuis ex-clusiva dictio ponatur; sicut non excluditur filius, nisi in iis quæ secundum relationem dicuntur, ut notat S. Thomas p. q. 36. a. 1. ad pri-mum, quæ Doctrina est Dionys. c. 2. de diui. nomi. latè, & Augustini epist. 66. & lib. 7. de Trin. c. vlt. & lib. 3. contra Maximinum c. 11. 12. & 13. & serm. 13. de verbis Domini, ut Matth. 11. *Nemo nouit filium nisi Pater, nec Patrem quis nouit, nisi filius;* nullo modo excluditur Spi-ritus sanctus, de quo 1. Corinth. 2. ita, *Quae sunt Dei nemo nouit nisi spi-ritus Dei.* Et Rom. 8. *Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Sed quæritur, quare in hoc loco Ioan. & in aliis multis in Evangelio mentio fiat Patris, & filij, & non simul nominetur Spiritus sanctus? Ambrosius lib. 1. de Spiritu sancto c. 3. cum quæsisset, cur, cum dixit Apostolus 1. Corinth. 8. *nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia,* & *unus Dominus Iesus Christus, per quem omnia,* &c. nihil dixerit de Spiritu sancto? Respondet multa etiam loca inueniri, in quibus Scriptura præ-dicat sancti Spiritus potestatem, de Patre autem, aut de filio nihil ex-preßè dicit, sed intelligendum relinquit, quia quod de una persona di-citur, intelligitur etiam de reliquis. Euthymius Matth. 11. in illis ver-bis, *Nemo nouit filium nisi Pater,* proposita nostra quæstione, ita respon-det, *quia nondum tempus erat, ut de eo doceret;* primum siquidem oportebat filij cognitionem mentibus discipulorum insinuari; deinde etiam illis illa reuelari quæ sunt Spiritus sancti. Sed non viderut præsenti loco satisfacere prædicta responsio, quoniam multa iam eis dixerat de Spiritu sancto in hac concione; deinde, quoniam modò non cum discipulis, sed cum Patre loquitur Dominus. Mihi videtur id fieri propter authoritatem Origenis, quare quemadmodum filius omnia tribuere solet Patri, quia ab eo procedit, ita nunc cognitioni Patris, & filij tribuitur vita aeterna; & licet subintelligatur etiam Spiritus sanctus, non tamen no-minatur,

minatur, quia Pater & filius principiū eius, ipse verò nullius personæ diuinæ principium est, sed à Patre, & filio habet quidquid habet. quomodo explicuimus c. 15. in illis verbis, qui à Patre procedit: sed quemadmodum hoc sit aliquando ad ostendendā originem, ita etiā ne erroris sit occasio, aliis locis eadē potestas tribuitur filio, quæ Patri, & eadem Spiritui sancto, quæ Patri & filio. Nunc de intelligentia loci agendum est cum Catholicis. S. Th. hīc, & vbique interpretatur, nō de quacunque cognitione, sed de visione beata, adeò vt 1. p. q. 12. a. 4. & 6. & 1. 2. de q. 3. a. 4. & 3. cōtra Gentes c. 61. & alibi hoc testimonio subinde vtaatur ad docendum beatitudinis substantiā non esse positam in actu voluntatis, sed in actu intellectus, quod aliis nequaquam persuaderi potest, vt Castro lib. 3. contra hæres, verbo, beatitudo, hæresi. 4. Ut hoc explicetur duo dicimus, primū est, communiorem sententiā Sanctorum esse Dominū loqui de cognitione fidei. ita intellexerunt Hilarius lib. 9. de Trin. in medio, & Ambr. lib. 5. de fide c. 2. quoniam dicunt vitā æternam esse præmium, quod promittitur cognitioni Patris & filij. De eadē cognitione fidei interpretatur Orig. in comment. ep. ad Rom. in illis verbis c. 2. *Iis autem, qui secundum patientiam boni operis, &c. & Cyprianus in epist. ad Iubaianū de baptiz. hæret. & Aug. tract. 105. & serm. 102. de tempore & Cyrillus hīc apertissimè, vt Damasc. in epist. de Trisagio. Quam expositionē non est dubiū, optimè cohærere cum præcedentibus: perit enim Dominus clarificationē suam, id est, se verū Deum ab hominibus agnoscī, vt ita daret eis vitā æternā, &c. quasi vellet ostendere, necessariā esse maximè clarificationē istam, quā petit, cū nisi per fidem diuinitatis eius non possit veniri ad vitam æternam. Ita cū fides dicitur esse vita æterna, effectus ponitur pro causa, vt fieri solet in Scriptura 1. Ioan. 5. Hec est autem victoria que vincit mundū, fides nostra, id est, fides per charitatē operans, est nobis causa victoria, per eā enim vincimus diabolū, & eius tentationes, iuxta illud Eph. 5. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Et Ioan. 12. Et scio, quia mandatū eius vita æterna est. Denique c. 14. in illis verbis, *Ego sū via, veritas, &c.* ostendimus vitā ponī pro effectore vitae, &c. Eodem modo intellexit Cyrillus, docet enim fidē appellari vitā æternā, quia radix, & origo vitae æternæ est. Secundò dicimus expositionē S. Th. esse etiā valde probabile, & verā, quæ est etiā Innoc. 3. lib. 5. de sacro altaris mysterio. c. 8. & c. 29. & aperte videtur esse Aug. in lib. de spiritu, & littera c. 33. immo & Hilarius videtur ita intellexisse 3. de Trin. in medio, ait enim. *Sed in quo tandem æternitatis vita est, ait ipse: Ut cognoscant te solum verum Deum, &c. vita est, verum Deum nosse.* Eodem modo intellexisse videtur Rupertus, & ita omnino intellexit B. Laurent. Iustinian. in fasciculo amoris c. 16. & Lyra, & Arboreus, & alij, & conuenit etiā optimè hæc expositio cum præcedentibus in hunc modum: Ostende me esse verum filium tuum naturalem, vt dem hominibus à te electis vitam æternam, quam tunc habebunt, cū te, & me clarè viderint; quasi dicat, sed cū ad hanc cognitionem beatificam sine fide venire non possunt, quia fidei succedit visio, opus est vt ego per resurrectionem*

clarificer, & credant homines in te, & in me. Confirmatur hæc expositio ex eo, quod semper accipit vitam æternam propriè pro beatitudine, & vt sumpta est à Domino, cùm dixit: *Det eis vitam æternam,* quod non facit prior expositio. Possimus etiam dicere cum Caetano & Titelmano, & Iansenio, cognitionem hoc loco accipi, vt communis est cognitioni viæ, & patriæ, atque ideo non dictum est, vt videant te, quod beatorum est, sed, *vt cognoscant te*, quod etiam conuenit viatoribus, quasi dicat. Ego datus sum illis vitam æternam, vita autem æterna hic inchoatur per fidem, & postea consummabitur in visione: quare sine fide asequi eam homines non possunt, ideo pero vt me clarifices. Propter hanc inchoationem dicitur Ioan. 3. *Vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Et cap. 6. *Qui credit in me, habet vitam æternam.* Ex his patet satis firmum esse fundamentum D. Thomæ.

*Clarifico,
glorifico &
honorifico
idem sunt.*

Ego te clarificavi super terram.] Augustinus lib. contra sermonem Arianorum cap. 23. legit, *Ego te honorificavi.* Sed vt ipse ait, in eodem lib. cap. 31. glorificate, clarificare, honorificare tria sunt verba, & vna est res illis significata: quod fecit varietas interpretum, in Graeco enim semper est vnum & idem verbum δοξάζω: hoc ergo dicit, quandoquidem ego dum vixi in terra, feci Doctrina, & miraculis, quidquid faciendum fuit, ad nomen tuum illustrandum, vt ab omnibus cognosceris, & colereris, tu, qui clarificantes te, semper clarificare soles, ostende mundo quis sim ego, & quomodo vt Deus verus ab æterno tecum sim. Rectè autem dicit, *super terram*, vt notat Chrysostomus, quoniam in cælis nulla clarificatione Pater indiget, vbi ab omnibus videtur facie ad faciem.

Opus consummari quod dedisti mihi ut faciam.] Chrysostomus hom. 79. querit quomodo hoc Dominus dixerit, cùm multa tunc illi restarent facienda ad salutem hominum, vt mors, resurrectio, & prædicatio Euangelij, cuius duplex est responsio. Prima, quod futurum tanquam factum dicit, videlicet propter summam rei certitudinem. Hanc sequitur Augustinus tract. 105. Secunda, quam & veriorem esse dicit Chrysostomus, quod omnia iam erant perfecta, cùm radix esset plantata, ex qua fructus omnis oritur erat, nempe quod prædicauerat Euangeliū, quod elegerat Apostolos magistros totius orbis futuros, quod iam sese morti imminentि offerebat, ita etiam Theophylactus, & Euthymius. Addit tamen aliam rationem Euthymius, quia quidquid suarum erat partium iam fecerat. Est præterea alia expositio optima, quam sequitur idem Euthymius. Consummaui opus quocumque ad hanc horam facere iussisti, nihil prorsus omisi, & ita exposuimus c. 15. in illis verbis, quia omnia quacunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.

Clarifica me tu Pater apud te met-ipsum.] Scilicet assumens me ad te, sc. vt ad dexterā tuam sedeam. ita Chrys. Cyril. Theoph. Euth. S. Thomas.

*Claritas
Christiana.* *Claritate quam habui apud te.]* Hoc potest intelligi de claritate, quam habet, quatenus Deus est, vt intelligit Hilarius 3. de Trinit. in medio,

CCS 5 &

& Cyrillus. id est Pone me ad dexteram tuā , vt omnes intelligent me habere eam claritatem quam reuera ab æterno habui apud te , id est, esse filium tuum naturalem , æqualem tibi. Potest etiam intelligi de claritate, ad quam vt homo prædestinatus erat, vt exponit Aug. tractatu 105. S.Thom.vtrumque sensum recipit, & utrumque recipiendus est.

Manifestauit nomen tuum hominibus.] De Apostolis nunc loquitur, ostenditque quomodo Patrem suum clarificauerit consummando opus ad quod missus erat, id est, docendo doctrinam Euangelij : hoc enim erat opus eius, iuxta illud Isai. 61. *Euangelizare pauperibus misit me* , & Mar. 1. *Eamus in proximos vicos, & ciuitates, vt & ibi prædicem, ad hoc enim veni quod autem dicit, manifestauit nomen tuum* , videtur esse contra illud Psal. 75. *Notus in Iudea Deus, &c.* iam enim nomen Dei erat Iudeis manifestum. sed respondetur hunc esse sensum. Dedi eis multò ampliorem, & illustriorem tui cognitionem, vt non solum cognoscant te Deum esse, sed etiam esse Patrem, vt ait Cyrillus.

Tui erant, &c.] Oraturus pro Apostolis paulatim ostendit cur eis do-
nare par sit, quæ petit, quoniam scilicet Christum amauerunt, & in
eum crediderunt: ait ergo; *Tui erant*, quia scilicet ab æterno eos ele-
gisti, vt è numero mundanorum per gratiam tuam separarentur, &
salui fierent; id est, adduxisti eos ad me, vt in me crederent, & per me
consequerentur gloriam, ad quam eos prædestinaveras, iuxta illud
quod dixit c. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit
eum.*

Non pro mundo rogo.] Videntur hæc verba aduersari multis Scripturæ locis, in quibus Christus venisse dicitur propter omnium hominum Salutem: vt Ioan. 3. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt
iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum*, & 1. Ioan. 2. *Ipse est pro-
pitatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro to-
tius mundi.* Respondetur Christum quantum ad voluntatem antece-
dentem, & quantum ad sufficientiam passionis suæ venisse, vt omnes
salui fiant, sed voluntate consequenti, & efficaci venit tantum ad salu-
tem prædestinatorum, & propter illorum utilitatem, & profectum su-
stinet reprobos: quod optimè explicuit Apostolus Rom. 9. *Sustinuit in
multa patientia vas ira apta in interitum, vt offendere dinitias glorie sua in
vasa misericordia, quæ preparauit in gloriam.* Vnde Paulus 2. Timoth. 2. *Ideo
omnia sustineo propter electos, vt ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo
Iesu cum gloria cœlesti.* Quare semper Christus oravit pro prædestinatis,
quia eius oratio semper auditur; vt quando dixit Luc. 23. *Pater, ignosce
illis, quia nesciunt quid faciunt.* atque ideo Ecclesia Christum imitans si-
posset cognoscere reprobos, non magis pro illis oraret, quam pro dia-
bolo, vt ait Augustinus 2.1. de ciuitate c. 24.

Quia tui sunt.] Pro his rogo, quia tui sunt, à te electi in vitam æter-
nam, & meæ fidei commissi, & dati à te, tui, inquam, sunt adhuc, licet
mihi dati sint, quia omnia mea tua sunt, & licet dixerim à te mihi da-
tos esse, semper quoque mei fuerunt, quia omnia, quæ tu habes, mea

*Manifesta-
tio Dei
apud homi-
nes.*

*Mundus,
reprobos.*

*Christus pro
prædestina-
tis orans.*

sunt, propter essentiæ unitatem ita Cyrillus & Chrysostomus.

*Præteritum
pro futuro.*

Et clarificatus sum in eis.] August. tract. 107. docet præteritum possum esse pro futuro, propter rei certitudinem, ut sit sensus, pro eis oportet, quia per eos clarificandus sum in mundo paulo post, cum diuinitatem meam per orbem prædicabunt. Possumus etiam accipere ita ut præteritum sit, cum Chrysost. & Cyrillo, ut sit sensus: Clarificatus sum in eis, quoniam in me crediderunt, & reliquo mundo ad me venerunt.

*Præsens pro
futuro.*

Et iam non sum in mundo.] Hoc dicit, quoniam sequenti die erat moriturus, non enim est sensus, hac hora, qua loquor, non sum in mundo, sed iam in posterum non maneo cum eis in mundo ut antea: est enim in Græco particula ἔτι, id est, adhuc, vel amplius, quæ facit, ut præsens habeat significationem futuri, ut ostendimus cap. 15. in illis verbis, *Iam non dicam vos seruos, itaque in Græco est, non adhuc, siue non amplius, sum in mundo.* hoc aperte exponitur per sequentia, *Et ego ad te venio, id est, Ego ab illis recedo corporali præsentia, & ad te ascendo.* Ipsi manent in mundo periculis multis expositi, tu illos serua.

*Cur Patrē
sanctum vo-
carit Do-
minus.*

Pater sancte serua eos in nomine tuo.] Id est, virtute tua, & auxilio tuo eos protege, ut semper in me maneat, & uno charitatis spiritu semper me sequantur, nec inter se mutuò diuidantur, sed habeant unitatem spiritus similem, suo modo, unitati, quam nos habemus: quod latè exposuimus cap. 10. in illis verbis, *Ego & Pater unum sumus.* Merito autem, nunc Patrem sanctum vocat, quoniam petitus est eis sanctificationem, est enim Scripturæ mos, ut ex multis Dei nominibus, & attributis ea singulis locis potissimum eligat, quæ rei, de qua agitur, sint maximè consentanea, ut notat Theophylactus in 2. Epist. ad Corinth. cap. 1. in principio, ut Psalm. 17. obtenta victoria dicit David: *Diligam te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, &c. & 2. Cor. 1.* loquitur Apostolus de consolatione sibi data, & ait, *Pater misericordiarum, & Deus totius consolacionis.* ita etiam in fine huius capituli, loquens Dominus de iustitia Dei, per quam superbis non fuerunt reuelata mysteria Euangelij, ait, *Pater iuste, mundus te non cognovit, ut ibi interpretantur Cyrillus & Rupertus.* Ex his verbis & sequentibus, in hoc cap. probatur optimè Apostolos non peccasse mortaliter post aduentum Spiritus sancti, quia oratio Christi non potuit non exaudiri.

*Apostolos nō
peccasse
mortaliter
post aduen-
tū spiritus
santi.
Custodie
Dominici cū
Patre.*

Quos dedisti mihi, ego custodini.] Quando filius eos custodiebat, simul custodiebat & Pater, ideo ait, *cum essem cum eis, ego seruabam eos in nomine tuo,* id est, potestate, & virtute, quam mihi dedisti: rursus abeunte filio, non seruat eos solus Pater, sed filius cum eo, si enim aliter intelligeremus sensus esset valde carnalis, ut rectè ait Augustinus tract. 107. sed loquitur humano more, ne infirmi adhuc Apostoli Domino à se recedente timerent quasi iam non haberent custodem, sed scirent se Patri curæ fore, Scriptura enim, ut ibidem ait Augustinus, nos non leuat nisi descendat ad nos, sicut Verbum caro factum descendit, ut leuaret, non cecidit ut iaceret.

Nisi filius perditionis.] Id est, ille, qui peritus erat, qui reprobatus erat à te, vt exponit Augustinus, & ita exponendi sunt huiusmodi genitivi pñnam aut damnum aliquod significantes, cùm adiunguntur nomini filius, videlicet per futurum: vel per nomen, dignus: vt r. Regum 20. *Adduc eum ad me, quia filius mortis es;* & cap. 26. *Venit Dominus, quoniam filii mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum,* id est, morte digni. Matth. 24. *Facitis cum filium gehenna, duploque estis vos,* id est, dignum gehenna. Ostendit autem Iudam sua culpa peritiſſe, propter peccata enim sua, quæ liberè commisit, damnandus erat, quasi dicat, non erat iste ex illis, qui erant tui, & mihi dati sunt à te, quia non erat ex numero prædestinatorum.

Vt scriptura impleatur.] Id est, atque ita Scriptura implebitur, vel denique implenda erat Scriptura, quam phrasim sæpe iam adnotauimus, vt cap. 10. in illis verbis, *Vt sermo Isaie impleretur,* & alibi sæpe alludit autem ad Psal. 108. qui manifestò loquitur de Iuda proditore, vt exposuit Petrus Actu. primo, in quo multa dicuntur de eius reprobatione, & perditione, vt fiant dies eius pauci, & Episcopatum eius accipiat alter, & iterum cùm indicatur exeat condemnatus. ita Augustin. tract. 107. & Rupertus, & S. Thom. & alij.

Et hoc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum, &c.] Hæc exposuimus cap. 15. in illis verbis, *Hoc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit.*

Vt serues eos à malo.] Id est à diabolo, quod indicat articulus, qui ad- Malus pro diabolo. ditur in Græco.

De mundo non sunt.] Hoc iam semel dixerat hic, sed dixit priùs, vt ait S. Thomas, vt ostenderet, quare mundus eos odisset, nunc autem repetit, vt ostendat quare Pater eos charos habere, seruareque debeat: & ideo statim sequitur: *sanctifica eos in veritate.*

Sanctifica eos in veritate.] Veritatem vocat doctrinam euangelicam, Veritas, doctrina euangelica. vt statim ipse exponit, dicens, *Sermo tuus veritas est,* & ita intelligunt Chrysostomus, & Cyrillus: quomodo autem per doctrinam Christi sanctificantur homines, iam exposuimus cap. 15. in illis verbis, *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem loquutus sum vobis.* Cùm autem ibi dicat eos esse sanctificatos, nunc sanctificare significat confirmare, & perficere eos in sanctitate, & puritate ab omni contagio huius sæculi, vt Apocalyps. 21. *Qui sanctus est, sanctificetur abhuc:* sed hoc pleniùs explicabimus in illis verbis, & pro eis ego sanctifico meipsum. Rectè verò hanc doctrinam vocat veritatem, vt distinguatur non solum à doctrinis Philosophorum, quæ multum habebant falsitatis admixtum, sed etiam à doctrina veteris legis, quæ plena erat vmbbris, & figuris, quarum figurarum veritatem doctrina euangelica continet, & ideo dixit cap. 1. vt ibi exposuimus, *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est;* potest etiam exponi, *sanctifica eos in veritate,* id est, in me, qui sum sermo tuus, sine Verbum tuum, & sum etiam veritas. Ioan. 14.

Ego

Ego sum via, veritas, &c. ita Aug. tract. 108. Cyrilus, Rupertus, S. Thom.
quamuis, & prior expositio satis colligi potest ex Augustino: ait ergo,
sanctifica eos in me, ut scilicet meæ bonitatis, & sanctitatis participes
fiant.

Sicut tu me misisti in mundum, &c.] Id est, ideo sanctificatione maxi-
mè indigent, quod in mundo missurus sum testes ac interpretes volun-
tatis tuæ, per quos cæteri sanctificantur, quod fieri rectè non poterit,
nisi & verbo, & exemplo docuerint. facile etiam corrumpi poterunt
mundanorum hominum consortio, & temptationibus, ac persequacio-
nibus superari, nisi tu illos in sanctitate confirmaueris, & perfeceris.

*Sanctum
quod.
Sanctifico
quid.*

Et pro eis ego sanctifico meipsum.] Sanctum dicitur, quod Deo di-
catum est, ut Exodi 28. Faciesque vestem sanctam Aaron fratri tuo. Inde
sanctificare est dicare Deo, siue offerre. Deuter. 12. Quia autem sanctifica-
ueris, & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegerit Dominus, &
offeres oblationes tuas. Est ergo sensus: Ego pro eis offero me tibi in sacri-
ficium, hostiam non vmbatilem, sed veram, ut ipse per sermonem tuum,
qui veritas est, & non vmbra, sanctificantur, & verè tui sint, tibi se de-
dident, & pro te omnes calamitates, & labores a quo animo perferant,
tanquam se tibi immolantes. hunc sensum sequitur Chrysostomus ho-
mil. 81. & latissimè Cyrus, & Rupertus, & S. Thomas. Ex quo intelli-
gimus pleniùs quod paulò ante dixit, sanctifica eos in veritate.

Per verbum eorum in me. Non solum hoc de illis intelligitur, qui præ-
dicantes Apostolos audierunt, sed etiam de omnibus electis, qui post
Apostolos crediderunt, & usque in finem mundi credituri sunt, ut ait
Augustinus tract. 109. omnes enim credimus per prædicationem Apo-
stolorum ad nos usque deriuatam per Ecclesiam. Quod si roges, quid
de illis dicendum sit, qui neque erant tunc in Apostolis, nec per præ-
dicationem eorum crediderunt, ut Nathanael. Ioan. 1. & Centurio
Matt. 8. & Regulus Ioan. 4. & multi alij. Respondet ibidem August. 1.
multos ex istis non credidisse omnino perfectè ante prædicationem A-
póstolorum, quandoquidem nec ipsi Apostoli ante aduentum Spiritus
sancti satis firmi erant in fide. Secundò dicit omnes credidisse per ver-
bum Apostolorum, videlicet per verbum, quod ipsi prædicabant, licet
ex eorum ore non acciperent.

Vt credat mundus, quia tu me misisti.] Augustinus tract. 110. optimè
hæc exponit. Dixerat prius Dominus, non pro mundo rogo, & tamen
nunc rogat pro mundo: sed est mundus reproborum, de quo dicitur
Ioan. 1. & mundus eum non cognovit, & 1. Cor. 11. Ut non cum hoc mundo
damnemur; pro isto non orat Christus: est etiam mundus prædestina-
torum, qui nunc quidem sunt de mundo, ut prius erant Apostoli; sed
tamen per gratiam Christi è mundo evocandi sunt, & de hoc mundo
dicitur Ioan. 3. Non enim venit filius hominis, ut iudicet mundum, sed ut sal-
uetur mundus per ipsum; & 2. Corinth. 5. Quoniam Deus erat in Christo
mundum reconcilians sibi: pro hoc mundo orat Christus, ut per fidem
ad vitam veniat. Iansenius vult accipi mundum hoc loco pro repro-
bis,

bis, vt sit sensus, vt credat mundus, videlicet coactus evidentia miraculorum, & sanctitatis discipulorum, & inuiti, licet confiteantur me esse Deum, quemadmodum Iacob 2. *Demones credunt, & contremiscunt.* Sed iste sensus mihi non probatur, quia, vt diximus c. 5. cum aliud non cogit, semper intelligenda est Scriptura loqui de actibus fructuosis, quare hic de fructuosa fide loquitur.

Et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi eis.] Chrysostomus homil. 81. Et Theophylactus, & Euthymius interpretantur de claritate signorum, & doctrinæ, & mutuae concordiae. Cyrilus de claritate, quam accepit humanitas Christi eleuata ad unitatem personæ cum filio Dei, vt sit sensus: Hanc claritatem, quam tu mihi Pater dedisti, vt mea humanitas sit ita unita Deo, ego dedi eis, vt ipsi sunt inter se suo modo uniti, & tecum unitantur. Iansenius optimè exponit ad hunc modum: sicut ego à te accepi, vt filius tuus sum per naturam, ita meis discipulis dedi, vt sint filii tui per gratiam, per quam & tecum unitantur, & ipsi inter se tanquam fratres, & filii Dei, divinaque naturæ participes. De ista claritate filij dictum est ca. p. 1. *Vidimus gloriam eius quasi unigeniti à Patre:* de claritate autem data fidelibus, dicitur ibidem, *dedit eis potestatem filios Dei fieri,* & etiam fortasse hoc dicere voluit Cyrilus.

Vt sint unum, sicut & nos unum sumus.] Hoc exposuimus Ioan. 10. in illis verbis, *Ego, & Pater unum sumus.* quod etiam eleganter exponitur à Cyrillo lib. 11. c. 26. Est tamen difficilis quæstio quomodo intelligenda sit hæc unitas: nam cum Christi gratia necessariò impleta sit, non videmus hanc unitatem quam dicimus in fidelibus, & propterea videtur aliter esse intelligenda ista unitas: probatur, quoniam prædestinati inter se dissentunt, & pugnant. Etenim Paulus, vt ipse scribit Gal. primo supra modum persequebatur Ecclesiam Dei. Et expugnabat illam. Idem iam Apostolus ita à Petro dissensit, vt dicat Gal. 2. *Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei resitti, quia reprehensibilis erat;* & de Paulo, & Barnaba scriptum est Actuum 15. *Facta est autem dissensio, ita ut discederem ab inuidem;* & ubi apud nos legitur dissensio, in Græco est ταρόξιος, id est, irritatio, & exacerbatio. Maius autem dubium est de cæteris membris Ecclesiæ, inter quæ tot fuere semper, & nunc sunt dissensiones. Ad hæc posset aliquis respondere hanc unionem, & mutuam animorum concordiam non intelligi futuram in hac vita, sed in beatitudine. Sed hoc ex verbis Domini falsum esse aperte connincitur, quæ non est dubium intelligi de statu fidelium in hac vita: ait enim, *Non rogo ut tollas eos de mundo, sed ut serues eos à malo,* & mox, *ut ipsi, in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti.* Certum est hoc non dici de Apostolis iam beatitudine frumentibus, quos homines videre non poterant, sed de iis, quorum opera vident alij, & inde alliciuntur ad credendum. Est igitur adnotandum ex Cyrillo, loco citato, omnes fideles unum esse & fuisse semper multis modis. Primo unitate corporis mystici, quia cum prius diuisi

Ribera in Euang. Ioan.

D D d

Omnis fideles unum esse,
essent

*Claritas
Domini.*

*De qua
unitate hic
loquatur
Dominus.*

essent Gentiles à Iudæis per Christum lapidem angularem in vnam domum, & in vnum corpus Ecclesiæ coaluerunt, ad Ephes. 2. *Iam non estis hospites & aduena, sed estis ciues sanctorum, & domestici Dei;* & ideo Apostolus Gal. 3. *Omnis enim vos vnum estis in Christo Iesu.* & prima Corinth. 12. *Omnis enim vnum corpus sumus in Christo Iesu, singuli autem alter alterius membra.* Secundo modo qui sequitur ex primo, omnes fideles sunt vnum vnitate Spiritus, quia totum hoc corpus vno eodemque Spiritu sancto quasi animatur. Tertiò vnitate fidei. Quartò vnitate panis cœlestis, quo vescimur. Corinth. 10. *Quoniam unus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes quidem de uno pane, & de uno calice participamus.* Quintò vnitate charitatis, quia omnia membra viua Ecclesiæ, & Deum diligunt, & se mutuò: quas vnitatis rationes breuiter complexus est Paulus Ephes. quarto. *Vnum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestre, unus Deus, una fides, vnum baptismus, unus Deus, & Pater omnium, &c.* Quod autem sint dissensiones, & pugnæ inter fideles, non tollit hanc vnitatem, quoniam aut salua fide, & charitate inter se belligerant, aut si electi sint, id est, si sint ex iis pro quibus orat Christus, tandem peruenient ad hanc fidei, & charitatis vnitatem. Interea vero patitur Deus Ecclesiæ quoad partes suas perturbari ad maiorem ipsius profectum, iuxta illud 1. Corinth. 11. *Oportet enim, & hereses esse, ut qui probati sint, manifesti fiant in vobis.* Ad illud quod de Apostolis obiectum est, respondetur eos non solùm salua fide, sed etiam salua charitate fraterna ad se mutuò discessisse. Postremò dicimus, sicut non omnes electi ad æqualem gloriam prædestinati sunt, ita nec ad æqualem gratiam, neque ad æqualem unionem animorum, & concordiam. Quare non petit Christus omnibus membris æqualem vnitatem, sed singulis suo modo. Summa vnitas fuit inter Apostolos, & corum discipulos, magna etiam fuit, & est in multis ex electioribus membris Ecclesiæ.

Ego in eis, & tu in me, &c.] Id est, Tu es in me per naturæ communionem, & ego sum, & ero in eis per fidem, & charitatem, & ita habebunt inter se perfectam vnitatem. Chrysost. ita exponit: *Docet Dominus quomodo dederit eis charitatem, scilicet manendo in eis, & secum patrem habendo, ut eis opituletur.*

Et cognoscat mundus, quia tu me misisti.] Hoc cognoscet ex sanctitate, & mutua charitate Apostolorum: ut enim rectè ait Chrysost. hom. 81. potentiores ad persuadendum Dominus concordiam iudicat, quam miracula.

Et dilexisti eos, sicut me dilexisti.] Dilexisti eos, videlicet efficiens illos filios tuos adoptiuos, ad similitudinem meam, qui filius naturalis sum, & eis semper benefaciens, sicut & mihi benefecisti. Intelligen-
da est autem comparatio, non secundum æqualitatem, sed secundum modum vniuersiisque, ut saepe dictum est, & loquitur ita Domi-
nus

Deus Ec-
clesiam per-
turbare pu-
tatur, &
cur.

nus, vt hac comparatione magis Apostolorum animos consoletur, & attollat ad omnia pericula subeunda, cùm videant se charissimos esse Deo.

Volo ut ubi sum ego, &c.] Ostendit eis, vt ait Chrysost. quæ præmia illos maneat post mortem, vt magis amorem Christi erga se cognoscant, & fortiores reddantur, simûlque, vt ait Cyrillus, docere vult non alios gloriam suam visuros esse, quâm pro quibus orauit, & qui per ipsum Patri adiunguntur, & ideo dicit, *quos dedisti mihi*. quod verò dicit *volo*, ostendit se esse verum Deum, licet vt homo petat: quamuis Iansenius mauult, vt intelligamus iuxta phrasim Hebræorum, *volo* dictum esse pro *cupo*: Sed rectè vtroque modo intelligi potest. quoniam vtroque modo capitul in Scriptura, aliquando enim hoc verbum indicat autoritatem, & potestatem loquentis, vt Matth. 20. *Volo autem, & huic nouissimo dare, sicut & tibi*, & cap. 8. *Tetigit eum dicens, volo, mundare*. Aliquando autem verbum est non imperantis, sed subditi desiderium suum aperientis, vt Matth. 12. *Magister, volumus à te signum videre*, & Marc. 6. *Volo ut protinus des mihi in disco caput Ioan. Baptista & c. 10. Magister volumus*, vt quodcumque petierimus facias nobis. Ratio huius rei est, quoniam licet & Græci & nos habeamus ad huiusmodi loquitiones diuersos modos, videlicet *volo*, & *vellem*, tamen Hebrei indicatio utuntur semper, nec habent optatiuum, aut subiectiuum.

Vt videant claritatem meam.] Loquitur non solùm de claritate humanitatis ad dexteram Patris eleuatæ, vt intelligunt Augustinus, & Cyrillus, sed etiam de claritate, & gloria diuinitatis.

Ante constitutionem mundi.] Constitutionem mundi nihil aliud indicat, quâm factum esse mundum; sed nomen Græcum quod pro eo ponitur, id est, καταβολὴν emphasizes habet, & aliquid præterea connotat, videlicet mundum factum esse ex nihilo, nec ullam præexistisse materiam contra Manichæos & alios hereticos: vt enim adnotat Hieronymus Ephes. 1. in illis verbis, *Elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem*, vbi codem vocabulo vitetur Paulus, καταβολὴν propriè dicitur cùm quid deorsum iacit, & in inferiorem locum mittitur de sublimi, & cùm res aliqua primum exordium sumit; atque ita qui futuratum ædium prima fundamenta iaciunt dicuntur καταβάλλειν.

Pater in te, mundus te non cognouit.] De hoc diximus suprà in illis verbis, *Pater sancte*, &c. Postquam Apostolis petuit sanctificationem, & vitam æternam, nunc quasi lætatus spiritu suo, quod tanta bona dentur Apostolis, & aliis subtrahantur, qui superbia sua excæcati ipsum sequi noluerunt, ait, *Pater in te, quasi dicat*, iustum sane est, ô Pater, vt superbi abiificantur, & hæc bona parvulis istis dentur, illi superbi te non cognouerunt, nec coluerunt; ego te cognoui, & amavi, & discipuli mei me imitantes cognouerunt, & amauerunt te, & crediderunt in me. Istis ego, quia superbi non erant, magnam tui cognitionem dedi, & maiorem

*Electorum
præmia.*

*Volendi
verbum.*

*Claritas
Domini.*

*Constitutio
mundi quid.*

*Pater in-
stus.*

dabo postquam resurrexero, & Spiritum sanctum misero, vt sit in eis dilectio qua me dilexisti, id est, vt semper illos ames, semper illis beneficias, sicut me dilexisti, & mihi beneficisti, & vt illos serues à malo, vt semper in sanctitate vera permaneant, atque ita ego in illis sum per fidem, & charitatem; itaque quod nunc dicit, *Pater inste, &c.* omnino est illud quod Matth. 11. habetur, *Confiteor tibi Pater, quia abscondisti hanc, &c.* quæ verba Christus dixit exultans in Spiritu sancto, vt expressit Lucas c. 10.

SANCTVM





S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T XVIII.

1. **A**E C ùm dixisset Iesus , egressus est cum discipulis suis trans Torrentem Cedron , ubi erat hor-tus , in quem introiuit ipse , & discipuli eius . 2. Sciebat autem & Iudas , qui tradebat eum , lo-cum : quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis . 3. Iudas ergo cum accepisset cohortem , & à Pontifi-cibus , & Pharisæis ministros , venit illuc cum laternis , & facibus , & armis . 4. Iesus itaque sciens omnia , quaæ veniura erant super eum , processit , & dixit eis : Quem queritis ? 5. Responderunt ei: Iesum Nazarenum . Dicit eis Iesus : Ego sum : Stabat autem & Iu-das , qui tradebat eum , cum ipsis . 6. Ut ergo dixit eis : Ego sum : abierunt retrorsum , & ceciderunt in terram . 7. Iterum ergo in-terrogauit eos . Quem queritis ? Illi autem dixerunt : Iesum Naz-a-renum . 8. Respondit Iesus : Dixi vobis , quia ego sum : si ergo me queritis , finite hos abire . 9. Ut impleretur sermo , quem dixit : Quia quos dedisti mihi , non perdidii ex eis quemquam . 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum , & percussit Pontificis ser-uum : & abscidit auriculam eius dexteram . Erat autem nomen ser-uо Malchus . 11. Dixit ergo Iesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam . Calicem , quem dedit mihi pater , non bibam illum ? 12. Cohors ergo , & tribunus , & ministri Iudeorum comprehendenterunt Iesum , & ligauerunt eum . 13. Et adduxerunt eum ad Annam pri-mum , erat enim sacer Caiphæ , qui erat Pontifex anni illius . 14. Erat autem Caiphas , qui consilium dederat Iudeis : Quia expedit , unum hominem mori pro populo . 15. Sequebatur autem Iesum Si-mon Petrus , & alius discipulus . Discipulus autem ille erat notus Pon-tifici , & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis . 16. Petrus autem stabat ad ostium foris . Exiuit ergo discipulus alius , qui erat notus

D D d 3 Pontifici,

Pontifici, & dixit ostiaria, & introduxit Petrum. 17. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. 18. Stabant autem serui, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se: erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. 19. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. 20. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo quo omnes Iudei conueniunt: & in occulto locutus sum nihil. 21. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quae dixerim ego. 22. Hac autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu, dicens: Sic respondes Pontifici? 23. Respondit ei Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. 25. Erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis eius es? Negavit ille, & dixit: Non sum. 26. Dicit ei unus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscidit Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo? 27. Iterum ergo negavit Petrus: & statim gallus cantauit. 28. Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. 29. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? 30. Responderunt, & dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissimus eum. 31. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudei: Nobis non licet interficere quemquam. 32. Ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. 33. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit Iesum, & dixit ei: Tu es rex Iudeorum? 34. Respondit Iesus: A temet ipso hoc dicis, an alijs dixerunt tibi de me? 35. Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudeus sum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? 36. Respondit Iesus: Regnum meum non est de hoc mundo, si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Iudeis: nunc autem regnum meum non est hinc. 37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate,

ritate , audit vocem meam . 38. Dicit ei Pilatus ? Quid est veritas ? Et cum hoc dixisset , iterum exiuit ad Iudeos , & dixit eis : Ego nullam inuenio in eo causam . 39. Est autem consuetudo vobis , ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Iudeorum ? 40. Clamauerunt ergo rursum omnes dicentes : Non hunc , sed Barabbam . Erat autem Barabbas latro .

IN CAPVT XVIII. SANCTI
IESV. CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,

COMMENTARIA.

HECE CUM dixisset Iesu , egressus est , &c. Augustinus tract . 112. docet non continuò , vt finita est oratio Domini , factum esse , quod modò Ioannes scribit , sed alia , quedam fuisse interposita , quæ ab isto Euangelista prætermissa apud alios leguntur . Idem tertio de consensu Euangelistarum cap . 3. explicat magis hoc modo . Prius facta est contentio inter discipulos , quis eorum videatur esse maior , Lucæ 22. & etiam prius dixit Dominus Petro : Simon , ecce satanas experiri vos , ut cibraret sicut iriticum , &c. usque ad illud , ecce duo gladii hic . De ordine rerum gestarum , & consensu Ioannis cum cæteris , diximus cap . 13. in illis verbis , & cœna facta : nunc tria dicere satis erit .

An finita
oratione
Domini fa-
ctum conti-
nuò fuerit
quod hic
narratur à
Ioanne .

Primum est , mihi valde difficile esse quod Augustinus dicit , post concionem , & orationem Domini factam esse contentionem inter discipulos , quis eorum videretur esse maior , quoniam Lucas aperiè indicat hanc contentionem ortam esse ex verbis quæ Dominus dixit inter cœnandum , ex quo patet & ipsam contentionem inter cœnandum contigisse , ita enim solet idem Augustinus argumentari , vt statim videbimus ait enim Dominus , Veruntamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa , &c. Et ipsi cœperunt querere inter se , quis esset ex eis , qui hoc facturus esset . Facta est autem & contentio inter eos , &c. videlicet cum quererent , quis facturus esset . constabat enim eum esse facturum , qui minor esset virtute , & imperfectior , & inde sumpta occasione contendere cœperunt , quis eorum esset maior , & perfectior , atque ut , simul factam esse istam contentionem , docret Euangeli sta , adiecit coniunctionem , facta est , & contentio inter eos , quasi dicat , non solum cœperunt querere quis facturus esset , sed etiam simul cœperunt contendere , quis eorum esset maior .

Secundum est , Dominum prædictissime Petro , quod ter ab eo esset negandus

negandus, postquam finiuit orationem capitinis præcedentis, iram & in via cùm ibat in montem olivuarum. nam ita disertè hoc à Matth. cap. 26. & à Marco cap. 14. commemoratur, vt nullus dubitandi locus relinquatur, aiunt enim, & hymno dicto exierunt in montem oliveti. tunc dicit illis Iesus: Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. dixit Petrus: Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor; tunc ait illi Dominus: Antequam gallus canet, ter me negabis. Quod videtur omnino aduersari Ioanni, qui cap. 13. docet, statim post ablutionem pedum dictum esse. Ad hoc respondet Augustinus 3. de consensu Euang. cap. 2. Dominum ter prædixisse Petro suam negationem diuersis locis sermonis, sive diuersisque temporibus; probat, quoniam Euangelistæ ita diuersa verba, & diuersas Domini sententias præmittunt, quibus promotus Petrus illam præsumptionem proferret, vt non possit intelligi, vel Ioannem vsum eis præoccupacione, & anticipatione, vel Matthæum, & Marcum recapitulatione, sed potius ter id contigisse. Primo contigit Ioan. 13. ex huiusmodi occasione. Dixit Dominus discipulis: Quò ego vado, vos non potestis venire; deinde quærenti Petro, Domine quò vadis? Quò ego vado, non potes me sequi modo; tunc Petrus: Quare non possum te sequi modo, animam meam pro te ponam; huic præsumptioni respondit Dominus: Animam tuam pro me pones? Amen, dico tibi, antequam gallus canet, &c. Secundo contigit Lucae 22. ex diuersa occasione; dicente enim Domino, Simon, ecce satanas expetiuit vos, &c. & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Cùm Petrus intelligeret hæc verba sibi dici tanquam easculo, & scandalum passulo, ait: Domine tecum paratus sum, & in carcerem, & in mortem ire, tunc ait Dominus: Dico tibi Petre, non eantabit hodie gallus, &c. hoc autem factum esse antequam ex loco illo exirent, in quo sermo habitus est: ait enim postea, Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivuarum: Tertiò contigit in via postquam egressi sunt, ex alia etiam occasione, vt iam retulimus ex Matth. & Marc. Et certè optimè correspondet trina prædictio trinæ negationi, vt qui ter admonitus semper sibi confusus est, & præsumptionem suam non correxit, meritò sineretur cadere in trinam negationem, vt ter punitur illa præsumptio.

Tertium supponendum est, verum esse quod loco citato cap. 3. scribit Augustinus post orationem Dominum dixisse Petro, Simon, ecce satanas expetiuit vos, &c. usque ad illud, satis est, quoniam post illud sequitur in Luca, & egressus ibat secundum consuetudinem in montem olivuarum, & etiam ibi ait, Ego autem roganus pro te, &c. quod indicat fuisse post orationem; quod autem dicit Matthæus, hymno dicto, putare aliquis posset hymnum fuisse orationem istam c. 17. sed hoc falsum esse intelligitur ex verbo Græco ἑψήσατε, quod pluralis numeri est, id est, postquam hymnum dixerunt: oratio autem ista cap. 17. à solo Christo dicta est, vt omittamus, aliud esse hymnum, aliud orationem. Hymnus iste licet dici posset, cùm iam egredi volebant, sicut ibidem

ibidem intellexit Augustinus, & est satis probabile, quoniam Mattheus, & Marcus dicunt, & hymno dicto exierunt; tamen probabilius videtur, fuisse gratiarum actionem, quam sumpto sacramento, & cæna finita Christus cum Apostolis more suo Patti reddidit. Ita sensit Chrysostomus homil. 83. in Matth. nam inde sumpta occasione reprehendit eos, qui post cibum gratias Deo non agunt, & eos etiam qui vltimam Missæ orationem non expectant, quæ illius symbolum est hymni; consentiunt Theophylactus, & Euthymius, in Matth. cap. 26.

Transtorrentem Cedron.] Multi putant Cedron nomen esse Græcum, ut sit iste torrens dictus, torrens Cedrorum, eo quod hinc & inde cedros plantatas haberet. ita existimat S. Thomas, & Lyra, nec deficit errandi occasio, quoniam Euangelista dicit in Græco Cedron cum articulo genitiui pluralis, ut manifestè videatur esse genitiuum pluralis, & cum codem articulo legitur apud LXX. 3. Reg. 15. vbi nos habenus, *Et combusit igne in torrente Cedron.* Sed sciendum est Cedron nomen esse vallis cuiusdam profundæ, quæ est ad Orientem Hierusalem inter urbem, & montem olivarum, qui sex stadiis, id est, sexcentis viginti quinque passibus. Distant ab Hierusalem, ut aperte intelligitur ex Iosepho lib. 6. de bello Iudaico cap. 5. vbi ait: His autem præceptum erat sexto ab Hierosolymis stadio castra posse quæ in parte mons, qui appellatur Eleon, id est, olivarum, contra Ciuitatem ab Oriente situs est, aliaque interiacente valle disceretur, cui nomen est Cedron. Inde torrens, qui per illam fluebat, dictus est Cedron, cuius meminit Scriptura 2. Reg. 15. & 3. Regum 15. & aliis locis. Quod autem etiam ipse torrens dictus fuerit Cedron, docet Hieronymus in locis Hebraicis, & colligi potest ex locis Scripturæ citatis & ex Iosepho 8. antiquit. cap. 1. & lib. 9. cap. 7. Ex quibus locis patet nequaquam esse nomen Græcum significans cedrum arborem, nam cedros Hebræi vocant *aracim*, vallis autem dicta est Κέδρη, à verbo Κέδρος, eo quod obscura esset vallis illa, & propter profunditatem; & propter arbores: ut enim author est Beda in libello de locis sanctis cap. 6. hæc vallis irrigua est, & nemorosa, plenaque deliciis, vnde Hieronymus Hierem. 13. in fine inquit: Cedron interpretatur obscuritas. Quod autem in Græco in locis citatis, & hic apud Ioannem scribatur κέδρον, cum eo nihil est mirum, ita enim debuit scribi, cum etiam apud Hebræos illud ο, sit magnum, sive longum; sed accentum tamen debet habere in ultima, quod in libris Græcis erratum est: at quod addatur articolus pluralis, causam esse arbitror, ut demonstretur, quinam esset torrens ille, & ideo existimo LXX. scripsisse, in torrente κέδρον, vt sit sensus, in torrente illo qui dicebatur Cedron, vel in torrente qui est Cedron, id est, vallis illius Cedron, vt ab aliis torrentibus discerneretur, at qui Græcè tantum sciebant, putauerunt κέδρον, esse genitiuum pluralem, & ideo addiderunt articulum nu-

Ribera in Euang. Ioan.

EE e meti

Cedron
quid.

meri pluralis ἥπερ, cùm legendum apud Ioannem τὸ κέδρον, & apud LXX. τὸ κέδρον. Cæterum torrens ipse valde modicus est, & ferè semper arenis, nisi cùm ex pluviæ aquis augetur, vt ait Beda in lib. de locis sanctis cap. 6. Accipit etiam aquas interdum propinquarum piscinarum, vt scribit Brocardus lib. de terra sancta. huius transitus figura præcessit in Dauid 2. Reg. 15. qui persequente Absalon cum populo suo mæstus transiuit torrentem Cedron, & incedebat contra viam, quæ respicit ad desertum. Quodd autem ibi legitur in multis exemplaribus, contra viam oliue, non habetur in Hebreo, nec apud LXX. nec in codice Complutensi, sed tantum, contra viam, & ita legendum est, putat autem Ianuenius cap. 137. Ioannem meminisse torrentis Cedron mysterij causa, videlicet quia iam instabat tempus, vt torrentes diuersarum passionum Dominus transiret, iuxta illud Psal. 109. *De torrente in via biber, & quoniam Dauid in figura transferat eundem torrentem.*

Vbi erat hortus.] Alij Euangelistæ nihil de horto dicunt, sed Matth. & Marc. tantum dicunt, *Tunc venit cum illis in villam, qua dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis; Sedete hic donec vadam illuc, & orem.* Cùm primùm igitur torrentem transiuit, venit in Gethsemani, quæ erat villa ad radices montis oliueti, & ideo Lucas ait, *& egressus ibat secundum*

Gethsemani confactudinem in montem oliuarum. Gethsemani autem interpretatur vallis olei mei, siue pinguedinis meæ, & meritò, cùm inde incepit mundi fertilitas, & bonorum abundantia, incipiente passione, & terra sanguine Christi madefacta. In Gethsemani autem erat hortus, vt ait August. 3. de consens. Euang. c. 4. in quem introiuit Dominus cum discipulis, vt ait Ioannes, quibus dixit, *sedete hic donec vadam illuc, & orem,* vt ait Matthæus, *& anulus est ab eis quantum iactus est lapis,* vt ait Lucas, idque in eodem horto. Deinde in eodem loco, qui distabat à priori ad iactum lapidis, reliquit Petrum, & Iacobum, & Ioannem, & dixit eis, *sustinetec hic, & vigilate mecum,* & progressus pusillum

Hortus iste quid desiget.

venit in locum in quo oravit. Hortus iste, vt ait Cyrillus, paradisum designabat, quoniam per Christi passionem homo in verum paradisum reducendus erat. Lucæ 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.* Præterea, vt cum eodem Cyriollo ait Rupertus, sicut in horto, id est, in paradiſo, initium malorum factum est, Adā tentato, & superato, sic in horto passio Christi incepit, per quam à malis liberati in pristinum habitum restituti sumus. Sed est hoc loco quædam difficultas de locis, quæ in horto signata sunt à nobis, quoniam Aranda in descriptione terræ sanctæ tract. 1. c. 13. & 25. scribit Dominum à ponte torrentis Cedron ascendisse per radices montis oliueti ducentos passus versus Septentriōnem, id est, ad sinistram, & ibi reliquise octo discipulos: inde paululum versus dexteram ascendit 187. passus, & ibi reliquit tres discipulos, inde descendit paululum ad sinistram 187. passus, & ibi oravit. Fr. Antonius Medina in suo lib. de terra sancta, dicit propè cænaculum esse portam cum septem annis indulgentiæ, & 7. quadragenis, quæ dicitur

Porta vallis orientalis.

Porta

Porta vallis Orientalis, qua descenditur in vallem Iosaphat, per hanc exiit Dominus, & descendit per vallem Iosaphat usque ad torrentem Cedron, statim ascendit per montem oliueti, usque ad parvas quasdam domos, quae dicuntur Gethsemani, hic reliquit discipulos, & in eodem loco, ut tradunt Christiani terræ sanctæ, Abraham immolatus Isaac reliquit seruos, Genes. 22. & ibi est templum cum eisdem indulgentiis, quod hodie tenent Saraceni. Probat autem iste author hoc fecisse Dominum, ut figura illa Abrahæ impleretur, quoniam, ut veniret in hortum, non necesse habebat venire in Gethsemani: deinde descendit in hortum distantem à loco, in quo reliquit discipulos ad iactum balistæ propè torrentem Cedron, in quem locum tradunt Christiani terræ sanctæ deductos esse ab Angello primos parentes è paradiso ejectos, & ibi laborasse, ibique revelationem accepisse passionis Christi. Sed iuxta hos authores hortus non erat in Gethsemani, quod omnino falsum est, quoniam Matthæus, & Marcus docent discipulos relictos esse in Gethsemani; Tunc venit Iesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, & dixit discipulis suis, sedete hic, donec vadam illuc, & orem; Ioannes autem ait, Egressus est, & trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse, & discipuli eius. Ergo reliquit illos in horto; ergo hortus ipse erat in Gethsemani, & ibidem captus est, nam locus iste notus erat Iudæ, ut ait Ioannes, & venit illuc cum laternis, & facibus, &c. Præterea sancti, ut vidimus, docent Dominum orasse in horto, quod factum esse in Gethsemani docet Hieronymus in locis Hebraicis dicens, Gethsemani locus, ubi Saluator ante passionem orauit: est autem ad radices montis oliueti, nunc Ecclesia desuper adificata. Quare arbitror dicendū esse tunc hortū illum Gethsemani comprehenduisse ista tria loca, erat enim villa, ut legimus in Marth. vel prædium, ut legimus in Marco. Itaque Dominus, quoniam à loco Iudæ noto recedere solebat, in tunc loco, & remotiori discipulos posuit, ipse vero venit ad minus tutū, id est, ad propinquorū rūbi, ut ipsum prius inuenirent Iudæi, quām discipulos, & ut quietius oraret. Nec obstat quod Valla in annotationibus noui Testamenti, & Iansenius reprehendant nostrum interpretem, quod cùm tam in Matthæo, quām in Marco sit in Græco χωριον, id est, locus ipse, verterit villa, vel prædium; certum enim est hoc vocabulum apud Græcos significare agrum, & villam, & prædium, ut videre licet in Græcis dictionariis. Præterea nec illud obstat quod hortus apud Latinos dicitur locus oleribus consitus. nam si arbores habeat, & amoenitatem, dicitur horti, plurali numero, ut idem Valla docet lib. 3. c. 9. nam nec hoc semper apud Latinos obseruatur, & nomen Græcum κῶπις, quo hic vtitur Ioannes, vt rūmque significat, est enim, & olerū, & arborum, ut ait Suidas, & sāpe in authoribus Græcis hoc cernitur; immo vero apud veteres Latinos hortus villā significabat, ut scribit Festus Pomp. lib. 8. de veteri vocabulū significatione, & Plin. lib. 19. c. 4. ait, In duodecim tabulis legum nostrarum nusquam nominatur villa, semper in significatione ea hortus.

Quare probabile est ad hanc significationem respexisse Interpretem: verum etiam si non resperxerit, non est dubitandum Ioannem, cum dixit κήπος, id est, *hortus*, idem significasse quod Matthaeum, & Mareum, dicentes, χαρέιον, & noster Interpres pro eodem accepit, villam, & prædiuum, & hortū, videlicet pro rustica possessione non breui, sed spatiofa, quā Ioannes ostendit arboribus fuisse consitam cum hortū vocauit.

Sciebat autem, & Iudas locum.] Sæpe Dominus noctu ex urbe secedebat in montem olinueri, & in hunc hortum, ut remotum ab urbanis tumultibus, & orationi aptum, veniebat, ut oraret, ideo Lucas ait, *ibat secundum consuetudinem in montem olinuarum*, ideo etiam locus notus erat Iudæ, cui nota erat consuetudo Domini pernoctandi in monte. Proptereaque, ut notat Chrysost. hom. 82, non venit Iudas in locum cœnæ ut dormientem comprehendat, sed in hortum, ubi in oratione solitus est pernoctare. Et sicut Dominus consulens timori discipulorum seceriorem concioni, & quietiorem locum elegit, cum dixit cap. 14. *surgite, eamus hinc;* ita cum iam tempus est exequendi, latebras deserit, & in locū solitum proditorique notum venit, ut doceat se sponte sua in mortem profici, iuxta illud Isa. 13. *oblatus est, quia ipse voluit.*

Iudas ergo cum accepisset cohortem, &c.] Post verba Ioannis iam exposita sequitur tria Domini oratio, quā Ioannes ab aliis diligenter enarratam prætermisit: cum autem iam tertio tres discipulos dormientes excitasset, dixissetque; *Eamus, ecce appropinquauit, qui me traderet*, sequitur quod nunc ait Ioan. *Iudas ergo;* non est ausus sine magna militū manu venire, ita enim iam excæcatus erat, ut putaret multos satisfuturos esse, ut Dominū comprehenderent, sicut ait Cyrillus, unde & illis dixerat apud Marcum, *Quicumque esculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cauē;* viderat enim illud Luc. 2. *Iesus autem transiens per medium illorum ibat,* cum scilicet Nazareni volebant eum ē monte præcipite dare: vidit etiam Ioan. 8. ē manibus Iudaorum effugisse, & ideo dicit, *& ducite cauē* Hier. in Matth. dicit, hoc dixisse Iudam, quia existimabat Dominum illa omnia fecisse magicis artibus: accepit autem cohortē, quæ non fuit Iudaorum sed militum Romanorum, ut ait Aug. tract. 112. & ceteri quos aut expensis Pontificum conduxit, aut, ut ait Augustinus, à Pilato accepit, Pontificibus ipsis perentibus favorē ad comprehendendum eum, & ad sedandum scandalum; accepit etiam à Pontificibus, & à Pharisaicis ministros suos; *cum militibus venit eorum tribunus*, sicut paulo post legimus; cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudaorum comprehendenterunt Iesum; cum ministris Pontificum venerunt quidam Principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores, ait enim Lucas, *dixit Iesus ad eos, qui venerant ad se, Principes sacerdotum & magistratus templi, & seniores, &c.* Est autem cohors propriè peditum, sicut turma equitum, & magnum fuisse numerum militum, colligi videtur ex nomine Tribuni, qui Græcè dicitur ab Evangelista χιτιαχός, id est, qui mille viris præst. Pontifices vocat Annam & Caipham, non quod simul essent Pontifices, yhus enim tantum erat summus sacerdos,

*Cohors, &
Tribunus
quid.*

*Qui Ponti-
fices.*

nec

nec quod ab uno in alterum deuolueretur summus Pontificatus, constat enim hoc falsum esse ex Iosepho 18. antiquitatum c. 3. quem sequitur Eusebius lib. 7. historia Eccles. c. 10. & Nicephorus lib. primo hist. Eccles. c. 19. docet, siquidem Iosephus, primum gesisse Pontificatum Annam, sive, ut ait, Ananum, cui Valerius Gratus quintus Iudææ praeses Pontificatum ademit, & tradidit Iudaici, & paulo post Eleazar filio eiusdem Annæ mox post annum transtulit illum in Simonem Camethi filium, & post alterum annum traditus est Caiphæ, cuius anno passus est Dominus. Sed vocantur isti duo Pontifices, quoniam Annas diu fuerat Pontifex, ut ait Iosephus 20. antiquit. c. 8. deinde Eleazar eius filio pontificatum gerente, ipse quodammodo gerebat, & particeps erat imperij. Eodem modo cum esset Sacer Caiphæ Pontificis, ut in hoc c. docet Ioannes, communem inter se gubernationem habebant: unde paulo post Pontifex vocatur, ut ibi, *discipulus autem ille erat notus Pontifici, & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis, &c.* & propterea Annas vocatur Pontifex, Caiphas autem, quia eo anno Pontifex erat, Principes sacerdotum vocati putant Chrysostomus homil. 80. in Matth. & Theophylactus, & Euthymius in Matth. qui superioribus annis summo Sacerdotio perfuncti fuerant. hoc colligitur aperiè ex Matth. qui ait, *Principes vero sacerdotum, & omne Concilium querebant falsum testimonium contra Iesum.* Pro quo Marcus ait, *summi vero sacerdotes, & omne Concilium querebant aduersus Iesum testimonium.* Non ergo erant præcipui inter sacerdotes tantum, sed qui summum pontificatum gererant; isti enim soli dicuntur summi Sacerdotes, nec potest dici hos esse Annam, & Caipham, quoniam Annas cum haec gerebantur domi suæ manserat, ait enim Ioannes, *& misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem.*

Summi Sacerdotes qui.

Magistratus templi qui.

Magistratus templi vocantur, qui templo custodiendo præfecti erant, ut ait Euthymius in Lucam c. 22. ibidem Theophylactus dicit hos magistratus constitutos fuisse ad excuenta ea, quæ ad usum templi exigebantur, vel præfectos fuisse ædificio, & constitutioni templi; sed multo verius, & certius est, quod ait Euthymius, hos Lucas Dices appellat, atque inde arbitror fuisse ex Iudeis, non ex Romanis milibus, quibus probabilius est commissariam fuisse custodiam templi. Quod autem Beda in Lucam scribit, non venisse ad comprehendendum Dominum Principes sacerdotum, sed ideo dici venisse, quia misserunt milites, & ministros; non videtur verum, quoniam Lucas aperiè dicit venisse, nec est aliquid quod nos cogat ut figuratè accipiamus verbum *venisse*, cum possit propriè accipi. Ad eius argumentum quod Principes sacerdotum expectabant in domo Pontificis, dum Christus vincitus duceretur. Respondeatur hoc non legi apud Evangelistas, tantum ait Matthæus, *Duxerunt ad Caipham Principem Sacerdotum, ubi scriba, & seniores conuenerant.* Quamuis autem legeremus Principes sacerdotum expectasse in domo Caiphæ, neque id cogeret nos; facile enim esset respondere partem corum in domo Caiphæ mansisse,

partem cum Iuda exisse; sicut de senioribus dicendum est , quos Lucas dicit venisse cum Iuda, & Matthæus, Conuenisse in domum Caiphæ, atque hoc verum esse confirmat Marcus, dicens, & adduxerunt Iesum ad summum sacerdotem, & conuenerunt omnes Sacerdotes, & scriba, & seniori. quibus verbis ostendit multos cum Iuda venisse ad comprehendendum Dominum , & inde conuenisse in domum Caiphæ. Iudæ conuenire potest illud Iob 17. Prædam pollicetur sociis, &c.

Venit illuc cum laternis.] Cyrillus: desideri digni sunt, qui cū laternis, & facibus aduersus Christum proficisciabantur. Timebant forsitan ne , ut in tenebris fieri solet , aut in foueas caderent , aut pedes lapidibus offendenterent , nec videbant se in lapidem illidere , de quo à Deo Patre dictum est, Isai. 28. *Ecce ponam in Sion lapidem offensionis;* & petram scandali, & paruam foueam formidantes in profundum abyssi dilapsi sunt, & illius noctis tenebras facibus depellentes, de noctis perpetuæ tenebris minimè curant.

Iesus itaque sciens omnia.] Hoc cæteris Evangelistis adiecit Ioannes, vt & Christi diuinitatem indicaret, qui sciebat ventura, & quod sponte sua pro nostra salute se certo periculo, & morti obiiciebat.

Iesus cur vocatus Nazarenus. *Respondente ei, Iesum Nazarenum.*] Nazarenus vocabatur à Patria, vt distingueretur ab aliis, qui nomen idem habebant, sed mirabile est, inquit Cyrillus , quod isti Christum non cognoscerent , nox erat , & ferebant faces, & laternas , milites Romani illum non viderunt , nec hoc credibile est , cùm essent in Hierusalem , vbi Christus sæpe prædicauerat; aderant etiam ministri Pontificum, & Principes sacerdotum & alij, qui sæpe ipsum viderant , immo & Iudas ipse aderat: nam ideo Ioannes addidit , *stebat autem , & Iudas , qui tradebat eum cum ipsis.* Sed ostendit adhuc manifestius vltra se ad mortem venire, vt enim ait Cyrillus , innotuit hic potestas Christi, qui cognitionem illis ademit , vt doceret non solum le à nullo capi posse inuitum, verum nec cognosci quidem. Idem eleganter docet Chrysostomus homil. 82. vbi etiam ait: *Vides vim insuperabilem, quomodo in medio existens eos excecauit.*

Ego sum.] Non fecit Dominus sicut Rex Israel, qui mutatis vestibus regiis, ne agnosceretur, ingressus est in prælium 3. Regum. vltimo sed potius sicut David, qui 1. Paralipom. 21. ait , *Domine Deus meus , vertatur, obsecro, manus tua in me , & in domum patris mei , & populus meus non percutiatur;* ita Dominus ait , *Dixi vobis, quia ego sum;* si ergo me queritis, sinite hos abiire.

Abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram. Aug. tract. 112. *Vbi nunc militum cohors , & ministri Principum , & Phariseorum, ubi terror, & munimentum armorum, nempe una vox dicentis, Ego sum, tantum turbam odis ferocem, armisque terribilem, sine telo vlo percussit, repulit stravit, & paulo post, quid iudicaturus faciet, qui indicandus hoc fecit , quid regnaturus poterit, qui moriturus hoc potuit.* Vide de hoc eundem August. tract. 47. & Ambrosium. Luc. 22. & Gregorium 17. Moral. c. vltimo. Est præterea notandum, quod ait Cyrillus, signum aut futuri gentis Iudaicæ casus, is Ministrorum casus est,

est, id est, significatum est Iudæorum populum qui Christum vidit, & audiuit suam diuinitatem verbis, & miraculis demonstrantem, propter incredulitatem suam abiiciendum esse, & casum retrosum: nam illud verbum, *Ego sum*, licet significet, *Ego sum Iesus Nazarenus*, simul videtur significare illud, *Ego sum qui sum*, atque ita tantam vim habuit. Augustinus tract. 112. & nunc ubique per Euangelium. *Ego sum*, dicit Christus, & à Iudeis expectatur Antichristus, ut retro redeant, & in terram cadant, quoniam deserentes cœlestia, terrena desiderant, &c. Hic impletum est illud Isai. 1. *Dereliquerunt Dominum, blasphemauerunt sanctum Israel, ab alienati sunt retrosum*: & Ps. 34. *Auertantur retrosum, & confundantur cogitantes mibi mala*. Quid vero sit mysticè, cadere in faciem, & cadere retrosum, ita explicat Gregorius 31. Moralium, c. 18. *In faciem cadere, est in hac vita suas unumquenque culpas agnoscere, & eas paenitendo deflere, retro quo non videtur cadere, est ex hac vita repente discedere, & ad qua supplicia divatur ignorare*. Sic Saulus cadit in faciem, Actuum: sed ascensor equi cadit retro, Genes. 49. Eadem rem explicat homil. 9. in Ezech. & assert hunc locum Ioannis, dicitque cadere in faciem esse electorum; cadere vero retrosum esse reproborum.

Sinite hos abire.] Non obsecrantis sunt haec verba, sed iubentis, ut aiunt Cyrillus, & ceteri Doctores. Aug. tract. 112. *Inimicos videt, & hoc faciunt quod iubet, sinunt eos abire, quos non vult perire*. Merito autem dicit, *sinite hos abire*, ut ostendat quam curam salutis eorum omni tempore habeat; tum etiam, quia non per eorum mortem redimendi eramus, sed per mortem Christi unius, sicut per os Caiphæ dixit Spiritus, *Expedit vobis ut unus homo moriatur pro populo, ne tota gens pereat*, Ioan. 11. Quærit autem Chrysostomus homil. 82. quomodo non iniecerint manus in discipulos, & maximè in Petrum, qui eos, serui aurem abscondendo, irritauerat, quis eos continuit. Respondebat, nemo aliis quam quæ eos retraxerat potentia, quod Euangelista non eorum mentis, sed supernæ virtutis eos coercētis fuisse significat, dicens, ut sermo impleretur, quem dixit, *Non perdidi ex eis quenquam*. Ex his Domini verbis colligit optimè Caeranrus, quod latius confirmat ientaculo 6. quæstione 4. Adolescentem illum, de quo Marcus ait, *Adolescens autem quidam sequebatur eum, amictus sindone super nudo, & tenuerunt eum: at ille relitta sindone nudus profugit ab eis*, non fuisse ullum ex Apostolis, quoniam Apostolos nequaquam Iudæi tenuerunt, sed impletum est verbum Domini *sinite hos abire*: non ergo fuit Ioannes Euangelista, ut putauit Chrysostomus super Ps. 13. in illis verbis, *Et cum faciebant qui querebant animam meam*.

Quod patet ex Marco, qui ait, *discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt, adolescens autem quidam, &c.* patet etiam, quod de Ioanne dicitur: nam Ioannes non solum non erat eo tempore adolescentes, sed etiam excesserat 30. annum; mortuus est enim imperante Traiano, id est, sexagesimo octavo anno post passionem Domini, ut scribit Hieron. in catalogo virorum illustrium, agebat autem tunc nonagesimum nonum ætatis suæ annum, ut author est Dorotheus Episcopus Tyri,

Cadere in faciem, & cadere retrosum, mysticè quid, ex Grez.

Quis adolescentes hic fuerit.

Ioannes quamdiu vixerit, &

& Martyr in Synopsi: accedit quod in Græco non dicitur adolescentis, sed, *γεράσιον*, id est, *adolescentulus*. Præterea Apostoli ea nocte vestes non exuerant cum Dominum securi essent, nec poterat ullus eorum nudus esse: probabilius est, ut ait Caietanus, fuisse adolescentem qui in lecto iacebat in horto, & Dominum frequenter in horto suo verantem securus est, aut alium quemquam ex vicino, qui strepitum audiens videndi causa subito e lecto surrexit.

Non perdidisti ex eis quemquam.] Hoc dixit c. 17. *Quos dedisti mihi, ego custodiui, et nemo ex eis periret.* Sed videtur non bene afferri haec verba ab Evangelista, cum enim Dominus haec dixit de morte spirituali, & de damnatione loquebatur, Ioannes autem tunc intelligit de morte corporis. haec verba solent varie ab authoribus explicari. Primò de morte animæ tantummodo, & ita intellexit Augustinus tract. 112. *Cur, inquit, si nunc morerentur perderet eos, nisi quia nondum sic credebant in eum, quomodo credunt quicunque non pereant.* hanc respirationem assert postremo loco S. Thomas, aperteque fatetur, si tunc Apostoli mortui essent, futuros esse ex iis qui pereant; sed profectò hoc valde dubium est. *Quid enim tunc Apostoli commiserant, ut in peccato mortali fuisse credantur, aut qua in re infidelitatem ostenderent.* Secunda responsio, quam S. Thomas Chrysostomi esse dicit, est, intelligi illa verba Christi de viraque morte, atque hanc sequuntur Lyra, & Ianuenius, sed Chrysostomus non dicit ita intellexisse Dominum. Haec enim sunt eius verba homil. 82. *Perditionem autem dicit non mortis, sed illam eternam.* Et præterea si de morte corporis etiam locutus est Dominus, quomodo possunt vera esse haec verba, cum postea eius causa mortui sunt in martyrio, non enim ad certum tempus dicit se eos seruare, sed omni tempore. Tertia solutio est S. Thomæ. *Si tantum, inquit, de perditione anima loquutus sit, dicendum quod Evangelista hic per quandam extensionem referat ad mortem corporis.* Sed haec est multo difficilior, quamvis omnino videtur esse Chrysostomi, & Theophylacti; quoniam si ita est, non impletur sermo, quem dixit Christus, nisi materialiter tantum, quandoquidem ipse noluit intelligere de hac morte; quare Evangelista videretur verba Domini in alienum sensum detorsisse, quod profectò absurdum est; quamobrem recipienda est Caietani exppositio, quæ multo anteposita est à Ruperto, verba Christi tantummodo intelligi de morte animæ, quæ subsequuta fuisset, si tunc Apostoli comprehenderentur; tanto enim timore capti erant, ut fugerent omnes, & ex Petri negatione potest intelligi quid alij Apostoli facturi fuissent si casarentur, nam si Petrus propter præsumptionem in negationem incidit, cæteri quoque similiter præsumperant, inquit enim Matth. *Ait ei Petrus, etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Similiter & omnes Apostoli dixerunt. Quare si tunc Apostoli capti, & occisi fuissent, velenienter timendum erat, ne damnarentur. *Quoad ordinem autem Augustinus Tertio de consensu Evangelistarum c. 1. putat Iudam accessisse, & dixisse cum osculo, Ave Rabbi; tunc Dominus dixit.*

Iuda osculo filium hominis tradis? vt ait Lucas: deinde dixit quod est apud Matth. *Amice, ad quid venisti?* Post hæc sequitur apud Ioannem, *Quem queritis?* Responderunt ei, *Iesum Nazarenum.* At profectò hoc est valde difficile, factum esse quod Ioannes narrat post ea, quæ narrantur à cæteris: nam cùm Iudas osculatus est Dominum iuxta signum quod dederat Iudeis, agnouit eum sine dubio, quod si antè non no-uisset, quomodo poterat non cognoscere, cùm dixit, *Iuda, osculo fi- lium hominis tradis?* At quando dixit apud Ioannem, *Quem queritis,* nec alij eum nouerant, nec Iudas ipse, vt iam ex Chrysostomo. & Cyrillo diximus. *Aderat Iudas inquit Chrysostomus, sed non magis cognoscebat, quam alij quia erant cœcati.* Omnino ergo dicendum est prius factum el- fe, quod narrat Ioannes, & continuò post illa verba, *Si ergo me queritis, finite hos abire, accessit Iudas, & dixit, Ave Rabbi, & osculatus est eum,* & ita ordinat hæc Euthymius super Matthæum. Postea dixit Domi- nus, *Amice ad quid venisti, & continuò; Iuda osculo filium hominis tradis,* vel ordine conuerso, vt inquit Augustinus.

Simon ergo Petrus habens gladium, &c.] Petrus vt adnotat Ambrosius super Lucam, sciebat reputatum esse ad iustitiam Phinees, Num. 25. quod virum Isaelitam ingressum ad mulierem Madianitidem simul cum ipsa confudit pugione pro honore Dei, & eius exemplo irruit in eos, qui Dominum comprehendenterant, & potissimum in Malchum quod is forte aut primus omniū, aut atrocius quam cæteri manus iniecerat in Iesum; simul audierat, quod nocte illa post cœnam dixerat Domi- nus Luc. 22. *Sed nunc qui habet sacculum tollat, similicer & peram, & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium: dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me, & cum iniquis depuratus, quibus verbis existimauit Dominum petere arma ad sui defensionem.* Et quamvis edocetus fuerat se non defendere, tamen Dominum suum omni ratione defendendum putabat. Ioannes autem diligentius hoc quam cæteri narravit, nam solus nomen serui indicauit, & cum Luca adnotauit auriculam dexteram fuisse, vt melius posset intelligi myste- rium, quod latebat. Malchus vertitur *Rex*, nam Rex apud Hebræos di- citur מֶלֶךְ, *melech*, & Chaldaicè מֶלֶךְ malecha, & erat seruus Pontificis, significatque populum Iudeorum, qui quondam Rex fverat, & liber, sed postea seruus factus est Pontificum, & sacerdotum, qui cum suis traditionibus, & ceremoniis onerabant, & præterea deuorabant, vt videmus Matth. 2, *Iste, Petro, & Apostolis prædicantibus Euangeliū,* dexteram auriculam amisiſt propter infidelitatem suam, & odiū Chri- sti, id est, surdus factus est ad audiendum Euangeliū, & ad audiendū ea, quæ necessaria sunt ad salutem; donec eum Dominus conuer- tat, & ei auriculam restituat. ita Hieronymus in Matthæum, & Am- brosius in Lucam, & Cyrillus, sed hic breuius.

*Malchus
quid, & unde dicitur.*

Mitte gladium tuum in vaginam.] Quærerit cur Dominus reprehen- derit factum Petri? cùm olim ita probauerit factum illud Phinees, quem ipse, vt ex Ambrosio diximus, imitari studuit, præsertim cùm

Ribera in Euang. Ioan.

FFF

Domi

Quare Pe- trum repre- henderit Do-

*minus in e-
magineando
gladio.*

Dominus ipse occasionem non parcam dederit, ita intelligendi, cum iussit gladios emere, quoniam nocte illa erat capiendus? Ad hoc respondet Augustinus lib. 12. contra Faustum c. 77. Petrum esse reprehensum a Domino, quoniam non vti iussus fuerat ferrum tollere, ita iussus fuerat eo ferire, latebat certe Domini voluntas, cur arma portari præcepisset, quibus vti noluisset: veruntamen ad illum cum ratione præcipere, ad istos autem sine retractatione præcepta facere oportebat. Duplici ergo causa reprehenditur, vt recte ait Caietanus 6. ientaculo quæstione 6. quem sequitur Iansenius. Primum quod in re dubia non expectauerit Domini responsum, saepe enim ab eo audierat se sponte sua ac nomine cogitante pro salute hominum mori; quare, & interrogare debuit, & expectare responsum, & ideo Dominus cum reprehendit, dicens, *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Innuens se voluntate Patis, & sua mori, non antem. potestate, aut vi Iudæorum. Ideo etiam dixit, *An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum?* quasi dicat, si defendi vellem, nequaquam tua defensione egerem. Secundum quod illud factum potius videbatur habere speciem vindictæ, quam defensionis, quoniam cogitare debebat contra tantam armatorum multitudinem nihil se facere posse, nec prodesse se domino, sed nocere potius, quia magis hostes irritabat, vt in Dominum fœnirent: quare similis videtur fuisse homini, qui antequam captiatur, aut occidatur, vult se quomodounque poterit vesciri: unde quasi zelum vindictæ reprehendens Dominus apud Matth. ait, *Mitte gladium tuum in locum suum; omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Ex his patet, cum Dominus dixit apud Lucam. *Vendat tunicam, & emat gladium, &c.* minimè voluisse emi gladios ad sui defensionem, quandoquidem duobus contentus fuit, & ex his alterum tantum stringi permisit. tantum significare voluit imminere acerbissimam persecutionem, cuiusmodi sunt illæ ad quas depellendas etiam necessarias vestes homines venderent, vt arma compararent. hæc expositio elicitur ex Chrysostomo homil. 85. in Matth. & maximè omnium probatur Iansenio c. 133. in fine, cui & ego libenter subscribo. probat ex simili loco Hierem. 9. *Contemplamini, & vocate lamentatrices, ut veniant, & ad eas, quæ sapientes sunt mittite, festinent, & assumant super nos lamentum;* non enim vult Propheta huiusmodi mulieres vocari, sed docet instare luctum maximum, qualis esse solet cum lamentatrices vocantur; quasi dicat, bene vobis opus erit lamentatricibus, ita Domini tempus nunc instat, quo bene vobis necessarij erunt gladij: ponitur enim, more Scripturæ consequens pro eo quod antecedit: nam quod quidam dicunt de duobus gladiis Ecclesiæ relictis, id non ad literalem sensum pertinet, sed ad spiritualem.

Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?] Iansenius c. 137. dicit in Græcis codicibus, & in Latinis emendatis ita legi, *Calicem,*

cem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? tamen Augustinus 3. de consensu Euang. c.3. ita legit, vt nos habemus, & ita habet codex Complutensis, & alij; ex quo intelligimus ita olim fuisse in Græco, licet ad sensum nihil faciat. Calicem autem vocat passionem, more *Calix pro Scripturæ*, quia calice tantum vini propinatur vnicuique, quantum *passione*. vult ille, qui propinat, & ideo calix bibendus mortem, vel passionem, vel magnam quampliam calamitatē tolerandam & subeundam significat, vt Matth.20. *Potestis bibere calicem, quem ego biberus sum?* Hier.25. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.*

Hic Ioannes multa prætermisit, quorum hic est ordo, authore Augustino 3. de consensu Euang. c.5. cum Iudæi accesserunt, ait Lucas, *videntes autem ī, qui contra ipsum erant, id est, eius comites, & discipuli* (est enim phrasis Græcorum, vt adnotat Iudæus in commentariis linguae Græcæ, vt dicant, qui contra Platonem, pro eo quod est, Plato, vel Platonis discipuli & socij) dixerunt, *Domine si percutimus in gladio:* respondit Dominus, vt ait Lucas, *Sinite usque huc.* Sed inter moras interrogationis, & responsonis Petrus auriculam seruo abscedit, non tamen potuerunt simul dici, quæ simul fieri potuerunt, & ideo Lucas post percussionem ponit hæc verba; satis tamen indicat per ea Domini respondisse ad illam interrogationem, *si percutimus in gladio?* nam nisi ita esset, non diceret Lucas, *respondens autem Iesus dixit, Sinite usque huc:* vnde Matthæus, qui narrat dicta post iustum illum, non dicit, *respondens autem Iesus, sed, tunc ait illi Iesus: Converte gladium tuum in locum tuum, omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt: an putas, quia non possum rogare Patrem meum, &c.* & statim quod ait Ioan. *Calicem quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Tunc, vt ait Lucas, tetigit auriculam eius qui percussus fuerat, & sanauit eum. In illa hora dixit Iesus turbis, (& etiam, vt ait Lucas, ad eos qui venerant ad se Principes sacerdotum, & magistratus templi, & seniores) *Tanquam ad latronem existis cum gladiis, & lignis comprehendere me;* quotidie eram apud vos in templo, & non me tenuistis. Lucas, sed hoc est hora vestra & potestas tenebrarum. Matth. *Hoc autem totum factum est ut implerentur Scriptura Prophetarum.* Marcus, *Tunc discipuli relinquentes eum omnes fugerunt.* Adolescens autem quidam, &c. omnia ex Augustino loco citato. In quibus non nihil Augustino aduersatur. Euthymius super Matthæum, existimat enim post percussionem dictum esse à Domino, *Sinite usque huc.* Sed mihi multo magis placet sententia Augustini. Primum propter eius rationem, deinde quoniam non unus, sed duo saltem interrogauerant, scilicet qui habebant illos duos gladios, aut fortasse plures cum eis: & ita etiam Dominus non uni, sed pluribus respondit, *Sinite usque huc.* Si autem post iustum hæc dixisset, non iam pluribus, sed uni Petro loquendum erat, quia cæteri nihil fecerant, aut dixerant, solus Petrus gladium strinxerat;

quod autem ait, *sinite usque huc*, hunc habet sensum, iuxta eundem Augustinum ibidem: Non vos moueat, quod futurum est, permittendi sunt hucusque progredi, hoc est, ut me apprehendat, & impleatur quæ de me scripta sunt, quam expositionem sequuntur Beda & Lyra.

Difficilius est illud Matth. *Omnis enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt;* quod certum est intelligi de iis, qui priuata autoritate gladio vtuntur ad vindictam, vt ait Augustinus 22. contra Faustum c. 70. & in questionibus veteris, ac noui Testameti, questione 104. nam magistratus non tam gladium accipiunt, quam sibi à Deo, & à legibus dato vtuntur: & idem dici potest de eo qui se defendit cum moderamine inculpatæ tutelæ: & quamquam sint variæ huius loci expositiones, ego semper ita intellexi Dominum his verbis respxisse ad legem talionis, quæ habetur Deuteron. 19. & latius Exod. 21. quasi dicat, *Ne percussias ferro, ô Petre, qui enim ferro occiderit, ferro secundum legem occidendum est;* quemadmodum nos dicere solemus, quicumque alium occiderit, occidetur ipse, non quod occiduntur omnes, qui alios occidunt, sed quod ea lex posita sit, & secundum eam occidi debent. Sed consideratis diligenter aliis Scriptura locis longè commodior expositio videtur, qui alium gladio occidit, non tam alium occidit, quam scipsum, quia illo facto prouocat diuinam iustitiam, à qua plementus est illis pœnis, quibus homicidæ puniuntur, & in hoc saeculo, & in futuro. ita videtur intellexisse Hieronymus eo loco, ait enim: *Gladio peribunt. quo gladio? illo nempe, qui igneus vertitur ante paradisum, & gladio Spiritus, qui in Dei describitur armatura, hoc est, illo gladio qui prohibet homines intrare in cælum, quod est dicere, non intrabit in cælum; damnabitur & gladio verbi Dei hoc est, vel illo verbo Christi: Ite maledicti, &c. vel verbis Scriptura, qua pœnam eternam peccatoribus minantur, ita etiam intellexit Caietanus, licet breuiter loquatur in 6. ientaculo, questione 3. Probatur hoc, quoniam Scriptura ita loqui solet de iis qui aliis nocent, vt dicat, eos eisdem damnis esse afficiendos, quibus alios afficiunt, quoniam reos se efficiunt pœnarum, quas Deus eiusmodi hominibus præparauit, vt Isa. 23. *Væ, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis? & qui spernis, nonne ipse sperneris?* & Proverb. primo, dicunt mali, *Insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustrâ;* & postea de illis dicitur eisdem verbis, *Ipsi quoque contra sanguinem suum insidianter, & moliuntur fraudes contra animas suas;* id est, illa nocumenta non iustis inferunt, sed sibi. Et ita intelligitur illud Matth. 7. *In quo enim iudicio indicaueritis, indicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis;* recte enim ait August. lib. 2. de sermone Domini in monte c. 29. *Nunquid si nos temerarie iudicamus proximum, iudicabit nos temerarie; aut si iniqua mensura utimur, inique nos metietur Deus?* Denique probatur ex verbis eisdem Genes. nono ad quæ Dominus videtur allusisse, & quæ antequam lex talionis institueretur, dicta sunt; *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius, ad imaginem quippe Dei**

Dei factus est homo. Et ex Apocalyps. 13. vbi ad hæc verba Domini respexit Ioan. de temporibus Antichristi loquens, *Si quis habet aurem audiat: qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadet; qui in gladio occiderit, oportet eum gladio occidi:* vbi S. Thomas optimè expōnit, *Qui in gladio materiali; vel spirituali, scilicet persuasionis occiderit homines, oportet, scilicet necessitate iustitie eum occidi gladio divini cūdicij, vel aeterni supplicij;* & addit, *Hoc dicitur propter Antichristum, & suos qui captiuvabunt & occident fideles, & ideo ipsi captiuvabuntur, & occidentur morte perpetua.* Quod autem ait Lucas, *Hac est hora vestra, & potestas tenebrarum;* ideo dicitur, quoniam tempus proprium electorum est, quod futurum est post hanc vitam, tempus autem præsens non est eorum, sed reproborum, vt ait 6. Moral. c.vlt. D. Gregor. Est autem sensus, nunc est tempus, quo vos, & dæmones potestis exercere in me potestatem vestram.

Cohors ergo & tribunus, &c.] Propriè Tribunus dicebatur apud Romanos cùm de re militari verba fiunt, qui vni legioni militum præfetus erat: vnde Horatius lib. 1. Sermonum :

Cum mibi pareret legio Romana Tribuno.

Itaque milites erant sub centurionibus Centuriones sub tribunis, *Tribunus tribuni sub legato, legatus sub Imperatore:* sed h̄c vt diximus, tri-
bunus dicitur, qui mille viris præfectus erat, id est, $\chi\nu\alpha\sigma\chi$. Hic impletum est illud Psal. 21. *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obfederunt me;* vituli dicuntur, vt ibi ait Hieronymus propter lasciuam, & incontinentiam, tauri propter superbiam, pingues propter crassitudinem malitiæ, quod præcipue pertinet ad Principes sacerdotum; & rursus, *Circumdederunt me canes multi, Concilium malignantium obfedit me.* Sequitur continuò in Matth. *Tunc omnes discipuli relicto eo fugerunt.* in quod cōuenire potest illud Threnorum 1. *Facti sunt Principes eius velut arietes, non imponentes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Et illud Psal. 68. *Extranus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* ita 4. Reg. vltimo. Sed Echias cum exisset cum exercitu ex Hierusalem, caprus est ab Assyrīis, & omnes bellatores, qui erant cum eo, dispersi sunt, & reliquerunt eum. Et 1. Reg. vltimo. *Fugerunt filii Isræl ante faciem Philistinorum,* & totum pondus belli versum est in Saul.

Et ligauerunt eum.] Quoniam primus Adam nimis liberas manus habuit, & contra Dei voluntatem eas ad cibum vettitum extendit, manus secundi Adam ligantur, vt ira Dei placetur. Præterea genus humanum vinculis peccatorum constrictum tenebatur, ideo Christus ligari voluit, vt vincula nostra dissolueret, iuxta illud Hierem. 30. *Et erit in die illa, dicit Dominus, conteram iugum eius de collo tuo, & vineula eius disrumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruient Dominum Deo suo,* & David, &c. voluit etiam ad hunc modum colligere nos vinculis suæ charitatis, & ad se adducere, iuxta illud Oœx 11. *In vinculis Adam traham eos, in vinculis charitatis, & ero*

eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum, &c.

Quare du-
ctus ad An-
nam.

Et adduxerunt eum ad Annam primum.] Chrysost. hom. 82. *Quare ad Annam, ut rem ostentarent, & quasi triumphum ducerent.* Alij putant ideo factum esse, quia venientibus ex horto transeundum erat per domum Annæ, antequam veniretur ad Caiphæ domum. Ita S. Thomas, & Lyra, & alij. & idem aperte colligitur ex Aranda c. 13. & ex Medina in suis libris de terra sancta. Sed aiunt isti duo authores postremi, non fuisse Dominum ductum per vias Hierusalem, sed extra murum ad domum Annæ, quæ sita erat in monte Sion, quam nunc Religiosi Armeni incolunt: Distatque à domo Caiphæ, quæ etiam est monasterium paruum Armenorum ad iactum lapidis. Sed potissima ratio ostenditur ad Evangelista, *erat enim sacer Caiphæ, &c.* hac enim reputabant se gratificari maximè genero eius Caiphæ, qui tunc erat summus sacerdos.

Quis fuerit
hic discipu-
lus.

Et aliis discipulus.] Iste fuit Ioannes ipse, sed more Scripturæ, & more suo, de se loquitur, ac si loqueretur de alio: neque hoc aduersatur aliis Evangelistis, qui dicunt omnes discipulos fugisse, fugerunt enim primò Petrus, & Ioannes, inde secuti sunt Iesum, ut ait Lyra, quia feruentiores erant aliis: atque hac ratione, ut aiunt Chrysost. & Cyrillus, Ioannes cum nomen Petri expressisset, suum tacuit humilitatis causa, erat enim magnæ constantiæ, & magni amoris, quod reliquis fugientibus ipsi Dominum sequerentur.

Discipulus autem ille erat notus Pontifici.] Duplici ex causa hoc addit, vt aiunt Chrysostomus, & Cyrillus. Primò propter fidem historiæ, ut doceat se vidisse, quæ narrat, ut qui in domum Pontificis introierit cum Iesu. Secundò, ut inquit Chrysostomus, ut aliquid laudi suæ demat, quasi non fuerit mirum introisse in domum Pontificis eo tempore, quo cœteri fugerant, cum notus esset Pontifici.

Dixit ergo Petro ancilla ostiaria.] Erat enim moris apud Hebræos, ut & ancillæ ostia seruarent. 2. Reg. 4. *Et ostiaria domus purgans triticum obdormiuit.*

Ancillas
ostiarias
custodes
templi
apud He-
braeos.

Petri nega-
tio prima.

vbi illa con-
tigerit.

Dicit ille, non sum. Augustinus tract. 113. *Ecce columna firmissima ad unius aura impulsu tota contremuit: vbi est illa promittentis audacia, & de se plurimum presumantis, &c.* & post pauca respondet, *sed quid mirum si Deus vera predixit, homo autem falsa præsumpsit:* ista fuit prima Petri negatio: nam licet non negauerit Christum esse, aut esse Deum, quod videbatur propriè esse negare Christum, tamen negauit se discipulum Christi esse, & hoc etiam est Christum negare, ut hic ait Augustinus, cuius verba referuntur 11. q. 3. c. non solum abnegat. Verum ad huius loci intelligentiam, & eorum quæ sequuntur in Evangelista, valde necessarium est scire, utrum in domo Annæ hæc negatio contigerit, an in domo Caiphæ, & uter eorum intelligatur hic nomine Pontificis? ex cuius questionis solutione liquebit quoties Petrus negauerit, quod est admodum difficile. Ratio dubitandi est, quoniam Ioannes aperte dicere videtur istam primam negationem contigisse

contigisse in domo Annæ , nam ea narrata post multa infert , & misit
eum Annas legatum ad Caipham Pontificem : quæ verba maiorem vim
habent in Ioanne, quia exactius solet singula narrare , & ordinem re-
rum obseruare quam cæteri : at verò alij Euangelistæ nihil de domo
Annæ dicentes , scribunt ducētum esse ad Caipham , & manifestè in
eius domo ter Christum negasse. Propter eius hoc Carthusia. super
Matth. censet negationes plures fuisse quā tres; Caietanus verò super
Ioan. fuisse 7. Probatur hæc sententia , quoniam tres fuisse in domo
Caiphæ nemo potest negare, cùm planè id doceant tres Euang. priores,
tum Ioan. tres negationes commemorat in domo Annæ, ut aperte con-
cessit Aug. tract. 113. & 3. de consensu Euang. c. 6. & Beda, & Chrys. &
Theoph. & quidē isti Duo authores super Matth. respondēt negatio-
nes in domo Caiphæ, super Ioan. verò perspicuè docent tres illas, quas
narrat Ioan. contigisse in domo Annæ: iam sunt ergo 6. Neque obstar,
quod Euthym. ait super Matth. Annam, & Caiphā in eadem domo hä-
bitasse, quoniam nec veteres hoc dicunt, nec ipse probat, immo omnes
eius sententiæ refragantur. Præterea extat hodie templū cum indulgen-
tiis in domo Annæ, & alterū in domo Caiphæ; vt iā ex Aranda, & Me-
dina retulimus, ex quo patet diuersas fuisse domos. Adhuc etiāl in ea-
dem domo habitarent, manerent in diuersis domus partibus, atque ita
eadē ferè esset difficultas, ac si habitarent in diuersis domibus. Deinde
ex negationibus, quas tres Euangelistæ priores commemorat, secunda
contigit; ancilla quadā dicente, & hic erat cū Iesu Nazareno; Lucas verò
ait, & post pusillum alius videns illum dixit, & tu de illis es; ergo diuersa est
ista negatio secunda in Luca ab ea, quæ est secunda in Matth. sunt ergo
7. negationes. Hæc quæstio eo est difficilior, quo veteres de ea parcili-
mè loqui sunt: nā de Euangelistarū concordia Hier. in Matth. & Ioan.
nihil dixit, nec Chrys. & Theoph. in Matth. & Ioan. nec Cyillus, nec
Beda, nec Rupertus, nec S. Thomas, nec Augustinus hīc, quin potius
tertio de consensu Euang. c. 6. vbi hæc ex professo sese offerebat quæ-
stio; nihil ferè dicit. Nihilominus dicimus. Primi pro certo habendū
esse nō fuisse plures negationes tribus; probatur ex communi consen-
su veterum Patrum, qui cùm sæpe de illis loquantur vbiique nusquam
plures fuisse dicunt; patet etiam ex Euangeliō ; cùm enim Dominus
ter illi prædixerit futuram negationem, vt ostendimus in initio huius
capitis, nunquam dixit quater, aut pluries, sed semper dixit, ter me
negabis, & postea omnes Euangelistæ ostendere volentes impletum es-
se quod Dominus prædixerat, tres negationes numerent non plures.

Secundū dico omnes negationes in domo Caiphæ contigisse, nul-
lam in domo Annæ. Hæc sententia placuisse videtur Origeni, & cæ-
teris qui in Matthæum scripserunt, & eam præfert c. 138. & sanè me-
ritò probatur, quoniam Pontifex aut Princeps sacerdotorum non di-
uersis vocabulis, sed uno dicuntur apud Græcos ἀρχιεπίσκοπος, licet
noster Interpres pro hac modo vertat Pontifex, modò Princeps
sacerdotum : Hoc autem nomen cùm singulari numero dicitur,

*Quoties Pe-
trus nega-
uerit.*

*Negationes
omnes con-
tigisse in
domo Cai-
phæ.*

sine

sine dubio eum significare debet, qui eo anno summum Pontificatum gerebat, præcipue cum articulus additur in Graeco; analogum enim per se sumptum, &c. Atque ita Matthæus docuit, hunc, quem Principem sacerdotum vocauerat, esse Caipham, qui reuera Pontifex erat: quod si alter quoque singulari numero Princeps sacerdotum diceretur, aut Pontifex, profecto Marcus, & Lucas tollendæ ambiguitatis causa debuissent explicare, & aliquid addere, ut sciremus quis esset. Idem ergo est, qui apud Ioannem Pontifex, & apud alios Princeps sacerdotum dicitur. Confirmatur, quoniam, quæ Ioannes scribit facta fuisse in domo Pontificis, intelligimus planè ex Matth. & Luca facta fuisse in domo Caiphæ, ait enim Matth. Petrus verò sequebatur eum à longè usque in atrium Principis sacerdotum, & ingressus intro sedebat cum ministris, ut videret finem. Et Lucas ait, Accensò autem igne in medio atrij, & circum sedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, quem cum vidisset ancilla quedam sedentem ad lumen, & illum fuisse intuista, dixit; & hic cum ille erat, &c. Idem ait Ioannes. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, &c. & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum, & statim ponit negationem ad ignem factam. Neque obstat, quod Lucas ait Petrum sedisse, Ioannes autem ait stetisse, prius enim stabat, deinde sededit: non est autem credendum, Petrum, si apud Annam negauerat Dominum, interrogantibus ministris, postea iterum a usurum fuisse eum sequi, & intrare in atrium, & iterum cum ministris ad ignem sedere, & confabulati. Secundò probatur, Ioannes apertè indicat tres negationes in eodem loco fuisse, quamuis enim post primam dicat, & misit eum Annas legatum ad Caipham Pontificem, non dicit Petrum post eum venisse, sed, quasi ea verba per parenthesim interposuerit, subdit, erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se, ut intelligamus in eodem loco mansisse, in quo stabat ante primam negationem cum ministris Pontificis, & statim subiungit secundam & tertiam negationem, & in fine illarum; Et statim gallus cantauit, quo fine & cæteri Euangeliæ concludunt easdem negationes. Quomodo ergo interpretabimur Ioannem? sanè dicendum est postquam Dominus ad domum Annæ venit, statim missum esse ad Caipham Pontificem, ut eo præsente, interrogaretur, & fierent omnia: scimus enim ex Matth. seniores cogregatos in domo Caiphæ expectasse, ut adduceretur Dominus, & cum Pontifice deliberarent, quid factò opus esset: quare tum gratia Pontificis, tum seniorum valde consentaneum ratione est Annam non tenuisse Dominum apud se, sed continuo ad Pontificem misisse. Confirmatur hoc ex Cytillo, qui & legit, & interpretatur ad hunc modum, & adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim sacer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Misserunt autem eum legatum ad Caipham Pontificem, erat autem Caiphas qui consilium dederat Iudeis, &c. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & aliis discipulis; & quamvis hæc verba, quæ Cytillus interponit, non inueniantur nunc in Graecis codicibus, nec in Chrysostomo, nec in Theophylacto, nec in

Pontificem
et Princeps
sacerdotum
pro eodem
sumi.

in Euthymio, nec in Nonno; tamen non est dubium quin tempore Cyrilli in quibusdam Græcis exemplaribus legerentur. Quod si queras, quare ergo Ioannes dicit postea, & misit eum ligatum ad Caiphām Pontificem? Responder Cyrus Euangelistam ut ille repeteret, quod iam dixerat, quia negationem Petri tertio factam exponere voluit, ut scilicet ostenderet omnes in domo Caiphæ contigisse. Sed licet nos legamus, ut habet nostra translatio, intelligendum est; ut ait Iansen. Ioannem cum ad Caiphām sermone delapsus esset, voluisse statim narrare quæ apud illum gesta sunt priusquam meminisset Dominum ad ipsum suisse perductum. Deinde post aliqua dicit, & misit eum Annas ligatum, &c. ut quod prius prætermiserat, iam indicaret quomodo scilicet negationes illæ contigissent in domo Caiphæ. Hoc in Græco aliquantum est manifestius, quoniam non legitur, & misit eum Annas, sed sine coniunctione, misit eum, & in Græco est, aoristus primus ἀπέστειλεν, quo verbo insinuat narratio rei prætermissa, præfertim cum huiusmodi aoristi rectè vertantur aliquando per præteritum plusquamperfectum, ut sepe facit noster Interpres, ut in hoc cap. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudeis, &c. 7. Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus, & Marc. vlt. quia iis, qui viderant eum resurrexisse, &c. in his locis dederat, erat glorificatus, viderant, sunt in Græco aoristi primi. Præterea solet noster Interpres promiscuè uti præterito perfecto pro plusquamperfecto, & è conuerso, ut in verbis sequentibus Marcum; quia iis, qui viderant eum resurrexisse à mortuis, non crediderunt, ubi alii legunt, non crediderant, & in hoc cap. Ioan. cognatus eius, cuius abscedit Petrus auriculam, pro abscederat, ut vertit Erasmus; & Marc. 14. Dederat autem eis traditor signum, pro quo habemus in Matth. qui autem tradidit eum, dedit eis signum. Optimè igitur interpretabimur, misit eum Annas ad Caiphām Pontificem, id est, miserat iam cum haec quæ narro gerebantur, atque ita intellexit Iansenius loco citato, & doctor Ioan. Bos. in lib. de vita Christi lib. 6. super cap. 19. Ex his intelligitur omnia quæ narrat Ioannes, non in domo Annæ facta esse, sed in domo Caiphæ, ut ex ceteris Euangelistis patet, & ideo illi nihil dixerunt de domo Annæ, quod nihil in ea contigisset quod dignum memoria videretur.

Sed est hoc loco altera difficultas, quod etiamsi de domo conueniat, in qua factæ sunt negationes, tamen ipsa verba Euangelistarum, ita inter se differre videntur, ut non solum quatuor (quod argumentum aduersariorum probare contendebat) sed etiam plures fuisse videantur. Ad huius rei intelligentiam notandum est morem esse Euangelistarum rem eandem diuersis verbis explicare, sernato eodem sensu, ut docet Augustinus lib. 2. de consensu Euang. cap. 12. & 14. ubi dicit id fieri, ut eadem sententia familiarius explicetur, quo canone perpetuò vritur in illis libris. Solent etiam, ut passim videamus, quod hic omisit, ille narrare. Hoc supposito in prima negatio-
ne conuenit inter omnes Petrum ad ignem accessisse, & ab ancilla
Ribera in Euang. Ioan.

Negatio
prima.
GG inter

interrogatum, quam Ioannes ostiarum fuisse dicit, negasse in atrio in quo erat ignis. In verbis est diuersitas iuxta Matth. *Dixit ancilla, & tu cum Iesu Galileo eras: at ille dixit, nescio quid dicas.* Marcus, *Et tu cum Iesu Nazareno eras, & ait, neque scio, neque noui quid dicas.* Lucas, *& hic cum illo erat; ait Petrus: Mulier non noui illum.* Ioannes, *nunquid & tu ex discipulis es hominis istius?* & dixit ille, *non sum.* Hic videmus eundem sensum seruari, licet verba non sint eadem, quamuis mihi videtur ancilla omnia haec dixisse. Potuit enim Petro dicere, & tu cum Iesu Nazareno eras, siue cum Iesu Galilaeo, quod idem est. Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? deinde ad illos qui aderant conuersa, & hic cum illo erat. Secunda negatio etiam fuit loquente ancilla, ut scribunt Matthaeus, & Marcus; sed ex Matthaeo diximus, non eandem fuisse, quæ in prima interrogatione interrogauerat, sed aliam, & dixit iuxta Matth. *Et hic erat cum Iesu Nazareno, & ille negauit cum iuramento se hominem nouisse.* iuxta Marcum dixit ancilla, *& hic ex illis est;* Lucas vero non ancillam, sed virum fuisse dicit, & post pusillum aliud videns eum dixit, *& tu de illis es;* Petrus vero ait, *O homo non sum.* Sed intelligendum est in hac secunda negatione simul fuisse compellatum Petrum ab ancilla, & à viro, ut ait Augustinus tertio de consens. Euang. cap. 6. quod Ioan. manifestè demonstrat, cùm ait, *Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es?* & dixit ille, *non sum:* itaque vtique eadem responsione satisfecit Petrus, non noui eum, non sum ex illis. Quod vero ait Matthaeus in secunda negatione, *excuntem autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, non debeamus cogitare secundam negationem contigisse extra atrium Pontificis,* sed Petrum foras exiisse, & visum esse ab alia ancilla, & cùm postea rediisset in atrium interrogatum fuisse ab ea. Hoc patet ex verbis Marci, *& exiit foras ante atrium, & gallus cantauit.* Rursum autem cùm vidisset eum ancilla (videlicet postquam rediit) coepit dicere circumstantibus, *quia hic ex illis est;* patet etiam ex ipso Matthaeo, qui postea ait, *Et egressus foras fleuit amare.* Ergo iam ingressus fuerat. Quare recte dicit Ioan. cùm venit ad secundam negationem, *erat autem Simon Petrus stans, & calefaciens se.* Tertia negatio fuit multis simul dicentibus, *Verè tu ex illis es, nam & loqua tua manifestum te facit;* & tunc coepit detestari, *quia non nouisset hominem,* ut ait Matth. 26. Marcus vero ait, *Post pusillum rursus, qui adstabant, dicebant Petro: Verè ex illis es, nam, & Galileus es: ille autem coepit anatematizare, & iurare, &c.* sed Lucas unum tantum commemorat, *Et interuallo facto quasi hora unius, aliud quidam affirmabat, dicens: Verè, & hic cum illo erat, nam & Galileus est.* Ioannes autem indicat nobis quis iste esset, dicens: *Dicit unus ex seruis Pontificis, cognatus eius, cuius abscondit Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo? iterum ergo negauit Petrus, & statim gallus cantauit.* Sed intelligendum est, istum coepisse dicere: *Verè, & hic cum*

*Negatio se-
cunda.*

*Negatio
tertia.*

cum illo erat. nam & Galilæus es; nonne ego te vidi in horto cum illo? & simul multi ex iis qui aderant dixerunt: Verè, & tu ex illis es. nam & Galilæus es, scilicet sicut ille: idem est autem dicere, nam & Galilæus es, &, nam & loquela tua manifestum te facit; nam licet omnes vnius essent idiomatici (omnes quippe Hebræi erant) tamen, ut ait Hieronymus, in Marth. vnaquaque prouincia, & regio habet proprietas suas, & vernaculum loquendi sonum vietare non potest. Probat exemplo illo Iudicum 12. vbi viri de tribu Ephraim reprehendebantur à Galaaditis, eo quod iussi proferre, *Sibboleth*, cum littera *v*, nou poterant illam litteram proferre, sed proferebant *Sibboleth*, cum littera *w*, & occidebantur in ipso transitu Iordanis. Tale aliquid Cicero refert in Bruto de Theophrasto, qui cum percontaretur ex anicula quadam quanti aliquid venderet, & respondisset illa, atque addidisset, hospes non posse minoris, molestè tulit, se non effugere hospitis speciem, cum atatem ageret Athenis, optimèque loqueretur. In his negationibus non est intelligendum Petrum vno tantum verbo negasse, sed, ut in Euangelistis videmus, in vnaquaque pluribus verbis usus est: dicitur tamen una negatio, quia illa verba simul dicta sunt. Sed ut semel finiamus, quæ ad negationes Petri pertinent, queritur an possit Petrus excusari? Ratio dubitandi est, nam quidam ex Patribus videntur velle illum excusare. Cyrillus enim ait, non tam negasse timore, quam amore videndi semper Dominum, & permanendi in loco in quo ipse erat, à quo excluderetur si discipulus agnitus esset. Ambrosius in Lucam, ait: *Non negat se esse cum Dei filio* (videlicet quando dictum est illi, & tu cum Iesu Galilæo eras, sine, cum Iesu Nazareno) sed quasi diceret, ego filium Dei illum noui, vocabula locorum hominibus imponuntur, non Deo. Similiter cum ait, non noui hominem, hominem negauit, quia Christus non erat purus homo, sicut ait Paulus Gal. 1. Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum. Et idem ferè ait Hilarius can. 32. in Matth. Præterea Leo primus serm 9. de passione Domini ait Petro, *Vidit in te Dominus non fidem fictam, non dilectionem auersam, sed constantiam fuisse turbatam, abundantia fletus, ubi non defecit affectus, & fons charitatis lanit verba formidinis.*

Ad hanc dubitationem Hieronymus Matth. 26. in illis verbis, & iterum negauit cum iuramento, ita respondet: scio quosdam pij affectus erga Apostolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non Deum negasse, sed hominem, & esse sensum, nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam friuolum sit, prudens lector intelliget, si defendunt Apostolum, ut Deum mendacij reum faciant: si enim iste non negauit, ergo mentitus est Dominus, qui dixerat, *antequam gallus cantet, ter me negabis*. Cerne quid dicat, *me negabis*, non hominem, &c. quare nullo modo negandum est Petrum omnino negasse Christum, mortaliterque peccasse, neque isti sancti negant: unde

*An excusa-
tionem pa-
tientur Pe-
tri negatio-
nes.*

Ambros. ait : Sed nos excusamus, Dominus ipse non excusauit tantummodo voluerunt Petri culpam aliquantulum extenuare, quod non odio, & voluntate negauerit, sed timore coactus. Leo quoque non negat amisisse Petrum charitatem supernaturalem, sed ait remansisse in illo affectum illum amicitiae humanae erga Christum, ita ut non sponte, sed coactus eum negauerit.

Quia frigus erat, & sales faciebant se.] Hoc dicitur ad subindicandum frigus, quod erat in animo Petri, & Iudeorum, ut diximus cap. 10. in illis verbis, *Facta sunt encanaria Hierosolymis, & Hyems erat*, ex Gregorio secundo moral. cap. 2. Ambrolius in Lucam : *Si tempus consideremus, frigus esse non poterat, sed frigus erat ubi Iesus non agnoscetur, ubi non erat qui lucem videret, ubi negabatur ignis consumens.* Hoc etiam de frigore huius loci adnotauit Bernardinus sermone 58. in Cantica. Sed sine dubio frigus erat etiam ad literam : unde ibidem ait Bernardus, Petrum fuisse non minus gelido corde, quam corpore, & ratio est, quoniam tunc erat 24. dies Martij, quo tempore nihil mirum est in Iudea terra non admodum calida, frigus esse, parum enim differt calore & frigore ab Hispania.

Interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius.] De discipulis interrogat, quasi insimulare eos nolens seditionis, quod discipulos congregasset : de doctrina vero, an consentiens esset cum doctrina Mosaica.

Et in occulto loquutus sum nihil.] Dubium est quomodo ista verba sint intelligenda, cum non possit negari, multa Christum loquitum fuisse discipulis suis in occulto : nam Ioan. 3. seorsum loquutus est noctu cum Nicodemo, & istam concionem cap. 13. & sequentium prater discipulos nemo audiuuit. De hac re optimè loquitur Augustinus tractatu. 113. & S. Thomas eum sequitus 3. parte, quæstione 42. artic. 2. dicunt isti sancti tribus modis posse esse aliquam doctrinam occultam. Primo ex intentione docentis, quia inuidet alius illam doctrinam, aut quia ipsa turpitudinem habet, & indigna luce, & publico est, & ita non audet eam proferre, & isto modo nemo dubitat doctrinam Christi non fuisse occultam.

Secundo modo est occulta, quia paucis proponitur, & neque isto modo doctrina Christi fuit occulta, quia omnibus audire volentibus proponebatur. De primo modo dicit Christus, *Ego palam loquutus sum mundo*, nam pro palam in Graeco est *ταρ̄φνια*, id est, *confidenter*, quod proprium est eorum, qui sibi conscientiæ veritatis nihil tegunt. De secundo dicit, *Ego semper docui in synagoga, &c.* Tertio modo dicitur doctrina occulta quantum ad modum docendi, & sic doctrina Christi aliquando fuit occulta, quia interdum obscurè loquebatur : sed tamen ex accidenti erat occulta, quia vel auditores indigni erant, vel infir-

*Doctrina
quomodo
dicatur esse
occulta.*

mi ad audiendum, nam ex intentione docentis semper fuit pu-
blica, & propterea, absoluē loquendo, non potest dici occulta, sed
publica, quia tunc etiam, cū seorsum loquebatur discipulis, trade-
bat illis doctrinam, non vt ipsi occultarent, sed vt alios docerent.
Matth. 10. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure au-
ditis, predicate super tetta, itaque sensus est, nihil loquutus sum in
occulto, scilicet, vt occultum maneret, sed vt suo tempore in lucem
prodiret.*

Interroga eos qui audierunt.] Scilicet non solū ex discipulis meis,
sed etiam ex ministris tuis, quos misisti vt me comprehendenterent, Ioan.
7. quasi dicat, mihi non credis, alios interroga, vt in ore dæorum vel
trium stat omne verbum.

Vnus affistens ministrorum dedit alapam Iesu.] Hoc fecit quasi zelo
honoris Pontificis, ex quōd videretur Dominus inciuliter illi re-
pondisse, vt patet ex eius verbis. *Sic respondes Pontifici?* Ait etiam Cy-
rillus ministros illos qui Dominum comprehendere noluerunt Ioan.
7. multum displicuisse Pontifici, & ideo istum percussisse Christum, vt
aut pro veteri offensione officium rependeret, si ex illis erat, aut vt
ostenderet si ex illis non fuisset, nec placuisse sibi doctrinam Christi.
*Chrysost. hom. 83. Exhorrescat cælum, & contremiscat terra de Christi pa-
tientia, & seruorum impudentia.* Meritò autem hīc aliquis querat, quo-
modo Deus tulerit tam indignum facinus, cū quondam occiderit
Ozam, eo quōd olim extenderit manum in arcā, ne cadere calci-
trantibus bobus, 2. Reg. 6. & etiam cū manus Ieroboam Regis Is-
rael aruerit quam extenderat in Prophetam Domini, 3. Regum. 13. sed
ad hoc rectè responderi potest ex Augustino tract. 113. vbi connume-
ratis multis suppliciis, quibus iste seruus dignus fuerat, ait: *Quid enim
horum per potentiam iubere non potuisset, per quem factus est mundus, nisi
patientiam nos docere maluisset, per quam vincitur mundus, &c.* Huius rei
figura præcessit in Michæa Propheta Dei, propter veritatem colo-
phizato à Sedechia Pseudopropheta, volente adulari Achab Regi Is-
rael, 3. Reg. vltimo.

Si male locutus sum, &c.] Id est, ostende ratione aliqua malum esse
quod dixi. Ex hoc facto Domini, qui semper fecit quod decebat, in-
telligimus illud Matth. 5. *Sed si quis te percuserit in dexteram maxillam
tuam, præbe illi & alteram, non esse ita accipiendum, vt verba sonant,*
quasi maxilla sit semper ferenti obuertenda, sed de animi præparatio-
ne verba fieri, vt non solū vindictam non appetamus, sed etiam pa-
rati simus, si gloria Dei ita poscat; iterum iniuria affici, vt notauit
Augustinus tract. 113. & lib. 1. de sermone Domini in monte c. 34. 35. &
36. voluit enim docere Dominus aliquādo quidem tacendum esse, cū
iniuria afficiuntur, aliquando loquendum, sed sine cupiditate tamen
vindicta, vt respondit Paulus. Ananīæ summo sacerdoti, Actuum 23.
*Percutiet te Deus paries dealbate, & tu sedens iudicas me secundū legem, &
contra legem iubes me percuti.*

Adducunt ergo Iesum à Caipha in prætorium.] Hic interponenda sunt omnia quæ narrantur ab Euangelistis gesta in domo Caiphæ, ab illis verbis Matth. 26. *Principes autem Sacerdotum & omne Concilium*, usque ad finem capituli, quibus non illa quintæ feriæ consumpta est, & continuè sequitur in Matth. c. 27. *Manè autem factò, consilium inicerunt omnes Principes Sacerdotum, & seniores populi aduersus Iesum*, ut eum morti tradarent, & vinculum adduxerunt eum, & tradidierunt Pontio Pilato presidi, id est, gubernatori Iudeæ pro Tyberio Cæsare, dicitur

Præses quis. enim præses, qui maximum in prouincia imperium habet post Principem, ut ait Ilyrianus in lib. 4. de officio præsidis. Et hoc est quod nūc ait Ioan. *adducunt ergo Iesum à Caipha in Prætorium*, id est, in domum Pilati. Prætores in urbe erant quasi Consulam vicarij, quoniam enim

Prætores quis. Consules intenti erant bellis gerendis, nec poterat vacare iuri dicendo, tractabant causas tam criminales, quam ciuiles, & leges pro necessitate, & temporis conditione condebat. Sed tamen in bello omnis

Prætoriani milites, & Prætorium quid. magistratus, cui pareret exercitus, Prætor dicebatur. Inde prætoriani milites dicebantur, qui custodia Imperatoris, aut Principis, aut Dueis deputabantur, & Prætorium dicebatur domus Prætoris, aut Imperatoris, aut Consulis, aut Præsidis; quo nomine Græce loquens usus est hic Euangelista. Cæterum iste locus mirè torsit Augustin. tract. 114. & lib. 3. de consen. Euang. c. 7. quoniam legebat ipse, *adducunt ergo Iesum ad Caipham in Prætorium*, & ita coactus est dicere, aut aliqua causa Caipham in domum Pilati venisse, aut ambos in eadem domo habitasse: sed erat eius codex depravatus. legendum enim est, à Caipha in Prætorium, ut habent omnia Græca exemplaria, & Latina mediocriter emendata. ita enim legunt Græci, & ita legendum esse præter recentiores admonent S. Thom. & Rupertus.

Pascha pro carnibus sacrificiorū. *Et ipsi non introierunt in Prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha.*] Chrysostomus homil. 83. putat Pharisæos, & sacerdotes intentos neci Domini non comedisse agnum paschalem Quinta feria, quando omnes comedebant, sed sexta, & propterea sexta feria manè non introiisse in domum Pilati hominis Gentilis, ne immundi redderentur ad manducandum agnum, & idem videntur sentire Cyrillus, & Iansen. c. 140. Sed de hoc latissimè disputauimus c. 13. in principio, quæstione 2. de die passionis vbi ostendimus omnes Iudeos eodem die comedisse agnum, quo comedit Christus, & pascha hoc loco non significare panes azymos, ut plerique putabant, nec agnum paschalem, ut Chrysostomus & Cyrus, sed carnes sacrificiorum, quæ totis septem diebus immolabantur, & edebantur tantummodo à mundis, qua in re notanda est execrabilis istorum hominum hypocrisis, qui non veterantur Christum occidere, & metuunt ingredi domum Pilati, quibus meritè dicere possumus illud Matth. 15. *Hypocrite, bene de vobis prophetauit Isaïas: Populus hic labiis me honorat, &c. &c. c. 23. Vt vobis scribi, & Pharisæi, qui decimatis mentham, & anetum, & cimimum, & reliquias, quæ grauiora sunt legis, &c. Duces caci, excolantes culicem, camelum autem glu-* tientes

tientes, &c. August. O impia & stulta cæcitas, habitaculo videlicet contaminarentur alieno, & non contaminarentur scelere proprio. Sed de his latius Cyrilus.

Si non esset hic malefactor. Authoritati suæ credi volunt, quasi nihil contra ius facturi essent, sed cum viderent non credere Pilatum, addiderunt, quod est apud Lucam c.23. *Hunc inuenimus subuentem gentem nostram, & prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum Regem esse,* vt scilicet acrius commouerent Pilatum quod contra Cæsaris maiestatem regnum affectaret, vnde & postea dicunt, *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.*

Accipite eum vos.] Videbat eos nihil eorum quæ dicebant probare, & ideo nolebat damnare innocentem.

Nobis non licet interficere quemquam.] Magna est difficultas cur hoc dicant, cum non sit dubium eos habuisse potestatem occidendi, vt statim probabimus. Rupertus, & S. Thomas hic, & 3. p. quæst. 47. a. 4. ad secundum hunc sensum maximè probant, eos non posuisse interficere, quoniam habebant iam imminutam potestatem, & totū ius occidendi erat penes Romanos. Sed hoc difficile defendi potest, quoniam nō est credibile eos magis imminutam habere potestatem, quam cum erāt in captiuitate Babylonica, & tamen ibi Susannam lapidare volebant, & postea duos senes eius accusatores occiderunt, Dan. 13. Præterea Acto. 7. lapidauerunt Stephanum, & Ioan. 8. volebant lapidare adulteram, Acto. 21. volebant occidere Paulum, planèque occidissent, nisi illū eripuisse Tribunus superueniens cum militibus. Denique Iosephus 20. antiquit. c. 8. scribit Iacobum fratrem Iesu Christi, & quosdam alios lapidatos fuisse sententia Anani Pontificis. Alij ita exponunt, nobis non licet nunc interficere propter solemnitatem istam diei festi, sed tamen alio tempore licet, ita Chrys. homil. 13. & Cyillus, & Aug. tract. 114. Sed respondetur multos ex accusatoribus Domini fuisse Pharisæos, quod non est dubium: istos enim potissimum ille reprehendebat. Pharisæi hoc habebat sœtæ suæ proprium decretum, vt neminem ad mortem iudicarent, vt author est Iosephus filius Serionis lib. 4. historiarū Iudaicarū. c. 6. Cum autem isti plurimū valerent autoritate apud populu, vt ait Iosephus 13. antiquit. c. 19. & religiosiores cæteris haberentur, omnes voluerunt simulare hanc sanctitatem sœtæ pharisæicæ, & hanc mansuetudinē neminem occidendi, nō vt non occidetur Christus, hoc enim iā apud se decreuerant, vt vidimus Ioa. 11. sed vt eo prætextu crudeliori morte crucis, & ignominiosiori multarēt, qua ipsi punire nō poterant. Ita enim dicit Sapient. 2. *Morte turpissima condēnemus eū,* & talis erat mors crucis. Vnde Paulus ait Gal. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictus, quia scriptus est: Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Propterea etiam dixit Philip. 2. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.* Altera etiam causa fuit cur hoc dicerent Pilato, quoniam timebant populum, qui vt Prophetā Christū habebat:

Iudeorum
potestas in
delinquen-
tes.

quare

quare videbant, si à Pilato occideretur, & mortem futuram esse turpiorem, & se declinaturos populi inuidiam, & furorem: quod autem ad potestatem eorum attinet, certum videtur eos habuisse potestatem puniendi peccata contra legem, sed testibus idoneis & poena à lege præscripta, ut iam probatum est: at verò crucis poena à lege non præscribebatur, & ideo volebant eum tradere Pilato: & hoc probabilius videtur Chrysostomo, & Iansenio c. 141. & ita intelligenda est sententia Ruperti, & S. Thomæ, haec tenus imminutam fuisse eorum potestatem, vt non possent quocumque mortis genere libitum esset, afficere reos: & videretur hæc sententia colligi recte ex Acto. 18. vbi Iudæis Paulum accusantibus Corinth. Gallio Proconsuli Achæa ita respondebat: *Siquidem esset iniquum aliquid, aut facinus possum, O viri Iudei, recte vos sustinerm; si verò questiones sunt de verbo, & nominibus legis vestre, vos videritis, Index ego horum nolo esse.* Accusatio autem erat, quia contra legem hic persuaderet hominibus colere Deum. Ex quo patet Iudæis licuisse per Romanos Præfides animaduertere poena legis in eos, qui contra legem aliquid fecissent: atque ideo Iudæi nihil obiecebunt Christo contra legem factum, vt semper solebant, sed criminantum, quæ ad Pilati forum pertinerent, vt diximus ex Luca, vt ipse potius eum iudicaret, & morte crucis afficeret.

Vt sermo Iesu impleretur.] Dixerat Dominus se crucifigendum esse, Ioan. 12. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum; hoc autem dixit, significans qua morte esset moriturus. Hæc poena non poterat à Iudæis infligi, sed à Gentilibus, & ideo si prophetia Domini erat implenda, oportebat vt Pilato Gentili traderetur.

Introiuit ergo iterum in Prætorium.] Cùm ex verbis Iudæorum intellexisset Pilatus aciorem ab eis pœnam exposci, quām quæ ab illis secundum legem posset infligi, commotus etiam accusatione illa quod se Regem faceret, contra voluntatem videlicet Romanorum, iterum domum ingreditur, vt Christum de regno interroget. Est autem dubium, quod quasi minutum ab expositoris serè prætermissem est, cur dixerit, *introiuit iterum in prætorium*, quasi semel iam introiisset, & nunc iam secundò introeat, cùm semel egressus ad Iudæos & ingressus in Prætorium nunquam rediret in domum suam. Propter hoc Caïetanus ita exponit, dicit, iterum, quia prius ingressus fuerat Prætorium ex propria aula, cùm introductus fuisse Iesus in Prætorium. In quo videtur deceptus, non enim Prætorium aliud erat à domo sua.

Est ergo notandum dictiōnēm iterum, pro quā Græci dicunt πάλιν, aliquando non significare iterationem, sed ordinem, vt idem valeat quod præterea, ad hæc, amplius, vt Sapien. 13. Iterum autem, nec eis debet ignosci. & c. 14. Iterum aliis nauigare cogitans, & per feros fluctus iter facere incipiens. Matth. 3. Iterum audistis, quia dictum est antiquis, non perierabis. Sed hæc significatio huic loco non conuenit, quia cùm ita accipitur hæc dictio, ponitur in principio sententiæ, ita vt ab ea incepit sententia, siue per se ponatur, vt in exemplis adductis, siue cum coniun-

coniunctione, &c, vt Rom. 15. Et iterum dicit : *Locutus amicis gentes cum plebe eius, & Hebr. 2. Et iterum ego ero fidens in eum : quare locus ille Hebr. 1. Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terra, dicit : Et adorent eum omnes Angeli Dei, non videtur recte explicari, vt iterum idem sit, quod præterea, sicut plerique explicant; sed sensus est, cum introducit secundum primogenitum in orbem terræ, id est, cum filius Dei veniet ad iudicandum; semel enim introductus est cum carnem assumpsit, & secundum introducetur cum ad iudicium venerit. id aperit intelligitur ex verbis Psalm. 96. quem ibi citat Paulus, cuius titulus est, *Psalmus David*, siue ipse David, id est, illi inter Davidis posteros insigni, quando terra eius restituta ei, id est, quando plenè vicit omnes suos aduersarios, & sine ullius contradictione in terra sua regnauit, quod à die iudicij futurum ostendit totus Psalm. 109. & Paulus eius verba exponens 1. Corinth. 15. Deinde filius cum tradiderit regnum Deo, & Patri, cum evanuerit omnem Principatum, & potestatem, & virtutem, oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius; Hebr. 2. Omnia subiecisti sub pedibus eius, in eo enim quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei : nunc autem nequam videmus omnia subiecta ei. Verba, etiam eiusdem Psalmi manifestè hoc declarant, *Nubes & caligo in circuitu eius, ignis ante ipsum procedit, & inflammabit in circuitu inimicos eius*. Aliquando vero dictio iterum significat iterationem actus, aut motus aliquius, ita tamen, vt quies præcedens illum motum numeretur, vt motus quidam, quia non sine motu effecta est, vt Ioan. 3. *Nunquid potest in ventrem matris sua iterum introire, & renasci?* quies illa infantis in utero ponitur, vt prima introitio, respectu cuius ponitur secunda, cum ait, iterum introire, & renasci. & cap. 6. *Iesus ergo cum cognouisset, quia venturi essent, ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit iterum in montem ipse solus*. Non iam semel fugerat, sed fuerat in monte: & illa quies computatur pro prima fuga. & c. 10. *Quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; & paulo post, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*. Prima sumptio numeratur quies animæ in corpore. Ita nunc Pilatus dicitur iterum ingredi in Praetorium, quoniam quies in domo sua præcedens exitum ad Iudeos, numeratur pro primo ingressu. Ex hoc intelligitur illud Eccles. 17. *Deus creauit de terra hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & iterum conuertit illum in ipsam; siue enim accipiamus, in ipsam, scilicet terram, non fuerat semel iam conuersus in terram: siue, ut ego potius arbitror in ipsam, scilicet imaginem, non conuerit bis illum in ipsam, sed semel, & iuxta hanc interpretationem probatur ex hoc loco. Adam creatum fuisse in gratia, & iterum per peccati* tentiam in gratiam rediisse.*

A temet-ipso hoc dicis?] Intelligere debemus Dominum non audisse illa verba, hunc inuenimus subuententem, &c. & dicentem se Christum Ribera in Euang. Ioan.

H H h Regem

Regem esse; sed cùm Pilatus exiit ad eos , iussisse cum introduci in domum suam , ac deinde Iudæorum accusationem audisse : vnde aliquid quatur eum Pilatus ingressus est in Prætorium ; & ideo , quasi ignoraret , quid Iudæi dixissent , quærerit : *A temet-ipsò hoc dicit?* Sed meritò quæritur quorsum hoc interrogauerit Dominus , aut quid hac interrogatione efficere voluerit. Cyrillus ait Dominum voluisse indicare Pilato se omnia scire quæ ei Iudæi dixerant , licet non audisset , vt hinc auerteretur à scelere , nec Iudæis assentiretur , atque idem ferè dicit Augustinus tract. 115. Mihi Caietanus videatur optimè hoc explicare Ientaculo primo , quæstione tertia , dicit enim Dominum hoc interrogasse , vt magis Pilatum præpararet ad responsionis suæ intelligentiam , nec falleretur callida accusatione Iudæorum , qui dixerant Dominum facere se Regem , nec explicauerant quódnam esset regnum quod sibi vindicaret ; quasi dicat , vellem scire utrum à temet-ipsò interrogas , an ex accusatione Iudæorum , si enim à temet-ipsò interrogas , homo Gentilis de regno mundano quæret , quia aliud regnum non nosti ; si autem à Iudæis accepisti , loquuntur de regno Messiæ , quod multum à temporali , & mundano differt , & ideo aliter mihi respondendum erit. Nec displicet quod ait Ianuenius c. 141. Dominum significasse se adeò alienum esse à regni terreni affectatione , vt absurdum putaret quemquam esse qui id de se suspicaretur ; huiusmodi enim interrogatione vti solemus in eos , qui nos de crimine aliquo percontantur , cum videri volumus nos ab eius suspicione liberos esse debere.

Regnum meum non est de hoc mundo.] Postquam Pilatus respondit non esse à se profectam illam interrogationem , sed ex accusatione , & verbis Iudæorum , aperit Dominus veritatem , vt nihil sibi timeat , aut contra Cæfaris maiestatem aliquid fieri existimet. *Regnum meum non est de hoc mundo* , id est , non est temporale , nec qualem habent Reges , qui in terra dominantur , sed longè præstantius ; non enim poterat negare se Regem esse , quia erat Christus , & scriptum est Psalm. 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius* ; & Dan. 7. *Potestas eius , potestas aeterna , quæ non auferitur* ; & *regnum eius , quod non corruptitur*. Sed videtur noua , & inusitata loquutio , *Regnum meum non est de hoc mundo* , & quod postea dicit , *Regnum meum non est hinc*. Videbatur potius dicendum , *Regnum meum non est in hoc mundo* , vel , *Regnum meum non est huius mundi* ; quemadmodum si Rex Hispaniæ esset in Gallia , rectè quidem diceret , *Regnum meum non est in Gallia* ; non autem diceret , *Regnum meum non est hinc* , aut , *Regnum meum non est de Gallia*. Augustinus tract. 115. ita explicat , non dixit , *Regnum meum non est hinc* , aut , non est in hoc mundo , sed , non est hinc , aut de hoc mundo ; quoniam regum eius sunt credentes in eum , qui sunt quidem in hoc mundo permixti in fidelibus usque ad finem saeculi ; sed tamen non sunt

sunt de hoc mundo , quia peregrinantur in mundo. Regno quippe suo dicit , *De mundo non estis , sed ego elegi vos de mundo*, Ioan. 15. sed videtur isti expositioni obstat ratio , qua Dominus probat regnum suum non esse de hoc mundo : *Si ex hoc mundo esset regnum meum , ministri utique mei decertarent , ut non traderer Iudeis: nunc autem regnum meum non est hinc ; posset enim responderi eis , etiamsi ministri tui non sint de hoc mundo , tamen sunt in hoc mundo , & illi possent pro te pugnare , ne tradereris Iudeis.* Sed hoc non faciunt ; nullo ergo modo videris esse rex. Possemus respondere pro Augustino : Ministri mei non sunt de hoc mundo , & ita non pugnant pro me more eorum , qui Regem temporalem defendere volunt. Verum ego existimo præpositionem , *de* , hoc loco poni pro *ex* , quemadmodum ostendit præpositio Græca *ex*. Et ita ait continuo , *Si ex hoc mundo esset regnum meum , & hac præpositione significatur origo , & causa efficiens regni : ut cum dicimus Deum de Deo , lumen de lumine , Origo ostenditur , atque hoc manifestum sit in illis verbis , Regnum meum non est hinc.* Est ergo sensus , Regnum meum non est ab hominibus profectum , aut hominum voluntate mihi traditum , sicut regnum aliorum Regum : nam si huiusmodi esset regnum meum , illi qui mihi regnum tradiderant , me comitarentur , & tuerentur ab iniuria Iudæorum ; sed regnum meum est ex Deo , iuxta illud : *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* Et ideo non est notum hominibus præterquam paucissimis. Vult autem Dominus ex diuersitate originis docere Regnum suum valde dissimile esse regnis aliorum Regum , nec habere ambitionem militum , nec strepitum armorum , nec appetere se terrenam potestatem & ditionem , qualem habent Reges terræ ; sed longè aliter regnare velle in cordibus hominum , & ab eis velle agnosciri. Quare ut hoc obtineat , non recusare se omnibus iniuriis à Iudeis affici , nec hoc indignum esse regno suo , nec passurum se fuisse , ut ministri sui pro se certarent , ne traderetur Iudeis.

Tu dicas.] Quid hæc phrasis significet , diximus c. 13.

Ego in hoc natus sum , &c.] Poterat Pilatus dicere : Quale est regnum tuum ? & cum Rex , sine subditis nullus sit , ubi sunt ij , quorum Rex es. Huic tacita obiectioni responderet Dominus , docens , Regnum suum esse spirituale , quia per fidem , & charitatem regnat in hominibus , & subditos suos esse eos omnes , qui veritatem recipiunt : atque ita nemo , inquit , est ex veritate , qui mihi non pareat , ut Regi suo. Hoc quam verum sit , etiam voces hostium indicant : scribit enim Iosephus 18. antiquitatum c. 4. *Eodem tempore fuit Iesus , vir sapiens (si tamen eum virum fas est dicere) erat enim mirabilium operum patrator , & doct̄or eorum , qui libenter vera suscipiunt , &c.* Cæterum ex veritate esse illi dicuntur , qui veritatem querunt ubique , & inuentā omnibus aliis postpositis amplectuntur , & sequuntur ; similiiter loquitus est Apostolus Rom. 2. *Iis autem , qui sunt ex contentionē ,*

Qui dicuntur esse ex veritate.

& non acquiescunt veritati, &c. id est, iis, qui sequuntur partes contentionis, & ei vehementer stident.

Quid est veritas?) Quasi nostro modo diceret: Quid vocas veritatem? quæ est ista veritas, quam tu testificaris? sed cum hoc diceret Pilatus, venit illi in mentem, ut ait Augustinus tract. 115. consuetudo Iudeorum dimittendi in pascha vnum ex vincitis, & ideo cupiens liberare Dominum exiit continuo, ne mora fieret, & abirent Iudei, atque ita non expectauit Christi responsum: verum hoc, quod ait Augustinus, dubitationem habet, quoniam Iudei admonuerunt eum prius huius consuetudinis, ut videbimus in verbis sequentibus, quam ille de ea loqueretur. Dicemus ergo cum Chrysostomo hom. 83. tunc properasse Pilatum ne Iudei abirent, cogitabat enim illum eripere ex illorum manibus, aut fortasse, quoniam verba Domini obscura erant, nec admodum grata, sermonem occasione illa interrumpere voluit.

Est autem consuetudo vobis.] Nequaquam intelligendum est Pilatum recordatum huius consuetudinis, ultra eam reuocasse populo in memoriam, quoniam antequam ipse quidquam de ea diceret, populus petiit donari sibi vnum ex vincitis. legimus enim Marc. 15. *Per diem autem festum solebat illis dimittere vnum ex vincitis quemcumque voluisserent, &c.* & cum ascendisset turba, cœpit rogare sicut semper faciebat illis, id est, turba cœpit rogare Pilatum, ut faceret sibi sicut semper facere solebat, id est, ut vnum ex vincitis dimitteret, sicut exponit Euthymius Matth. 27. & sequitur in Marco. Pilatus autem respondit eis, & dixit: *Vultis dimittam vobis Regem Iudeorum?* Itaque ad has preces turbæ, respondit Pilatus, quod est in Ioan. *Est autem consuetudo vobis, ut vnum dimittam vobis in pascha;* & statim addidit verba eadem, quæ sunt apud Marcum, *Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudeorum?* Sed unde consuetudo ista orta sit, variæ sunt Doctorum sententiæ: sed responderetur breuiter, primò hanc consuetudinem non fuisse antiquam, sed ab eo tantum tempore quo Iudea redacta est in formam provinciæ, tunc enim Romani volentes gratificare Iudeis recens sibi subiectis, suminam potestatem occidendi sibi vindicantes, hoc illis reliquerunt, ut possent vnum ex vincitis liberare in pascha; etiam si grauissima quæque crima perpetrassent. ita Origenes tract. 35. in Matth. & S. Thomas hic, immo est valde probabile, Pilatum primùm hoc illis concessisse, ut aperte colligi videtur ex verbis Evangelistarum. Matthæus enim, & Marcus aiunt, *Per diem autem solennem preses populo dimittere vnum vincitum quem voluisserent, & quoniam hoc siebat populo instantे, & petente.* Secundò dicimus hoc petiisse Iudeos in memoriam pristinæ libertatis, quam populus tempore paschali recuperauerat dimissus à Pharaone, & liberatus de seruitute Ægyptiorum. ita censet Lyra, & Iansenius c. 142. & Montanus in Scholiis Matthei, cuius rei non leue argumentum est, quod hoc non siebat in aliis festiuitatibus, sed

sed tantum in solemnitate paschali; quare quod Matthæus, & Marcus aiunt, *per diem solennem*, aut *per diem festum*, non intelligitur de quouis solenni die, sed de eo, qui tunc agebatur, id est, de pascha, vt aperte explicuit Ioannes. *Est antem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in pascha.* Quod autem scribunt Cyrillus, & Theophylactus, hanc consuetudinem ortam fuisse ex lege illa Num. 35. vt qui inuitus, aut forte fortuna hominem occidisset, in columnis maneret in aliqua ex cunctis refugij: aut, quod alij putant, Origenem existimare initium habuisse ex liberatione illa, quam Ionathas filius Saulis populo petente consecutus est 1. Reg. 14. Non est intelligendum ex eo tempore fuisse in vsu apud Iudeos: hoc enim non videtur ex vlla historia posse probari, sed populum cum hoc à Romanis obtinuit, in memoria alicuius ex his liberationibus à Romanis postulasse, quamvis Origenes, si attentè legatur, loco citato, non dixit consuetudinem hanc habuisse ortum, vt Iansenius, & alij existimant, sed huiusmodi consuetudinem non fuisse prorsus alienam à moribus Iudeorum, quandoquidem, & ipsi aliquando vinc̄tos soluebant, vt cum Ionathas solutus, & liberatus est.

Dies hic solennis, aus dies festus quis.

Regem Iudeorum.] Per itrationem Regem appellat. Cyrillus Regem Iudeorum nominans Iesum, rabiem Iudeorum risu mitigare co[n]natur.

Clamanerunt ergo rursum omnes.] Id est, sacerdotes, & populus: vt enim scribit Matthæus, Principes sacerdotum, & seniores persuaserant populo, vt peterent Barabbam, Iesum vero perderent.

Non hunc, sed Barabbam.] Luc. 23. dicitur de Barabba, qui erat propter seditionem quandam factam in ciuitate & homicidium missus est in carcere: idem ait Marcus, & addit, *qui cum seditionis erat vinc̄tus.* Ex quo intelligimus plures fuisse vinc̄tos simul cum Christo, & Barabba. Sed Pilatus cupiens liberare Christum, relicitis aliis, Principem seditionis, & nequissimum omnium proposuit, vt nullo modo eum petere possent, sed Christum, non dubitans, vt ait Hieronymus Matth. 27. Iesum potius eligendum. Actu. 3. *Vos autem sanctum, & iustum negastis, & petiistis virum homicidiam donari vobis, authorem vero vita interfecistis.* In hac electione Iudeorum impleta est figura illa Leuit. 14. qua, vt leprosus mundetur, capiuntur duo passeres, & unus immolatur, alter liber emittitur. & cap. 16. Sacerdos accipit duos hircos à filiis Israël, & missa sorte, unus Domino immolatur, alter, qui emissarius dicitur, sinitur ire in solitudinem. Cyrillus, Ego vero diuinam satis admirati Scripturam nequeo, quæ vel huius insani clamoris ex persona Christi, sic per Hierem. 12. meminit: *Reliquum domum meam, dimisi hereditatem meam, dedi dilectam animam meam in manum inimicorum eius; facta est mibi hereditas mea, quasi leo in Sylva, dedit contra me vocem.* Fertur leo cum animal aliquod occidere velit, mirabilem solere rugitum edere, eaque quæ propinquæ sunt animalia perterrita cadere. ita solo leonis clamore superantur, & capiuntur. Vnde

H H h 3 Prophetæ,

Propheta, *Leo rugiet, quis non timebit?* Amos 3. Quasi ergo leo in silua, aduersus salvatorem synagogam facta; quia licet Christum non terruit, clamoribus tamen suis interfecit. Eundem Hieremiæ locum ad idem citat Hieron. Matth. 27. & illum etiam ex Isa. 5. *Et expectavi ut ficeret iudicium, & ecce iniquitas; & iudicium, & ecce clamor.* Quod autem ad nominis pronuntiationem attinet adnotandum est hoc nomen corruptè legi in plerisque codicibus, tam Græcis, quam Latinis. nam apud Græcos semper ferè scribitur Barabbas prima breui, & secunda longa, quoniam habet duplex b, ita etiam legit Theophylactus Matth. 27. & manifestè Nonnus ita legit. Exponit autem Theophylactus loco citato, *Barabbas vertitur filius patris; ita Iudai quibus dictum est Ioan. 8. Vos ex patre diabolo estis, elegerunt Barabbam filium patris sui, & Dominum abiecerunt.* Hanc interpretationem sequitur Ambrosius in Lucam c. 23. & Pagninus lib. interpretationis nominum Hebraicorum, & Iansen. c. 142. & iuxta illam sine dubio legendum est Barabbas prima breui, & secunda longa. Sed quoniam nomen Hebraicum est, omnino credendum est magis Hebræis, & Hieronymo eos sequenti, super Matth. c. 27. ubi ita dicit, *Iste in Evangelio, quod scribitur iuxta Hebreos, filius magistri eorum interpretatur.* Eandem Etymologiam subindicat author Scholiorum in Marcum, quæ circumferuntur nomine Hier. 9. tomo. & apertè eam sequitur Rupertus in Ioan. & Philo Iudæus, seu quis fuit alias auctor libelli nominū Hebraicorum, qui est in 3. tom. Hieronymi. Ex qua interpretatione patet ab Hebræis hunc dictum esse Barrabbam tam prima, quam secunda longa, ita habetur in Matt. & in Marco in operibus Hieronymi. nam *Bar*, quod nōmen non Hebraicum est, sed Syriacum, siue Chaldaicum, idem est quod filius, deinde *Rab* idem quod Magister, & cum compositione pronominis pluralis, magister eorum. Rectè itaque vertitur, filius magistri eorum. Quod verò in libris Græcis & Latinis non ita scribitur, sed illi variant, non est mirum, quoniam utriusque libri habent plurima ex Hebraicis nominibus deprauata, ut latè docet Hieronymus Ezech. 40. in illis verbis, *Et venit ad portam qua respiciebat viam Orientalem.*

Restat ut ordinem Euangelistarum ponamus usque ad principium c. 19. simul atque Dominus ductus est ad Pilatum, sequitur in Matth. *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod esset damnatus, &c. nondum erat damnatus, sed eò iam res deducta erat, ut nulla esset spes liberationis Christi, & ideo damnatus dicitur; vel dicitur damnatus, ut ait Ianse-nius cap. 140. quia Principes sacerdotum damnauerant eum, dicentes, Reus est mortis, & ita quasi damnatum, & crucifigendum tradebant Pilato, certi non desistere, donec Christus in cruce tolleretur: Nec obstat quod Matth. ait Principes sacerdotum tunc fuisse in templo, quos tamen Ion. apud Pilatum fuisse scribit Christum accusantes, facile enim intelligitur, ut ait idem Iansenius, non omnes ad Pilatum venisse, sed quosdam; quosdam verò, templum adiisse, ut sacerdotale ministerium obirent matutino tempore. Post Iudæ suspendium sequitur*

*Barabbas
quid.*

*Accusatio
Christi.*

tur accusatio. *Hunc inuenimus subuententem gentem nostram, &c.* qua au-
dita, Pilatus in domum suam ingressus est, vt quæreret ex Christo, an
esset Rex, vt ait Ioannes, & iterum reuersus est ad Iudæos, dicens, vt
ait Lucas, *Nihil inuenio causā in hoc homine.* Iudæi autem inualecebant,
dicentes, *Commouit populum, docens per vniuersam Iudeam, incipiens à Ga-*
lilea usque huc, tunc Pilatus cùm audisset eum esse Galilæum, misit ad
Herodem Tetrarcham Galilææ, qui tunc erat in Hierusalem, sed ab eo
tandem remissus ad Pilatum est. Postrem cùm videret Pilatus, nec
Herodem inuenisse crimen in eo, dixit Iudæis, & sedens pro tribu-
nali dedit eis optionem eligendi Christum, aut Barrabbam; vix au-
rem dederat, cùm nuntium accipit ab vxore dicente, *Nihil tibi & iu-*
sto illi, multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Rursus tunc in-
terrogavit, *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* Illi petierunt Barrab-
bam, magnisque clamoribus instabant, vt Iesus crucifigeretur. Vi-
dens autem Pilatus, vt ait Matthæus, quia nihil proficeret, sed ma-
gis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens:
Innocens ego sum à sanguine Instihius, vos videritis. & respondit vniuer-
sus populus, dicens: *sanguis eius super nos, & super filios nostros: san-* Sanguis pro
guinem autem vocant supplicium, quod pro illa sanguinis effusione supplicio.
Iuendum erat. Et, vt ait Lucas, *adjudicauit fieri petitionem eorum, & di-*
misit Barrabbam, Iesum verò tradidit voluntati eorum, quod apertius
dixit Matth. *Iesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.*

SANCTVM

S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T X I X .

1. **V**N C ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellavit. 2. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius : & ueste purpurea circumdederunt eum. 3. Et veniebant ad eum, & dicebant : Aue rex Iudeorum : & dabant ei alapas. 4. Exiuit ergo iterum Pilatus foras , & dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras , vt cognoscatis quia nullam inuenio in eo causam. 5. (Exiuit ergo Iesu portans coronam spineam, & purpureum uestimentum.) Et dicit eis : Ecce homo. 6. Cum ergo vidissent eum Pontifices, & ministri, clamabant, dicentes : Crucifige , crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos , & crucifigite : ego enim non inuenio in eo causam. 7. Responderunt ei Iudei : Nos legem habemus , & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit : 8. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem , magis timuit. 9. Et ingressus est praetorium iterum , & dixit ad Iesum : Vnde es tu ? Iesu autem responsum non dedit ei. 10. Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te? & potestatem habeo dimittere te? 11. Respondit Iesu : Non haberes potestatem aduersum me ullam , nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi , maius peccatum habet. 12. Et exinde querebat Pilatus dimittere eum. Iudei autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis , non es amicus Cesaris , omnis enim , qui se regem facit, contradicit Cæsari. 13. Pilatus autem cum audisset hos sermones , adduxit foras Iesum : & sedit pro tribunali , in loco qui dicitur Lithostrotos , Hebraicè autem Gabbatha. 14. Erat autem Parasceue Paschæ , hora quasi sexta , & dicit Iudeis : Ecce rex uester. 15. Illi autem clamabant : Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem uestrum crucifigam? Responderunt Pontifices : Non habemus Regem,

Regem, nisi Cœarem. 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut cruciferetur. Suscepérunt autem Iesum, & eduxerunt. 17. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Calvaria, locum, Hebraicè autem Golgotha: 18. Vbi crucifixérunt eum, & cum eo alios duos, hinc & hinc, medium autem Iesum. 19. Scripsit autem & titulum Pilatus & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazare-nus, Rex Iudeorum. 20. Hunc ergo titulum multi Iudeorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latīnè. 21. Dicebant ergo Pilatus Pontifices Iudeorum: Noli scribere, Rex Iudeorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Iudeorum: 22. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. 23. Milites ergo cùm crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, (& fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, de super contexta per totum. 24. Dixerunt ergo ad inuicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit. Ut scriptura impleretur, dicens, Partiti sunt vestimenta mea sibi: & in uestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. 25. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleopha, & Maria Magdalene. 26. Cum vidisset ergo Iesus matrem, & discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri sua: Mulier, ecce filius tuus. 27. Deinde dicit discipulo. Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 28. Postea sciens Iesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit, Sitio. 29. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. 30. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est: Et inclinato capite tradidit spiritum. 31. Iudei ergo, (quoniam parasceue erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, erat enim magnus dies ille Sabbati: rogauerunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. 32. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. 33. Ad Iesum autem cùm venissent, ut vide-runt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura. 34. sed unus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis, & aqua. 35. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testi-monium eius. Et ille scit quia vera dicit: ut & vos credatis. 36. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. 37. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem trans-Ribera in Euang. Ioan. III fixerunt.

fixerunt. 38. Post hæc autem roganit Pilatum Ioseph ab Arimathea, (eo quod esset discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudeorum) ut tolleret corpus Iesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, & tulit corpus Iesu. 39. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrræ & aloes, quasi libras centum. 40. Acceperunt ergo corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudaicæ sepelire. 41. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat: 42. Ibi ergo propter Paraschem Iudeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

IN CAPVT XIX. SANCTI
IESV CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,

COMMENTARIA.

*Christi flagellatio,
eu/demque
causa, &
quoties sit
flagellatus.*

TVNC ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellavit.] Prima huius loci difficultas est de causa flagellandi Christum, & vtrum bis an semel flagellatus sit. Ratio dubitandi est, quoniam dixerat Pilatus apud Lucam, Emendatum ergo illum dimittam. Et postea, Nullam causam mortis inuenio in eo, corripiam ergo illum; & dimittam, correptionem vocans, vt ait Euthymius in Matth. mediocrem flagellationem, ad solatium & repressionem iræ illorum, vt eo supplicio contenti essent: & de hac verberatione videtur loqui Ioannes hic: sed Matthæus & Marcus manifestè ostendunt Dominum fuisse flagellatum, vt in crucem tolleretur: aiunt enim, Iesum autem flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur, quoniam lege Romanorum sanctum erat, vt ait Hieronymus Matth. cap. 27. vt qui in crucem agendus esset, prius verberaretur, propter hoc argumentum non defunt, qui putent Dominum bis fuisse flagellatum a Pilato, in quibus est Montanus in scholiis Matth. cap. 27. Sed rectè iudicat Ianuenius cap. 142. hanc opinionem, & nouam esse, & parum probabilem. Verum quidem est, Pilatum, cùm dixit, Corripiam ergo illum, & dimittam, voluisse mediocri verberatione Christum punire, quasi temerarium, quod aliquale sibi regnum usurpare videretur, vt illa pœna placaret animos Iudeorum, ita enim affirmant Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Theophylactus, & multi alij, sed simul etiam fecit, vt legi Romanorum satisfaceret, nam quamuis posset alia quæ pœna punire, tamen eam eligendam putabat ad placandos Iudeos,

quæ

quæ maiorem haberet ignominiam ; apud Romanos enim non liberi homines, sed servi verberibus cædebantur. Cicero in oratione pro Caio Rabirio perduellionis reo. *Porcia lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amouit.* Vnde Actu. 22. Paulus ait ; *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare ; & postea Tribunus quoque timuit, postquam resciuit, quod ciuis Romanus esset, & quia alligasset eum : nempe quoniam , vt idem Cicero scribit Act. 7. in Verrem, Facinus est vincere ciuem Romanum, scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam in crucem tollere ? & l. in seruorum. ff. de pœnis , ait, ex quibus cansis liber fustibus ceditur, ex his seruus flagellis cadi , & domino reddi iubetur, &c. adeò vt seruus , qui aliquid dignum verberibus aut cruce commiserat, si manumitteretur à domino, non posset ea pœna puniri , vt ostendit idem Cicero in eadem oratione pro Caio Rabirio , his verbis : *An vero seruos nostros omnium horum suppliciorum metu, dominorum benignitas una vindicta liberabit nos à verberibus, ab unco, à crucis denique terrore, neque res gesta, neque acta atas, neque nostri honores vindicabunt?* Secundò eam pœnam elegit, quæ via esset ad ultimum supplicium, vt interim Iudæorum feritas conquiesceret. Si enim aliam pœnam elegisset, tumultus excitarent : nam eam legem fuisse apud Romanos, vt crucifigi priùs verberarentur certum videtur esse, primò propter authoritatem Hieronymi id affirmantis, quem plurimi postea secuti sunt. Secundò, quoniam colligi videtur ex verbis Ciceronis in oratione antequam iret in exilium. *Serui, inquit, qui ad supplicium casi verberibus trahuntur, apud eos sepe dispergunt, quos necare voluerunt.* Tertiò, quoniam eti liberi homines lege Porcia non verberabantur, vt diximus, tamen scriptum est in l. qui ultimo, ff. de pœnis , qui ultimo supplicio damnantur, statim & Ciuitatem, & libertatem perdunt. Quare iam non censebantur liberi, & ideo vt servi flagellari poterant. Tertia flagellandi causa potest colligi ex l. item apud Labeonem. ff. de iniur. & famos. lib. §. vnde querit Labeo. Cuius verba sunt : *Querit Labeo, si magistratus municipalis seruum meum loris ruperit, an possim cum eo experiri, quasi aduersus bonos mores verberauerit : Et ait, si honorem, ornamentaque petulanter attentantem ceciderit, absoluendum eum esse.* Cùm igitur Christus abiectæ conditionis à Pilato iudicaretur, & accusaretur, quod regnum affectasset, videbatur verberibus puniendus. Quod autem vna, & eadem sit verberatio, de qua Matthæus , & Marcus loquuntur, indicat veterum Patrum consensus, qui Dominum non nisi semel flagellatum fuisse intellexerunt. Quare verba Matthæi , & Marci per recapitulationem dicta accipienda sunt, & est eorum sensus, Iesum flagellatum tradidit eis vt crucifigeretur, id est, postquam illum flagellauit, (hoc enim significat verbum φαγελλωτας , quod est in Graeco) tradidit eis vt crucifigerent ; scilicet, cùm videret non satis fuisse flagella ad eorum rabiem mitigandam. Sed est notandum hoc loco*

Serui ver-
berari soliti
apud Ro-
manos.

Crucifigen-
di prius
verbera-
bantur a-
pud Rom.

Pœna vir-
garum, qua-

pœnam virgarum, quia eriam vrebantur Romani, & de qua ait Paulus 2. Corinth. 11. *Ter virgis casus sum.* Leuiorem fuisse flagellatione, vt indicat Cicero pro Caio Rabirio, vbi Titum Labienum crudelitatis ita arguit. *Porcia lex virgas ab omnium ciuium Romanorum corpore amo-*
uit, hic misericors flagella retulit; Misericordiam enim ironice vocat. Atque hac ratione Matthæus & Marcus Græcè loquentes Latino vocabulo vñi sunt φεγγαλωτας, vt acerbitatem pœnæ exprimerent, quam Græci, quoniam Latinè nesciebant, exponere non potuerunt, sed tantum peregrinam vocē, voce alia Græca reddiderunt, vt Theophyl. & Euthymius in Matth. Quare licet virgæ aliquando etiam flagella vocontur, tamen propriè flagellum est quod ex loris fit, & excussum reddit sonum, vt apud Virgilium, *Insonuitque flagellum;* loris enim serui cædebantur, vt vidimus in verbis l. item apud Labeonem. Et Terentius in Adelphis ait, *Iam intro arripiere, atque ibi usque ad necem operiere loris.* Respondetque ille, *loris liber.* Posset aliquem hīc fortasse mouere quod scribit Fr. Antonius Medina lib. de terra sancta, statione 8. Christianos terræ sanctæ tradere Dominum quater fuisse verberatum, primò funibus crassioribus, secundò funiculis nodosis, additis ferreis scorpionibus, tertiò catenis, quartò virgis spineis. Sed respondetur traditiones incolarum terræ sanctæ parum fidei habere, quoniam non manserunt in ea Christiani à tempore passionis usque ad nos, vt ita ab antiquis per manus veniret traditio: sed omnes sunt aduenæ, & sāpe locum mutant; ideoque veterum traditiones non retinent. Secundò non sit verisimile propter nomen flagellationis, vt iam diximus, quod si hoc aliqua ratione probari posset, dicendum esset hæc omnia eodem tempore facta esse, & pro una verberatione numerari. Secundum dubium, ac multo difficilius quot verbera Dominus accepit. Hæc quæstio à veteribus tractata non est: non enim habebant unde certi aliquid definirent. Recentiores tamen quidam Doctores & concionatores supra quinque mille numerant. Magister Auila in libro cui titulum fecit, Audi filia, c. 79. plusquam quinque mille fuisse dicit. Fr. Ludouicus Granate in 1. p. tractatus de oratione in meditatione 4. Feria mane. §. 3. idem docet, atque idem testificari dicit multos sanctos Doctores; eundem numerum ponit Fr. Gabriel Vacca in sermonibus quadrag. sermone de passione, statione 6. Fr. Alphonsus Heroeo in declamationibus quadragesimalibus, declamatione 24. dicit fuisse quinque mille trecenta septuaginta. Si queramus ab his authoribus rationem, nullam prorsus afferunt, si autoritatem, sanctos Doctores obiiciunt, sed nemo unquam ex eis, vel unum ex his sanctis Doctoribus nominauit. Ego vero veterum Patrum commentarios, immo & iuniorum diligenter inspexi, nihilque in eis inuenire potui, quod huic sententiæ aliqua ex parte patrocinetur, immo Bonaventura Pius in primis mysteriorum Christi meditator, & qui omnia vndique conquerere solet, quæ deuotionem

Flagellum
quid.

Christiani
terra sancta
Dominum
quater fuis-
se verbera-
rum fa-
ciunt.

Numerus
flagellarum
Christi.

animi

animi excitent, nihil de numero dixit in lib. meditationum vitæ Christi. c. 77. vbi de flagellatione agit, atque idem videtur licet in multorum eruditorum libris, qui postea scripsierunt pias passionis meditationes: quare sicut non est pertinaciter hoc negandum, quia verum esse potuit, ita non est in concionibus auctoriter affirmandum, quia nihil habemus unde affirmare possimus, & eo loco non nisi vera, & explorata dicenda sunt, ne incerta, & dubia fidem certis derulant; immo si rationibus agendum est, falsa prorsus videtur ista sententia: nam aut Iudeorum more verberabatur Dominus, aut Romanorum: si more Iudeorum, numerus 40. plagarum excedi non poterat, Deut. 25. *Pro mensura delicti, erit & plagarum modus, ita dum taxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœde laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus;* & ideo Iudei, vt legis obseruatores videbantur, cum plurimum saeviebant, etiam inimicissimo homini non plures 39. infligebant 2. Corinth. 11. *A Iudeis quinques quadragenias una minus accepi.* Si autem more Romanorum, etiamsi atrocissima esset verberatio, modum suum habebat, vt videmus in l. damnnum. ff. de paenit. cuius verba sunt: *Nec ea quidem pena damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur, nec tormentis.* At quis non necetur quinque mille verberibus? Quod si dicas magnū fuisse odium Iudeorum in Christum, magnum etiam erat in Paulum, ipsi verberauerunt, qui oderant, nec modum legis excesserunt, Christum autem non ipsi verberabant, sed Gentiles, qui cur Christum odissent, non habebant. Si pecuniam eis dedisse dicas Iudeos, ut atrocius eum verberarent, incertum probas ex incerto: unde enim hoc probari potest, aut quomodo credibile est, etiam accepta pecunia ita eos saevituros fore in hominem quem antea non oderant, ut ad quinque mille verbera veniretur. hoc etiam potest quodammodo colligi ex ceteris quae ei intulerunt Gentiles ministri Pilati, in quibus non magis dolorem quæsiisse videntur, quam irrisiōnem. Sicut ait statim, *& milites plententes coronam de Spinis, imposuerunt capiti eius, & veste purpurea circundederunt eum.* Secundò, eti flagella multa esse oportuit, quoniam Pilatus volebat illis placare Iudeos, ut ad mortem Dominum non exposcerent, tamen ex eadem ratione probatur non tot fuisse quot isti authores volunt: nam si Pilatus volebat à morte eum liberare, nullo modo pateretur tot esse verbera, ut mortem afferre possent, atque ita non sineret seuos suos pro libito in eum saevire. Tertiò, miracula sine evidenti necessitate, aut sine ratione cogente ponenda non sunt, esset autem magnum & evidēs miraculum, hominem quantumuis robustum ferre posse quinque mille verbera: hoc miraculum doceant isti authores qua ratione, aut qua autoritate ponant. Ego multa lustrans hoc fundamentum inuenire non potui. Ludolphus Carthusianus in vita Christi in secunda prime cap. 58. non longè à principio ita ait: *Cuidam seni matrona reclusa multitudinem, & numerum omnium vulnerum Christi scire cupienti, & pro hac re flebiliter Denim*

oranti, vox cœlica missa dixit, 5490. vulnera mei corporis extiterunt. Præcepit etiam illa vox quotidie in anno quindecies dicere orationem dominicam, & salutationem angelicam: & ita in anno singula Domini vulnera salutari. Sed hoc intelligendum est si anno communis unus dies addatur, ut ait Ludolphus: qui etiam addit, *hac oratio valde placet Deo, prout postmodum reuelatum fuit uidam solitario.* Idem scribit de numero vulnerum Fr. Franciscus Ortiz tomo primo homiliarum super nouem versus Psal. 50. homil. 48. & ait: *dicunt quidam reuelatum fuisse, &c. & Ioan. Eckius in sermone de passione, consideratione 4. ait: Referunt Doctores Dominum uidam homini pio religiosius passionem eius meditanti, reuelasse quod in corpore suo vulnera habuerit 5375.* Sed ad hoc eorum fundamentum facile est respondere. Primò, non constare nobis de hac reuelatione an vera fuerit, præsertim cum in ea referenda varient qui referunt, ut videmus in verbis Ludolphi & Eckij; & saepe oranti reuelatio videatur, quæ reuelatio non est: unde de eadem re aliquando prodeunt reuelationes contrariae, ut in conceptione Beatissimæ Virginis evenisse dicit Cajetanus in opusculo de conceptione. Secundò dico altius esse flagella fuisse 5000. aliud vulnera fuisse 5000. nam in tenero præsertim corpore flagello uno plura sunt vulnera, maximè cum magnus est numerus flagellorum: ergo etiam si vera sit ista reuelatio, aperte authores falluntur, cum volunt numerum flagellorum æqualem esse numero vulnerum, ut facit ibi Ludolphus: *Vnde idem postea c. 62. noluit numerum verberum ponere, tantum dixit vulnera fuisse innumerabilia: certum tamen sciri numerum non posse nisi ex reuelatione.* ideo etiam postea Frater Ludou. Granat, in additionibus memorialis, & in concionibus Latinis noluit quidquam de numero flagellorum definire.

In hac flagellatione impletum est illud Isai. 50. *Dedi corpus meum percutinetibus, genas meas vellentibus; & Psal. 34. Aduersum me congregati sunt, & conuenerunt, congregata sunt super me flagella, & ignorauit.* Cæterum columnæ, ad quam alligatus est Dominus, erat ex porphirite lapide, quem vulgo, *porfido*, vocamus, crassitudinis 4. Spitamarum, coloris partim punicei, partim rubei, ut refert Medina lib. de terra sancta, statione. 10. qui magnam eius partem vidit; refert etiam quidam valde memorabile, signa verberum in ipsa extare in modum vibicum in carne viua: quod confirmat Fr. Anth. Araneus in descriptione terræ sanctæ, tract. primo c. 17. non taceens se incredulum esse, atque ideo aliquoties inspexisse diligenter, & ita inuenisse.

Et milites plefentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius.] Non constat satis utrum hæc Pilatus fieri iussit, an permiserit tantum Chrysostomus homil. 83. ait milites fecisse in gratiam Iudeorum non præcipiente Pilato. Augustinus tract. 116. permisisse Pilatum dicit, aut fortassis etiam iussisse: non tamen id factum esse ignorante Pilato, quoniam ipse eduxit eum postea ad Iudeos cum corona, & pura

Columnæ
ad quam
Christus
fuit alliga-
tus.

pura: faciebant autem milites hæc omnia ut Christo illudenter, quasi homini vili regnum affectanti, & ideo adhibuerunt ea quæ solent esse regni insignia, ut coronam, purpuram, sceptrum, &c. Sed omnia cum irrisione. Pro corona ergo regali coronam spineam ei imponunt. De qua duo querenda sunt; Primum de eius materia. Secundò de numero spinarum. Quod ad primum attinet, Lyra ait, & est receptissima sententia, contextam fuisse coronam spinis iuncorum marinorum, qui, & maiores terrestribus sunt, & du- riores: atque hoc verum esse, spinæ coronæ Domini, quæ in tem- plis seruantur, facile indicant, videmus enim omnino esse simi- les cuspidi, sive Spinæ iunci terrestris in locis humidioribus nas- centis. Antonius Honcalia in suo Pentaplo in libello quem vo- cant Stauricum c. 8. idem sentit, additque moris fuisse apud ve- teres, ut Deos suos floribus papyri coronarent, ut docet Plinius lib. 13. c. 11. *Milites autem, ut Domino magis irriderent, qui se Deum dicebat, pro floribus papyri, qui iunci genus est, spines iuncis illum coronarunt;* sed hæc sententia magnam habet difficultatem, primò, quoniam papyrus arbunculus est, ut patet ex Plinio su- prâ: iuncus autem non est arbor, neque inter iunci genera nu- meratur papyrus à Plinio, lib. 21. c. 18. Secundò, quoniam adhuc Iudæi nihil dixerant de diuinitate Christi, atque ita non irride- batur à militibus quod se Deum esse diceret, sed quod nomen regium usurparet; ideo omnino dicendum est coronam spineam impositam ei esse quasi pro diademate regio, & ita sancti semper in- telligunt, ut Athanasius in tract. de passione & cruce Domini, Chrysostomus, Cyrillus, & alij multi; ita etiam expressè docet Hieronymus Matth. 27. his verbis: *Milites quidem, quia Rex Iu- daeorum fuerat appellatus, & hoc ei scriba, & Sacerdotes crimen obie- cerant, quod sibi in populo Israel usurparet imperium, illudentes hoc fa- ciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant chlamydem coccineam, pro rufo limbo, quo Reges vtebantur, & pro diademate, ponunt eis coronam spineam, pro sceptro regali dant calamus, & adorant quasi Regem.* Ex quo patet hanc coronam fuisse loco diadematis regis, quod erat fascia totum caput circumligans. De numero Spinarum nihil habe- mus certum. Quidam dicunt fuisse plusquam septuaginta, ut Magi- ster Auila in lib. illo Audi filia, c. 79. Fran. Gab. Vacca. loco citato fuisse 72. quod satis probabile est. Non est tamen omittendum in hac irrisione militum quod loco citato addidit Hieronymus. *Nos antem, inquit, omnia hac intelligamus mysticè, quonodo enim Caiphas dixit, oportet unum hominem mori pro omnibus, nesciens quid diceret; sic, & isti quacunque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis, qui credimus, sacramenta tribuerunt; in chlamyde coccina opera Gentium cruenta sustentat, in corona spinea maledictū soluit antiquū.i.efficit, ut non teneat nos illa sententia Genef. 3. Spinas, & tribulos germinabit tibi, in calamo venenata occidit animas*

*De materia
& numero
spinarum.*

animalia, sive calatum tenebat in manu ut sacrilegium scriberet Iudeorum.
Quæ latius persequitur Athanas. in tract. De passione & cruce Domini,
paulo ante medium, dicit enim in clamde coccinea portasse Dominum sanguinem, quia homicidiis diabolus terram polluerat, in spinis peccata, in calamo chirographum, quo nos diabolus tanquam suos scripserat, quæ omnia Christus abstulit passione sua. *Præterea, inquit, arundinem accepit Dominus diabolo, ignorans se dare illi gladium contra seipsum, dicitur enim arundo serpentibus lethalis esse, atque inde potissimum interfici; ita Christus cœpit arundinem, ut nos liberaret à versutia serpentis antiqui.* Thocoph. Matth. 27. ait: *Clavis coccinea naturam nostram significat, quam cum sanguinaria esset, & cadiis rea, suscepit, & induens sanctificavit: corona ex Spinis peccata sunt, que sua Deitate consumit Christus; calamus nostra infirme carnis Symbolum est, quam suscepit Dominus: auribus autem suscipiendo ignominias sanauit serpentis sibilam per aures Eua ingressum.*

Et veste purpurea circundederunt eum.] Purpura enim reges vtebantur, Cant. 7. quasi purpura Regis iuncta canalibus, & 1. Machab. 10. Misericordia purpuram, & coronam: vnde quasi regium aliquid promittitur Daniel. 5. *Purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.* Inde etiam Virgilius 2. Georg.

Illum non populi fasces, non purpura Regum, Flexit.

Quo vestimenti generale induitus fuerit Dominus.

Est tamen hic difficultas, quia de hac re non satis videtur conuenire inter Evangelistas, nam Matt. ait, & chlamydem coccineam circundederunt eum. Est autem chlamis vestis militaris pallio breuior, & strictior, quæ super arma inducebatur. Marcus autem dixit, & inducunt eum purpura, sicut Ioannes, qui ait, *veste purpurea*: multum autem differt vestis coccinea à purpurea. Euthymius, in Matth. dicit hanc vestem fuisse purpuri coloris; sed Matth. absque differentia coccineam vocasse huiusmodi tinturam, utpote purpura similem, neque enim fuisse purpura. Honcala in suo staurico cap. 10. respondet ad hanc dubitationem, & coccineam fuisse vestem, & purpuream, erat enim bistrincta, cuiusmodi vestes dibaphæ, sive dibapha bistrinctæ vocantur à veteribus, & magno in pretio habebantur, eisque inducebantur Reges, & Deorum simulacra: harum meminit Plinius lib. 9. cap. 39. & Moyses Exod. 25. & 26. & sape alijs meminit cocci bistrincti. Itaque tingebantur vestes coco, quod est granum herbae rubentis, & tingebantur purpura, & propterea vestis huiusmodi bistrincta rectè dici potest coccinea, & purpurea. Iansenius breuiter responderet cap. 142. his verbis. *Aliud est purpura quam coccus propriè acceptis vocabulis: sed tamen, quia coccineus color simillimus est purpureo, ut testatur Baicus lib. de re vestiaria, etiam ille purpureus aliquando dicitur.* Ut autem veritas in hac re intelligatur, sciendum est vestes coccineas propriè dictas non fuisse apud Hebreos, id est, quæ tingerentur grano, quod coccus aut coccum dicitur: nam vbi nos legimus in Scriptura *coccinum*, aut *coccinea*, in Hebreo ponit solet γυμνόν, aut γυμνή quod nomen verum generaliter significat, ut Psal.

Psalm. 21. *Ego autem sum vermis, & non homo.* Sed peculiariter accipitur in huiusmodi locis pro vermiculo illo, cuius sanguine vestes inficiebantur, ut Isai. 1. *Eis fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* 2. Reg. 2. *Flete super Saul, qui uestiebat vos coccino in deliciis;* & Nahum 2. *Viri exercitus in coccinis;* unde Threnorum 4. vbi habemus, *qui nutritiebantur in croceis amplexati sunt stercora, videtur legi posse in coccis, aut in cocceis,* est enim in Hebræo idem vocabulum de quo modò loquimur, & ideo LXX. transtulerunt, *in coccis;* sed librarij paulatim secundum c., verterunt in e., & cùm non satis intelligeretur quid esset in cocceis, scripserunt in croceis: quando autem bis tingitur lana, vel filum, vel uestis, dicitur **שְׂעִיר**, id est, *vermiculus secundus;* pro quo in nostra translatione ponitur, *coccus bis tinctus,* Exod. 25. & 26. & 39. quamvis Pagninus & nonnulli ex recentioribus Hebræis non vertunt in his locis Exodi, *vermiculus secundus*, sed, *vermiculus cocci*, id est, quo coccinæ vestes tinguntur. Ratio est, quoniam ipsi legunt in Hebræo **שְׂעִיר**, quod nomen significare dicunt *coccus.* Hieronymus autem legit **שְׂעִיר**, id est, *secundum*, quod melius esse ostendunt LXX. qui Exod. 25. vbi habemus, *coccumque bis tintum*, ipsi vertunt, *coccinum duplex.* Inde Isai. 1. *Si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealabuntur.* Hebræi modò legunt **שְׂנִיר**, id est, *ut coccina.* Sed arbitror Hieronym. legisse **שְׂנִיר**, id est, *sicut secunda*, id est, *ut coccus bis tinctus;* *secunda* enim vocant Hebræi, sicut Græci *dibapha*, vestes secundò tinctas, & est sensus, si fuerint peccata vestra valde rubra, *sicut coccus bis tinctus*, id est, si fuerint maxima, & statim, *si fuerint rubra sicut vermiculus.* Quasi dicat, immo si fuerint ita rubra, *ut vermiculus ipse*, quo vestes tinguntur. Similiter Proverb. vltimo. *Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus*, pro *duplicibus* isti Hebræi vertunt, *coccineis*, quia legunt **שְׂנִיר**. Sed Hieronymus legit **שְׂנִיר**. Id est, *secundis*, & poterat interpretari, *vestibus bis tinctis coco;* sed tamen maluit interpretari, *duplicibus*, quoniam hoc erat multo aptius, ait enim, *non timebit domini sue à frigoribus nivis, omnes enim domestici eius vestiti sunt duplicibus.* Itaque vestes huiusmodi ab interpretibus dicuntur coccinæ, propter similitudinem coloris, non quòd grano cocci infecti sint. atque hic color, ut ait Pagninus in thesauro, & Montanus in initio libelli de tabernaculo, ipse est, qui vulgo dicitur *carmes.* Propriè autem color coccineus est, qui apud nos *grana* dicitur, qui tanti fuit apud veteres, *ut eo Imperatorum paludumenta ringerentur*, ut author est Plinius lib. 22. c. 2. & idem lib. 21. c. 8. dicit nihil eo esse aspectu gratius. *Purpura succo tingebatur pisces ex conchyliorum genere*, qui purpura dicitur, de quo ita Plinius. lib. 9. c. 36. *Purpura florem illum tingendis experitum vestibus in mediis habent fancibus, liquoris hic minimi est, unde preciosiss ille bibitum migrantis rosa colore sublucens.* De cuius honore ait ibidem, *Huic fasces,*

Rivera in Euang. Ioan.

K K k secu

Color cocci-neus quis.

securisque Romana viam faciunt, idemque pro maiestate pueritie est, distinguit ab equite curiam, Diis aduocatur placandis, omnemque vestem illuminat in triumphali, miscetur auro. Tingebatur etiam sanguine muricis, id est, alterius conchæ similis purpuræ: vnde Virg.

Syrioque ardebat murice leena demissa.

Ex humeris.

At Hebreis purpura semper dicitur *argaman*, quo nomine, ut ait Pagninus in thesauro & Montanus loco citato, Color omnino rubeus significatur, qui vulgo Italis dicitur *lacca*, nostris *Carmesin*, qui tanti sit, ut vncia una octo aureis veneat. Ex his patet, neque coccum, neque purpuram propriè fuisse apud veteres Hebreos, & ideo propter similitudinem coloris eadem vestis, & coccinea, & purpurea dicitur; immo Rabbi Sahadias, ut refert Pagninus, docet Argaman esse *carmesi*. hoc probatur ex Isa. i. vbi habemus, *si fuerint peccata vestra, ut coccinum*, ibi L X X. transtulerunt *ως φοινίκην*, id est, *ut rubeus color*, qui à Phœnicio prouincia ita dictus videtur, in qua erat Tyrus & Sidon, vbi optimæ siebant purpuræ. hoc autem idem est ac si dicent, *Si fuerint ut purpura*; &, vbi habemus statim, *sicut vermiculus*, ipsi verterunt, *sicut coccinum*: Ex quo patet pro eodem accipere colorum purpureum, & coccineum: quare verior est Iansenij sententia; responsio autem Honcalæ non videtur vera, quoniam vestes dibaphæ non tingebanturocco, & purpura, sed bis tingebantur purpura, ut docet Plinius lib. 9. c. 39. his verbis: *Dibapha (sic licet purpura) tunc dicebatur quæ bis tintæ esset, veluti magnifico impendio, qualiter nūc omnes penè commodiōres purpureo, tinguntur*. quare non potuit hac ratione dici eadem vestis coccinea, & purpurea.

*Colorum
purpureū,
& coccineū
pro eodem
recipi.*

Portans coronam spineam, & purpureum vestimentum.] Data opera Pilatus voluit Dominum ita exire, ut non solùm verberibus, sed etiam irrisione illa pœnas iam satis dedisse videretur regij nominis affectati.

Ecce homo.] Quasi per irrisionem dicitur de eo, qui Rex vocabatur, melius ostendi poterat Adæ, & vniuerso generi humano, ac denique ipsi Patri, qui eum misit in mundum.

Clamabant, dicentes.] Pontifices cum ministris suis, quos sceleris socios habebant, non ex peccato populi responso clamare incipiunt, ne forte populus commiseratione motus, pœna illa contentus esset, ideo anteuerunt, & clamant eum debere crucifigi, ut populus eos Duces sequatur, ac tandem Pilatus vniuersi populi clamore moueatur.

Accipite cum vos.] Verba sunt indignantis, & succententis Iudeorum pertinaciæ, quod hominem Innocentem tam crudeliter puniri cuperent, ut aiunt Chrysostomus, & Cyrillus.

Nos legem habemus.] Postquam vident accusationem regni affectati non succedere, aliam aggrediuntur via, videlicet quod non solùm in Cæsarem, sed etiam in Deum iniurius fuerit, cuius rei figura præcessit in Naboth Iezraelita, qui cum esset innocens, à Iezabele, quæ

Synæ

Synagogam significat, accusari iubetur, quod maledixisset Deo, & Regi. 3. Reg. 21. lex de qua hic loquuntur, extat Leuit. 24. Qui maledixerit Deo suo portabit peccatum suum, & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Volunt itaque lapidari, si non possunt obtineri ut crucifigatur.

Magis timuit.] Scilicet ne forte Deum illum in se prouocaret, cuius ille filius esset.

Responsum non dedit ei.] Quoniam iam se responsione indignum reddiderat Pilatus, qui, ut Iudeis acquiesceret, innocentem verberauerat, & quia iam cognitae veritati reluctabatur, indignus erat, qui veterius doceretur, praesertim cum iam a Domino audisset, regnum meum non est de hoc mundo, & ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritatis.

Non haberes potestatem, &c. Reprimit Pilati arrogantiam, quasi dicat, facile me liberare possem, si vellem, nec tu, quantumvis tibi potens videare, vel minimum mihi nocere posses; sed quoniam Patris mei æterna prouidentia disposuit ut paterer, & vult ad hoc permittere tibi potestatem in me, ideo tu potestatem istam habes. idem significauit Iudeis Lucæ 22. cum dixit, sed haec est hora vestra, & potestas tenebrarum. Sed de his plura in verbis sequentibus.

Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.] Manifesta sunt haec verba, ut enim ait, S. Thomas 3. p. quæstione 47. a. 6. vbi querit, an peccatum occidentium Christum fuerit omnium grauissimum peccatum; Pontificum & maiorum in illo populo, quia Christum cognoverunt, nec habuerunt ignorantiam, nisi affectatam, fuit omnium grauissimum. Minus fuit peccatum populi, quia habebat maiorem ignorantiam. Lucæ 23. *Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.* Minus adhuc fuit peccatum Pilati, & Gentilium, quoniam Pontifices ex odio fecerunt, Pilatus vero ex timore Cæsaris, & ita a iunct hinc Chrys. Aug. Cyrillus. Ex his verbis conuincitur heresis Iouiniani, qui, auctore Augustino, libello de heres. c. 82. affirmabat omnia peccata esse patria, ut prius docuerant Stoici, quorum errorem in 3. paradoxo Cicero defendit. *Tota difficultas est in illa causalí, propterea, &c.* nam ex eo quod non haberet potestatem in Christum, nisi ei datum esset desuper, quomodo sequitur Iudeos habere maius peccatum? Iansenius ita hanc difficultatem diluit. Ex tuo officio, & auctoritate qua fungeris nullam habes in me potestatem, quoniam ego nihil mali feci, sed tantum illam habes ex diuina permissione: propterea, et si tu peccas, qui tanquam ex auctoritate in me potestatem exerces, cum reuera illum non habeas nisi permisam, magis tamen peccant, qui me tibi tradiderunt, tisque clamoribus quodammodo cogunt, ut in me se uias. Eodem modo exponit Cajetanus hinc, & in ientaculo 1. quæstione 3. versus finem, nisi quod priora verba, non haberes potestatem, &c. ita exponit, non habes ullam in me potestatem, quia ego nullo peccato,

Locus con-
uincenda
heresis Iou-
nianii.

meo me tibi subieci, tantum illam habes, quia tibi datum est desuper, id est, quia Præses es, quod datum est à Cæsare, & illi datum est à Deo, non est enim potestas nisi à Deo, Rom. 13. Sed melius explicuit Iansenius, *desuper*, i. ex diuina permissione. ista expositio mihi valde placet, si tamen vnum verbum addamus, mollior, conuenientior & congruentior videbitur. Tu non habes in me ullam potestatem, & quia ego innocens sum, & quia possem me eripere si vellem; sed Pater meus vult ut me tibi tradam atque subiiciam, ut perficiatur opus humanæ redemptionis, & ad hoc permisit, ut tu Iudæorum accusationi, & voluntati acquiescas, & in me exerceas tuam potestatem, quam minime exerceres nisi isti me accusarent; præterea isti qui te obtundunt, & urgent ut potestatem istam permissam exerceas, magis peccant quam tu.

Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum.] Semper quæsierat, sed ex eo tempore cœpit apertiùs, & vehementius quærere, ut dimitteretur, postquam audiuit Filium Dei esse, & vidi Dominum palam sibi obiicere peccatum, testarique se innocentem; quod autem apertiùs, & vehementius quærere cœperit, ita, ut Iudei planè intellexerint, indicat eorum verbum, quo maximè putauerant mouendum esse Pilatum, *se hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.*

Pilatus autem cum audiuisset hos sermones.] Timuit, ne à Iudeis accusaretur apud Tyberium Cæsarem; sed quémadmodum Iudei, qui Dominum occiderunt ne delerentur à Romanis, postea ab eisdem Romanis deleti sunt, ita etiā Pilato euenit, quod timebat, iuxta illud Proverb. 10. *Quod timet impius, veniet super eum:* nam decem annis in Iudea exactis accusatus est à Samaritis apud Vitellium Consularem, & Syriae præsidem, quod plurimos homines immerito occidisset, quasi rebelles fuissent Romanis, & Vitellius Marcello amico ad procurationem Iudeæ misso Pilatum iussit Romam proficisci, responsorum apud Cæsarem ad obiecta per Iudeos crimina. Sed priusquam Romam perveniret, vita excessit Tyberinus. Omnia ex Iosepho 18. antiquitatum c. 15. Deinde tempore Caij Cæsarisi in tot calamitates incidit, ut sibi ipsi manum intulerit, ut Scribit Eusebius lib. 2. hyst. c. 7. & in chronicis, dicuntque testari id Græcos, & Romanos scriptores. Idem scribit Nicephorus lib. 2. hyst. c. 10. & addit idē euenisce Annæ, & Caiphæ aliisque Scribis & Pharisæis, ut scilicet se propria manu occiderint.

In loco qui dicitur Lithostrothos.] Hunc ante domum Pilati fuisse, dicit Lyra. Dicitur autem Lithostrotus, eo quod lapidibus stratus esset. nam λίθος apud Græcos idem est quod *lapis*, & verbum σπαρυνω, sive σπαρυνει, idem est quod *sterno*: inde σπωμα dicitur, quidquid stratum est lapidibus, vel similibus rebus, præsertim diuersi coloris. idem locus Hebraico nomine dicitur *gabbatha* nō quod stratus esset lapidibus, sed quod sublimis esset. nā ἡ, sive ἡ significat altū apud Hebræos; poterat autem esse ἡ. i. altitudo eius, eo quod esset in loco sublimi urbis, sed magis arbitr

tror Chaldaico more dicit **¶** cum litera & in fine, quemadmodum sentiunt Euthymius & Iansenius. ita enim eo tempore loquebantur Hebræi, ut multa ex Chaldaeorum idiomate usurparent. ex quo patet falsum esse quod ait Lyranus, nomen Hebraicum idem significare quod Græcum.

Erat autem parasceue Paschæ.] Sexta feria vocatur ab Euangelista *Parasceue quid.* Græco nomine *παρασκευὴ*, id est, *præparatio*, quoniam cùm sabbato non liceret cibos parare, parabantur 6. feria. Additur autem *Paschæ*, quoniam quamvis Pascha propriè dictum iam celebratum fuerat quinta feria præcedenti, tamen extendebaratur nomen Paschæ ad dies azymorum. Erat igitur ista 6. feria parasceue, & erat præterea tempus paschale, id est, primus dies azymorum, & propterea dicitur parasceue Paschæ: sicut nos diem Resurrectionis appellamus dominicam Paschæ, quæ omnia latius exposuimus cap. 13. quæstionē 2. &c.

Hora quasi sexta.] Hic locus quæstionem habet celeberrimam, & quæ doctissimos homines vehementer exercuit, quomodo possit Ioannes cum Marco conciliari; Ioannes enim ait, hora quasi sexta Pilatum pro tribunali sedisse, & tradidisse Christum Iudæis, ut crucifigeretur: Marcus autem inquit: *erat autem horæ tertia, & cruciferunt eum.* Augustinus multum diuque in hac re explicanda desudauit tract. 117. in Ioan. & in quæst. nou. & vet. Testam. q. 65. & supér Psal. 63. in illis verbis, *Exacuerunt ut gladium linguas suas*, sed latius lib. 3. de consensu Euang. cap. 13. quibus in locis duobus modis dissoluit: Primus est: Nulla est contradic̄tio inter Euangelistas, quoniam Marcus ait, erat autem hora diei tertia, & intelligit de hora diei; Ioannes verò non loquitur de hora diei, inquit enim, *erat autem parasceue Paschæ hora quasi sexta*, id est, erat hora sexta à parasceue Paschæ, id est, ab eo tempore, quo cœpit verum Pascha præparari: Pascha autem non vocatur hīc dies festus immolationis agni legalis, sed agnus verus, qui pro nobis immolatus est, quomodo hoc nomen accipit Paulus 1. Corinth. 5. *Etenim Paschæ nostrum immolatus est Christus.* Hoc pascha immolatum est quidem hora diei tertia, sicut ait Marcus, sed sex horis antequam immolaretur, cœpit præparari, id est, hora noctis nona, qua dixerunt Iudæi inter se, *reus est mortis.* Quare si tres horas noctis, quæ supererant, coniungamus cum tribus diei consequentis, fit hora terria diei, ut vult Marcus, & eadem est hora sexta parasceues, id est, præparationis veri Paschæ, ut vult Ioannes.

Secundus modus est: Christus bis fuit crucifixus, primò linguis, & vocibus Iudæorum, clamantium: *crucifige, crucifige eum*, idque hora tertia: secundò manibus Gentilium hora sexta; quoniam igitur Iudæi multo magis peccauerant, & multo magis cruciferant Dominum, quām Gentiles, ne forte dicarent, nos non crucifiximus eum, sed Gentiles, Marcus, qui Gentilibus scribebat Euangeliū, dixit ipsum hora tercia fuisse crucifixum, licet reuera in crucem non

fuerit sublatus, nisi hora sexta, ut scribit Ioannes. Probat August. 3. de consensu c. 13. quorum Marcus ait, & crucifigentes eum diniserunt vestimenta eius quis quid tolleret: & cum dixisset, addit, erat autem hora tertia, & crucifixerunt. Si voluisset loqui de crucifixione, quae facta est manibus Gentilium, non erat opus repetere, & crucifixerunt eum, sed satis erat dicere, erat autem hora tertia. Ergo cum haec repetit, aliquid aliud commemorare vult recapitulando, quod loco suo non dixerat, videlicet hora tertia crucifixum esse linguis Iudæorum, præsertim cum Euangelium illis temporibus legeretur, quibus vniuersæ Ecclesiæ notum erat Dominum crucifixum fuisse hora sexta, unde eius error posset facilè corrigi, vel mendacium refutari, nisi intellexisset de crucifixione facta linguis Iudæorum. Hunc secundum modum refert hic Theoph. & eum sequitur Innoc. 3. lib. 5. de sacro altaris mysterio cap. 10. & Beda super Marcum, licet super Ioannem utrumque proberet, utrumque etiam sequitur S. Thomas hic, & 3. p. q. 46. art. 9. ad secundum quamvis hic meliorem esse censeat hunc secundum: secundum etiam sequitur Arboreus. Tertius modus conciliandi est Hier. in Psal. 77. in principio ferè, ubi docet in Euangelistis videri quidem contrariatem esse nullam esse: tamen, errore describentium factum esse ut in Marco legeretur, hora tertia, cum ille reuera scriperit, hora sexta, sicut & Ioan. Est autem error ortus ex nonnulla similitudine notarum, quibus Graeci vntunt ad numeros designandos, numerum enim ternarium designant tertia litera alphabeti, quæ nonnihil similitudinis habet cum nota senarij numeri, quæ similis est S, Latino: atque ita non ternarij numeri posita est apud Marcum pro nota senarij. Hanc sententiam probat Hieronymus, quoniam Ecclesia de imperitis congregata fuit Gentibus, & ita illi, qui scribebant Euangelia, facile nonnulla loca deprauabant, adducit in exemplum duo: primus est Matth. 13. ut impletetur quod dictum est in Prophetā: Aperiā in parabolis os meum: olim legebatur, quod dictum est per Isaiam Prophetam: Aperiā, &c. quemadmodum impius Porphyrius obiiciebat Christianis; sed Euangeliſta, iuxta Hieron. scripsit, quod dictum est in Asaph Prophetā, id est, in Psal. 77. composito ab Asaph cuius titulus est, Intellectus Asaph. Secundus est Matt. 27. Tunc impletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos, &c. cum esset scribendum, per Zachariam Prophetam, ex cuius c. 11. desumptum est, nec inueniatur in Hieremias. nec dubium est hanc esse Origenis sententiam, quoniam quæ sunt in illis commentariis, omnia sunt excerpta ex libris Origenis, ut ipse Hier. admonet in proœmio eorundem commentariorum eam sequutus est Theoph. quem citat S. Thomas in catena eandem refert etiam S. Thomas 3. p. loco citato, & cæteris præferre videtur, eam sequitur Caietanus in Marcum, & in Ioan. & cano. 2. de locis. c. vlt. Quartus modus est, quem authoribus non nominatis refert hic Theoph. & est iste, videlicet, errorē in Euangelia irrepsisse, ex notis numerorum, ut dictum est, irrepsisse tamen

non in Marci Euangelium, sed in Euangelium Ioannis. itaque legendum esse ibi, *Erat autem parastene Pascha hora quasi tertia. Quintus modus est, Dominus crucifixus fuit inter tertiam & sextam, & ideo recte dicitur crucifixus hora sexta, & hora tertia, ita Petrus Comestor in historia Euang. c. 166. & Albertus Magnus hic, & Lyra in Marc. & Ioan.* hunc sequuntur multi ex recentioribus, sed explicant magis hoc modo. *Quemadmodum nox in quatuor vigilias diuidebatur; quarum singulariter ternas horas habebant, ita etiam dies diuidebatur in quatuor stationes, sive horas, quarum prima incipiebat à diluculo, id est, à prima usque ad tertiam, & vocabatur prima, quoniam incipiebat ab hora prima, secunda incipiebat à tertia usque ad sextam, & vocabatur tertia, quoniam incipiebat ab hora tertia, & ita de reliquis. Hoc igitur modo recte consentiunt Euangelistæ, nam in secunda statione diei, quæ dicebatur hora tertia circa finem, crucifixus est Dominus, aliquanto tamen priùs; sed in eadem hora & statione diei Pilatus sedit pro tribunali, cùm proxima erat hora sexta; sed tamen tertia illa nondum clapsa erat. ita Iansen. c. 142. & Claudius, & Sagneius, & Soarez in Marcum, & probant ita diuisum esse diem apud Hebræos ex parabola operariorum Matt. 20. *Exiit enim paterfamil. hora prima & tertia & sexta & nona, & Canus loco citato testatur se huic sententiæ libentissimè subscripturum, si idoneo testimonio, aut probabili ratione probari potuerit ista diei in quatuor stationes partitio, & denominatio eorum ab hora in qua incipiunt. Sextus modus est Euth. in Marc. cùm dicit Marcus, Erat autem hora tertia, &c. non sic legendum est, erat hora tertia, ut contingatur cù eo, quod sequitur, & cruciferunt eum, sed refertur ad principium eorum quæ passus est Dominus à militibus, ut sit sensus, erat hora tertia, scilicet quando cœpit Christus pati à militibus Pilati; deinde quod sequitur, & cruciferunt eum, per se legendum est, scilicet hora sexta, ut ait Ioan. Alij etiam alios modos excogitant, sed isti sunt & celeberrimi omnium, & probabilissimi. Restat modò, ut ex his probabilissimum eligamus, & quidem modum primum Augustinus ipse quodammodo reiicere videtur tertio de consensu Euang. cap. 13. quoniam non potest probari hoc Pascha cœpisse præparari ab hora noctis nona. Obstat etiam aliud, quod contra consuetudinem Euangelistarum nomen Paschæ accipit pro Christo, cùm semper Euangelistæ litteraliter accipient pro festo immolationis agni: sed, ut videtur, eodem argumento posset Augustinus tollere secundum modum, quoniam non potest probari magis ex Euangeliō hora tertia diei dixisse Iudeos, crucifige eum, quam hora nona noctis dixisse eos, reus est mortis: Quæ ratio in tantas angustias coniecit Augustinum, ut dicat eodem loco citato. Unde, inquis, probas horam tertiam fuisse? respondeo, quia credo Euangelistis, quibus, & tu si credis, ostende quemadmodum & hora sexta, & hora tercia potuerit Dominus crucifigi, &c. & statim, Ostende tu aliter quemadmodum fieri utrumque potuerit, & libentissimè acquiescam; non enim senten-**

tiām

iam meam, sed Euangeli diligo veritatem. atque utinam etiam plures ab aliis inueniantur huius exitus quastiones, quod donec fiat, utere tecum isto, si placet; si enim nullus alius exitus potuerit inueniri, solus iste sufficiet; si autem potuerit, cum demonstratus fuerit, eligamus. Probat autem paulo post satis conuenienter dici tunc fuisse horam 3. cum dixerunt, crucifige eum: quoniam quamuis Marcus dicat, at illi iterum clamauerunt, crucifige eum, & nulla re interposita subiungat, dimisi illis Barrabbam, & tradidit Iesum flagellis casum, ut crucifigeretur; intelligendum est inter eorum clamorem, & crucifixionem tempus duarum horarum consumptum esse, ita ut crucifixio coepit hora sexta, qua hora nondum terminata gesta sunt, quae ab eo tempore narrantur usque ad tenebras factas. Matthæus enim ait; *Quidigitur faciam de Iesu, qui dicitur Christus?* dicunt omnes, Crucifigatur. tunc, inquit Augustinus, dicimus fuisse horam tertiam: postea ait; *videns autem Pilatus; quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret;* &c. in conatibus Pilati ad eripiendum Dominum, & in tumultu Iudeorum contrariantium consumptum est hoc tempus duarum horarum. Videtur etiam hoc probari, quoniam hoc eodem tempore flagellatus est Dominus, & alia facta sunt, ut videmus apud Ioannem, quæ certè minori tempore, quam duarum horarum fieri non potuerunt. Nihilominus est in promptu argumentum aduersus Augustinum: nam si quis dicat, non solum duarum horarum spatium intercessisse, sed etiam trium, aut etiam quatuor, ita ut non clamauerint, crucifige eum hora tertia, sed hora secunda, unde poterit ab Augustino conuinci, aut unde probabit, hac hora potius factum esse, quam illa: sed responderetur, probabilissimum esse, fuisse tunc horam tertiam, quoniam manè consilium fecerunt Pontifices Matth. 27. & hora prima, adduxerunt Iesum ad Pilatum; in accusatione autem Iudeorum, & in responsione Pilati in eundo ad Herodem, & redeundo in sermonibus Pilati cum Christo, & in secunda accusatione Iudeorum, & in optione data Iudeis in concitatione turbæ, ut peterent Barrabbam, & in eorumdem responsione, & clamore, non est dubium duas horas consumptas esse, ut iam esset hora tertia, cum dixerunt, crucifige eum: & iste videtur communis omnium fidelium sensus: nam in horis crucis, correctis auctoritate Pij V. sic dicitur. *Crucifige clamant hora tertia;* & in versiculis horarum ecclesiasticarum ab omnibus receptis, dicitur;

*Primareplei sputis, causam dat tertia mortis,
Sexta cruci necit, latu eius nona bipartit.*

Adhuc tamen videtur difficilis iste nodus Augustino, quoniam cum Iudei dixerunt, crucifige eum, Pilatus non iudicauit eum debere crucifigi, sed postea hora quasi sexta, ut ait Ioannes. Dicere autem crucifixum fuisse hora tertia, quia ea hora petitus est ad crucifixionem, nulla consuetudo sermonis pati videtur, præsertim cum non sit illis datus; quemadmodum cum dixerunt nocte præcedenti, *reus est mortis*, non dicimus, ideo tunc fuisse occisum, nec primo die azymorum, cum

cum consilium punierunt summi sacerdotes, ut Iesum dolo tenerent, & occiderent. Confirmatur, quoniam hora prima, cum tradiderunt eum Pilato accusantes quod regnum usurpare vellat, certum est eos petuisse, ut occideretur; aut ut crucifigeretur, & ita aiunt, *nobis non licet interficere quenquam*, & Pilatus ait, *remisi eum ad Herodem*, & ecce nihil dignum morte actum est ei, ergo eadem ratione dicendum est, occisum aut crucifixum esse hora prima, quod tamen nullus dixit. Secundò, verbum crucifigendi & cæteri Euangelistæ & Marcus propriè semper accipiunt, pro eo quod est verè aliquem cruci suffigere; ergo, & hic propriè intelligendum est. Tertiò cum dicit, *crucifigentes eum, diuiserunt vestimenta*, ut apertè docet Ioannes. Cum ergo dicat statim, *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, non loquitur de Iudæis, quorum mentionem non fecerat, sed de militibus, de quibus in præcedentibus loquebatur. quod si argumentetur Augustinus, cur ergo dicit, *& crucifixerunt eum*, cum iam dixisset, *& crucifigentes eum diuiserunt vestimenta eius*. Respondetur, quoniam si dixisset, *erat autem hora tercia*, & nihil addidisset, possemus intelligere horam terram fuisse, cum terminata est diuisio vestium, ipse autem volebat intelligi fuisse horam tertiam cum crucifixus est, & ideo oportuit addere, *& crucifixerunt eum*. Quare alius modus probabilior quærendus est. Tertius & quartus modus facile totam quæstionem terminabant, sed hoc habent difficultatis, quod non re aliqua firma, sed sola diuinatione nituntur, atque ea quidem non admodum probabili, primum, quoniam notæ illæ numerorum nullam ferè habent similitudinem, ut ita una littera posset poni pro altera, & occasio præberetur errandi, quemadmodum contingere solet apud Hebræos in litteris quibusdam simillimus, sicut ι, & ι. Secundò, quoniam, & nunc, & olim semper omnes legerunt in Marco, *hora tertia*; tam in codicibus Græcis, quam in Latinis, nec inuenietur, ut opinor, author, qui aliter se legisse vñquam dicat, aut aliquando lectum esse, itaque mutare quod semper lectum est, sine authore qui aliter legerit, durum mihi admodum videtur, præsertim cum hanc lectiōnem translatio nostra semper receperit: nec est eadem ratio de locis adductis ab Hieronymo, quoniam non ita legebatur in omnibus exemplaribus, sed in quibusdam, & ita ex veris corrigi falsa potuerunt, sicut & correcta sunt: alioquin, quomodo possent Catholici obiectionem Porphyrij diluere, nisi haberent vera exemplaria ex quibus ipsum conuincere possent: immo neque Asaph, neque Esaiā legendum est, sed tantummodo, in Propheta, ut habet nostra translationis. Præterea in Asaph, & in Isaia potuerunt ineruditæ decipi, quoniam hos Prophetas non legerant; & in hora passionis non potuit esse error, ut ait Augustinus 3. de consensu Euang. cap. 13. quoniam eo tempore notissima erat omnibus Ecclesiis. In secundo loco diuinus recte scriptum esse per Hieremiam Prophetam, eisdem rationibus, quoniam ita habetur in omnibus codicibus Græcis, & Latinis, & præsertim in nostra translatione: nec est ullus author, qui dicat

*Crucifigen-
di verbum.*

se vidisse exemplat in quo legeret, per Zachariam Prophetam, sed omnes legunt, per Hieremiam; vbi tamen hoc dixerit Hieremias, non est praesentis loci disputare. Quintus modus, qui à recentioribus iudicatur probabilissimus, omnium mihi plus videtur habere falsitatis quam probabilitatis; quoniam non probat, sed confingere videatur diem in quatuor stationes trium horarum esse diuisum: & quamvis hoc probaret, falsum est diuisum esse in quatuor horas, primam, tertiam, sextam, nonam. Falsum est etiam secundam stationem appellari horam tertiam, & tertiam stationem horam sextam: locus autem quem adducunt ex Matth. 20. contra ipsos est, vt recte Canus, quoniam ibi fit mentio horæ undecimæ ex quo patet diem diuisum esse apud Hebreos non in quatuor horas, sed in 12. Denique Ioan. 11. legimus, nonne sunt duodecim hora diei: & cap. 1. *Hora autem erat, quasi decima.* Cum autem Marcus dicat, *hora tertia, & Ioannes, hora sexta,* & inter has numerentur duas horæ intermediae, nullo modo potest ferri ista loquutio; nam si ego aliquid feci inter septimam, & octauam, poterit quidem dici factum hora septima, & etiam hora octaua, si tamen feci inter septimam, & decimam, non poterit dici factum hora septima, vel decima. Præterea cum dicitur, hora quasi sexta, nemo est, qui non intelligat bonam partem iam fluxisse horæ quintæ, vt ferè incipiat sexta, & ita intelligit Augustinus tertio de consensu, loco citato, & omnes. Si autem, quod feci hora tertia, dicerem me fessile hora quasi sexta, nemo esset qui à mendacio excusaret: sextus modus Euthymij est etiam valde improbabilis: quis enim ferat exponi, *erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum,* id est, erat hora tertia quando pati cœperit à militibus Pilati: aut si ita legamus, vt per se accipiatur, *erat hora tertia quam consequentiam habere poterunt cum præcedentibus, verba quæ statim sequuntur, & crucifixerunt eum.*

Fortasse recte soluerimus hanc difficultatem, si dicamus, Pilatum dedisse Iudeis hora tertia quod volebant, id est, concessisse ut crucifigeretur Dominus; hora tamen sexta fuisse crucifixum. Sed duo sunt necessariò probanda: primum, hoc quod dicimus de hora tertia, secundum est, satis fuisse hoc, vt dicatur illa hora fuisse crucifixum. Primum ita probatur, quando Iudei dimisso Barrabba dixerunt, *crucifige eum,* erat hora tertia, sine dubio, vt iam ostendimus, cum aduersus secundum diui Augustini modum disputabamus: quod autem Pilatus tunc concederit, & publicè pronuntiauerit, videtur aperte intelligi ex Luca 23. Nullam causam mortis inuenio in eo; corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur; & inualescerant voces eorum; & Pilatus adindicauit fieri petitionem illorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missis fuerat in carcerem. Patet etiam ex Matth. 27. vbi cum Pilatus vidisset Iudeos petere Barrabbam, & non Christum, accepta aqua lauit manus coram populo, dicens: *Innocens ego sum, &c. vos videritis;* & respondens uniuersus populus, dixit: *Sanguis eius super nos, &c. ergo antequam solueretur*

solueretur Barrabas , decreuit Christum crucifigi. Confirmatur ex Beato Clemente lib. 5. constitut. Apostolic. cap. 16. aut iuxta recentiorem translationem cap. 13. vbi ita ait : *Ligno crucis hora quidem sexta affixerunt , hora vero tertia sententiam contra eum pronuntiatam accep- perunt.* Et lib. 8. cap. 40. & iuxta nouam translationem 34. ait : *Tertia (scilicet orate) quod ea hora Pilatus iudicium aduersus Dominum pro-nuntiauit : sexta , quod ea hora in crucem actus est ; nona , quod tunc omnia nota , & tum facta sunt Domino crucifixo.* Ad hoc etiam facit lex Romanorum , quam ex Hieronymo retulimus , verberari debere prius qui crucifigebantur , & ideo verberatum esse Dominum , iuxta Hieronymum , & communem sententiam Doctorum. Ignatius Martyr in epistola 5. quæ est ad Trallianos ita ait : *Die ergo parvænes hora tertia accepit sententiam à Pilato permittente Patre ; sexta vero crucifixus est ; nona autem emisit spiritum.* Quare iam Pilatus significauerat , cùm verberari iussit , eum esse crucifigendum. Nec aduersatur nobis , quod Ioannes ait , hora ferè sexta Pilatum sedisse pro tribunali ; & tradidisse illis Dominum , vt crucifigeretur. Tunc enim ita traditus est , vt decreuerit Pilatus nihil iam ad eius liberationem facere , & more judiciali sententiam protulit. Sed hora tertia dixerat se id facturum , licet haberet spem aliquam liberandi , sperans eos flagellis fore placandos , nec diffinitiuam prorsus sententiam pronuntianit , & immutabilem , ac si diceret : *Crucifigatur sanè ut vultis , sed prius mo-re Romanorum verberandus est.* Cùm autem postea significaret Iudeis velle se mutare sententiam , quando Dei filium esse audiuist , & illi clamarent , *si hunc dimittis , non es amicus Cæsaris , &c.* vt omnino eos placaret , in locum sublimem ascendit , & sententiam pronuntiauit immutabilem , & verè Dominum in eorum potestatem tradidit , vt est apud Ioannem.

Quod autem verè dici possit crucifixus ex quo sententia à Pilato pronunciata est , probatur , quoniam cùm tollitur difficultas aliqua magna , quæ obstabat , vt res aliqua fieret continuò rem illam confectam , & puram , & dicimus : tota autem difficultas erat Pilati contradic̄tio. Præterea quod sine dubio citò fiet , factum dicitur , vt Matth. 27. Tunc videns Iudas , qui eum tradidit quod damnatus esset , &c. ita Dominus loquitur vt saepe in hoc Euangeliō vidimus , vt c. 17. *Ego te clariſcui super terram , opus consummaui , quod dedisti mihi ut fauorem.* Quare meritò dicitur crucifixus , ex quo ablata est tota difficultas crucifixionis , & adiudicatus est cruci ; & ita loquutus est Thelesphorus Papa , & Martyr epist. vnica , cuius verba sunt . *Reliquis enim temporibus Missarum celeb̄rationes ante horam diei tertiam minime sunt celebranda , quia & eadem hora Dominus crucifixus.* & super Apostolos Spiritus sanctus descendisse legitur , quæ referuntur c. nocte sancta de consecr. d. 1. nō enim poterat ignorare Thelesphorus primis illis Ecclesiæ temporibus , quod omnibus fidelibus erat compertissimū , Dominum crucifixum fuisse hora 6. Præterea more Scripturæ sanctæ res dicitur fieri , & facta cùm incipit fieri ,

vt Lucæ 2. Postquam consummati sunt dies octo , ut circumcidetur puer . Matth. 8. Quoniam oportet filium hominis pati multa , &c. & occidi , & post tres dies resurgere : inde Prophetia impleta dicuntur , cum incipiunt impleri , Matth. 8. Et omnes malè habentes curauit , ut adimpleretur , quod dictum est per Isaïam Prophetam : Ipse infirmitates nostras accepit ; & cap. 13. ut adimpleatur in eis Prophetia Isaïe , dicentis : Audientes audietis , & non intelligetis , &c. similiter loquitur Paulus Rom. 10. sed dico , nunc quid non audierunt ? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum . Quoniam igitur sententia Pilati & flagellatio ad crucifixionem ordinabantur , iam in illis crucifixio incipiebat , & ideo dicitur crucifixus , vt Psal. 43. Propterea mortificamur tota die , mortificari , id est , occidi , vocat cruciatus , qui ad mortem ordinabantur . Quod si queras , quare Marcus post veram crucifixionem & sortitionem militum narratam tandem intulerit , erat autem hora tertia , & crucifierunt eum ; respondeo cum Augustino , recapitulatione vsum fuisse (vt passim facere solent Euangelistæ) ut explicaret aliquid quod suo loco non dixerat , quasi dicat , hæc autem crucifixio , quām iam narraui , vel hora tertia cœpta est , vt ostendat eam fuisse longiorem : atque ita effugiuntur incommoda quæ in sententiam Augustini obiciebamus . nam Marcus , more Scripturæ , & more communi hominum loquutus est , & cùm dicit , & crucifierunt eum , de eisdem loquitur , de quibus antea loquebatur , id est , de Gentilibus , quod si aliquis obiciat , non potuisse crucifigi hora sexta , quoniam Lucas ait , erat autem hora ferè sexta , cùm Pilatus sedit pro tribunali , vt ait Ioannes , antequam Dominus duci inciperet ad locum caluariae , quomodo hora ferè sexta potuerunt fieri tenebræ , quæ post crucifixionem , & post alia multa facta sunt ? Respondeatur , quando sedit pro tribunali Pilatus , erat hora ferè sexta incipiens , & quinta iam terminabatur ; quando autem factæ sunt tenebræ , erat ferè finis horæ sextæ prope initium septimæ , quod optimè explicuit Marcus , dicens , & facta hora sexta , tenebra facta sunt per totam terram usque in horam nonam .

Ecce Rex vester.] Magis videtur ad excitandam misericordiam dictum , quām ad illusionem , & vt adhuc eos à scelere auerteret . Sicut cùm ait statim , Regem vestrum crucifigam ? vel ita dicit , quasi ostendat ignominiosum illis esse , quod Regem suum crucifigi velint , vt ait Augustinus tract. 116. & Cyrillus .

Non habemus Regem , nisi Cæarem .] Ideo relicti sunt à Christo , & vastati à Romanis , & contigit illis , quod Dominus prædixerat Luc. 19. Veruntamen inimicos meos , illos qui noluerunt me regnare super se , adducite huc , & interficite ante me . Hoc loco videmus quomodo mentita est iniquitas sibi ; nam dum Christum Regem suum esse negant ; imprudentes , & inuiti Regem suum illum esse fatentur : si enim non habent Regem , nisi Cæarem ; ergo impleta est Prophetia Iacob . Genes. 49. Non auferetur scepterum de Iuda ; &c. atque ita necesse erat venisse Messiam .

Mortificandi verbum.

Et baiulans sibi crucem.] Impletum est hic illud Isa. 9. Et factus est principatus eius super humerum eius. Quod multi sancti de cruce intelligunt, ut Hieronymus ibi, & Ambrosius lib. 3. de fide c. 4. Augustinus sermone 21. & 71. de tempore, & alij. Impleta est etiam figura, ut ait Chrysostomus homil. 84. qua Isaac humeris ligna portabat in montem, in quibus erat immolandus, Gen. 22. Nunc verus David cum baculo prodit, cum fortissimo, & superbissimo gigante pugnaturus. Augustinus tract. 117. ista de hac re inquit: Grande spectaculum: sed si spectet impietas, grande Indibrium, si pietas, grande mysterium; si spectet impietas, grande ignominia documentum; si pietas; grande fidei munimentum. si spectet impietas, ridet Regem, pro virga regni lignum sui portare supplicij; si pietas, videt Regem baiulantem lignum ad femet ipsum figendum, quod fixurus etiam erat in frontibus Regum; in eo sternendus oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sanctorum. & affert illud Gal. 6. Mibi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Est autem sciendum portationem crucis non fuisse nouam, & extraordinariam ignominiam, sicut multi existimare videntur; moris enim erat apud veteres, ut crucifigendi crucem suam in locum supplicij deportarent. Plutar- chus in libello de sera numinis vindicta fol. 3. in principio, inquit:

Portatio crucis ad locum supplicij apud veteres usitata.

*Quemadmodum enim facinorosus quisque ultimo affigendus suppicio corpore suo propriam fert crucem; ita improbus ex seipso suppicium sibi struit, &c. hunc morem insinuare videtur Euthymius super Matth. cum ait: Imposuerunt ipsi crucem, tanquam condemnato. Sed est in hoc loco difficultas, quoniam Matthaeus videtur aduersari Ioanni; non enim dicit Dominum crucem baiulasse, sed ait, eduxerunt eum, ut crucifigerent; exeuntes autem innenerunt hominem Cyreneum, nomine Simonem: hunc angariauerunt, ut tolleret crucem eius. Ad hoc ita ibi respondet Hieronymus. Sed hoc intelligendum est, quod egrediens de Pratorio Iesu ipse portauerit crucem suam, postea obivium habuerit Simonem, cui portandam crucem impauerint. iuxta anagogem vero, crucem Iesu suscipiunt nationes, & peregrinus obediens portat ignominiam Salvatoris. eodem modo responderet Augustinus lib. 3. de consensu Euang. c. 10. & Euthymius in Matth. & Theophylactus in Matth. & in Ioan. & Lyra in eisdem locis. Adit etiam Theophylactus neminem voluisse portare crucem, quoniam censemebatur maledicta propter illud Deuteron. 21. *Maledictus omnis, qui pendet in ligno,* quem sequitur Iansenius c. 143. Quod autem Simon simul cum Iesu crucem portauerit, ut pingi solet, Evangelistæ non dicunt, sed portasse post Iesum, existimatque Iansenius solum ipsum portasse, quod ex sanctis citatis satis intelligi potest, causa fuit, ut ait Lyra locis citatis ut citius peruenirent ad locum passionis, quoniam Dominus labore praecedentis noctis debilitatus, lento gradu incedebat: immo cum tot verbera accepisset probabile est timuisse Iudeos ne in via deficeret, & meritò; tradunt enim crucem habuisse 15 pedes longitudinis, ut ait Medina lib. de terra sancta, Statione 9. hunc Simonem quem angariauerunt, id est, coegerunt crucem portare, Marcus*

Crucis longitudo.

Simon hic
quis.

ait fuisse patrem Alexandri, & Russi, qui erant è numero, scilicet discipulorum. Rufum autem Basæus in suis chronicis, & Petrus Antonius Beuter in prima parte chronicorum Hispaniæ lib. I. c. 23. scribunt venisse cum Paulo Apostolo in Hispaniam, & in ea remansisse redeunte Romam Apostolo, fuisseque primum Episcopum Dertosæ. Est autem notandum iuxta Hieronymum, quem sequitur Iansenius c. 143. hunc Simonem non fuisse Iudæum, sed Gentilem, inde enim Hieronymus sumit allegoriam nationes Gétilium crucé Christi fuisse portaturas, sed merito de hoc dubitare possumus, cum videatur probabilius fuisse Iudæum, quia eo tempore habitabant in Hierusalem Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est, Actu. 2. etiam ex Cyrene, quæ est in Africa, de qua hic loquitur. ait enim ibidem Lucas, & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem. Ex his probabile est fuisse Simonem. Deinde si Gentilis esset, fortassis Dominus non reciperet eius filios in numerum discipulorum, ne quoquo modo offensioni esset Iudaicus. Præterea cum iste Simo crucem portauerit inuitus, non fuit propriè typus Gentilium, qui magna animi alacritate conuersi sunt, sed eorum qui inuiti perferunt labores, & infructuosè. Sed possumus dicere pro Hieronymo, istum, etiamsi Iudæus fuisse, portasse typum Gentilium, quia erat ex terra Gentilium. Deinde significat Gentes portaturas fuisse crucem, non quatenus coactus est ad portandum, sed quatenus obediens; & ideo dixit Hieronymus, *peregrinus obediens*, ad utrumque significandum. quamuis etiam Gentes primum quodammodo coactæ sunt signis, & prædicatione Apostolorum, iuxta illud Lucæ 14. *Et compelle intrare.*

Exiit in eum qui dicitur Caluaria locum.] Oportuit omnino Domini num pati in Hierusalem, quia, vt ipse dixit Lucæ 13. *Non capit Prophetam perire extra Hierusalem.* Præterea, quia erat Hierusalem locus electus à Deo ad offerenda sacrificia, quæ omnia figura fuerunt veri, & singularis sacrificij, quod in ara crucis Christus oblatus erat pro nobis, & ideo veritas respondere debebat figuræ; erat etiam Hierusalem in medio terræ Iudeæ, vt ait Iosephus lib. 3. de bello Iudaico c. 2. vnde (inquit) quidam non sine ratione umbilicum eius terræ eam urbem vocauerunt, & non longè distabat à medio totius terræ habitabilis, non enim distat plus quam ducentis, & decem, & octo leucas, vel, vt alij. 373. vt non inepte possit ad hoc referri illud Psal. 73. *Deus autem noster ante sæcula operatus est salutem in medio terre,* vt scilicet significaretur virtus passionis ad omnes Gentes peruenturæ. Sed vt hoc apertius significaretur, & intelligeretur, non in urbe ipsa mortuus est, sed extra urbem, quia non Iudaicus solis, sed omnibus nationibus moriebatur. Hoc factum est etiam vt veritas figuræ responderet: nam vitulus, & hircus, qui pro expiatione totius populi immolabantur, cremabantur extra castra, Leuit. 16. Quæ ratio est Pauli Apostoli Hebræorum 13. *Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra*

Dominus
extra urbē
mortuus, &
cur.

pro

propter quod, & Iesu ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Vide de his S.Thomam 3. parte quæstione 46.art. 10. Situs loci Caluariae, est ad septentrionalem plagam montis Sion, Situs loci
Caluariae. vt ait Hieronymus in locis Hebraicis, ante quem est murus antiquus latus & fortis Hierusalem veteris, transiens per medium urbis quæ nunc est, in quo muro est parua porta per quam Dominus exiit crucifigendus: inde ad iactum lapidis versus Orientem est templum sancti Sepulcri & in platea, quæ est ante templum sepulcri, est defixa crux in loco vbi Christus cecidisse dicitur, cum crucem portabat, cum indulgentia 7. annorum & 7. quadragenarum. Locus autem vbi crucifixus est, ita propinquus vrbi erat, vt ab eo lapis mitti possit manu intra veterem murum, vt scribit Medina lib. de terra sancta. Unde Ioannes, quia prope ciuitatem erat locus in quo crucifixus est Iesu; sed de nomine magna est difficultas cur Caluaria sive Golgotha dictus sit, Hieronymus Matt. 27. ita Scribit: *Audini quendam exposuisse Caluaria locum esse in quo sepultus est Adam, & ideo sic appellatum esse, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput, & hoc esse quod Apostolus dicat Ephes. 5. Surge qui, dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Fauorabilis interpretatio, & mulcens aurem populi, nectamen vera, extra urbem enim, & apertam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum; & Caluaria, id est, decollatorum sumpere nomen.* Hanc sententiam, quam ibi retulit, Hieronymus duobus argumentis refellit. Primum est, si Christus ibi crucifixus est, vt eius sanguis stillaret super caput Adam, quare latrones ibi crucifixi sunt: ex quo patet locum fuisse damnatorum. Secundum, quoniam Adam nequaquam sepultus est in Hierusalem, sed in Hebron. probat ex Iosue 24. *Nomen Hebron antea vocabatur Cariab-Arbe: Adam maximus ibi inter Enacim* Situs est. Eadem sententiam refert in epistolam ad Ephes. c. 5. in verbis ci-tatis, nec probat illam Hieronymus. Sequitur Rupertus, & S. Thomas hic, & in tertia parte, quæstione 46. art. 10. ad ultimum, & Lyra hic, & in Matth. & Honcala in lib. illo sui Pentapili, quem vocat stauricum c. 11. & Iansenius c. 143. & Montanus in Marcum, & multi alij. Verum hæc sententia quam Hieronymus expludit, antiquissimis & doctissimis authoribus maximè placuit: aiunt enim esse antiquam traditionem, cámque vt veram, & rationi consentaneam sequuntur Origenes tractat. 35. in Matth. Athanasius tractat. de passione, & cruce Domini, paulo ante medium: Cyprianus in sermone de resurrectione Christi, Ambrosius lib. 5. Episcopus Epistola 19. & in Lucam c. 23. Epiphanius lib. primo contra hæres. in fine Augustinus sermone 71. de tempore. Chrysostomus homil. 34. in Ioan. Theophylactus in commentatorum Euang. Euthymius in Matt. Cano, lib. 11. de locis c. 5. ad 8. & Medina lib. de terra sancta, statione decima, testatur hanc esse communem sententiam habitantium in terra sancta. Denique Hieron-

Sepulchrum
Domini.

Locus cru-
cifixionis.

Cur dictus
Caluaria
sive Golgo-
tha.

ipse in epistola quam nomine Paulë & Eustochij scribit ad Marcellam, quæ incipit, Mensuram charitas, ita ait: *In hac vrbe, immo & in hoc loco, habitaculo, dicitur, & mortuus esse Adam: unde, & locus, in quo crucifixus est Dominus noster, Caluaria appellatur.* Scilicet quod ibi sit antiqui hominis caluaria condita. Quare non est dubium probabilissimam esse hanc sententiam, & fortè probabiliorem ea, quam recipit Hieronymus; non enim sine causa recepta est tot sanctis ista traditio, præser-tim cùm argumenta Hieronymi facile solui queant: nam ad primum responderi potest docuisse, ut eo maximè loco Christus crucifigere-tur, ratione iam dicta, sed quoniam scriptum erat Isai. 53. & cum se-leratis reputatus est, & quoniam Iudæi volebant eius mortem plurimum habere ignominiae, crucifixi sunt simul duo latrones. Ad secundum responderet Cano, loco citato, in verbis citatis Iosue. 14. Adam in He-bræo non esse nomen proprium, sed commune, significans hominem. Itaque eo loco reddit rationem cur Hebron prius vocata sit Cariath-Arbe, id est, ciuitas Arbe, quoniam ibi maximus gigantum illius terræ sepultus fuerit, qui vocabatur Arbe. Quod autem ibi Arbe sit nomen gigantis, ait expressum esse à Chaldaeo interprete, & à Pagni-no; sed profectò probatur apertissimè ex c. 15. Iosae, vbi ita legimus, *Caleb verò filio Iephone dedit partem in medio filiorum Iuda, sicut præce-pe-rat ei Dominus Cariath-Arbe patris Enath, ipsa est Hebron.* Cùm autem apud Hebræos Chiria idem sit quod vrbs, nihil aliud est Cariath-Arbe patris Enach; quam ciuitas illius hominis qui vocabatur Arbe, & fuit pater Enach, & ita LXX. verterunt, ciuitatem Arbe, & Chal-dæus totum locum ita conuertit, nomen Hebron ab antiquis diceba-tur Chiriath-Arbe, homo magnus in fortibus ipse.

Ex quo patet falsum esse quod Hebræi scribunt in libro qui dicitur Beresith-Rabba, vocari Cariath-harbe, id est, ciuitatem quatuor; eo quod quatuor viri magni in ea vixerint, & circunciserunt, Aner, Scol, Mamre, Abraham, & quod ibi sint quatuor magni viri sepulti, Adam, Abraham, Isaac, Iacob, & etiam quatuor magnæ matronæ, Eua, Sara, Rebecca, Lia, quam sententiam ex parte videtur sequi Hieronymus, ait enim in epitaphio S. Paulæ fol. 3. *Ascendit Chebron, hæc est Cariath Harbe, id est, oppidum virorum quatuor, Abraham, Isaac, Iacob, & Adam magni, quem ibi conditum iuxta librum Iesu.* Hanc Hebrai autumant, licet plerique Caleb quartum putent, cuius ex latere memoria monstratur. Simili-ter dicit in traditionibus Hebraicis in primum Paralip. fol. 1. vocati ciuitatem à quatuor Patriarchis ibi sepultis: falsum, inquam, est, quo-niam, et si verum sit *harbab*, apud Hebræos significare etiam quatuor, tamen amphibologiam sustulit Scriptura ipsa, cùm Hebron vocat ciuitatem Harbe patris Enach. Quamuis possimus defendere Hierony-mum & Hebræos, ciuitatem istam posse etiam hoc nomen habere à quatuor viris, licet prima, & potissima causa nominis alia fuerit. An-dreas Masius in commentariis Iosue reprehendit Hieronymum quod in suæ sententiæ fauorem verba Scripturæ translatione sua detenserit, quo

quoniam enim ipse putabat Adam fuisse sepultum in Hebron, ita transfusit locum illum Iosue, vt secum sentire faceret Scripturam, cum in Hebreo sit magnus homo in Enachin, ipse scilicet Harbe, & ita vertit ipse Masius, homo maximus inter Enachinos ipse. Ego vero nequaquam Masio assentior translationem reprehendenti, nam si possunt verba Hebreæ habere eum sensum quem ipse indicat, recte tamen patiuntur sensum Hieronymi, qui non ipsius tantum fuit, sed etiam Hebreorum, vt iam citauimus ex Epitaphio S. Paulæ. Et ratio est, quoniam nomen proprium iuxta receptam Hebreorum doctrinam, non habet articulum demonstrantem, nisi sumatur ut nomen communem iuxta suam etymologiam, & ita ibi Adam potest significare primum parentem, vt sit Adam cum articulo, id est, homo ille; ita enim ponitur Genes.4. Similiter cum articulo, ut hic, cognovit Adam vxorem suam: potest etiam significare hominem significatione communi, & ita per hominem magnum veteres Hebrei intellexerunt Adam, recentiores vero in commentariis Canticorum intellexerunt Abraham: atque hos sensus potest accipere nostra translatio, quoniam nemo ignorat Adam hominem significare, immo & tertium sensum valde elegantem recipere potest, quem expressere. LXX. & nos latius exposuimus Michæl s. ibi, & tu Bethlehem, &c. Metropolis urbium Enacim ipsa. solet enim Scriptura ita de urbibus loqui ac si homines essent. Quod si aliquis urget nostram translationem potius recipere hunc sensum de Adam ibi sepulso, quam alios, possemus respondere cum Honorio in suis chronicis, Adam prius fuisse sepultum in Hierusalem in loco Caluariæ, deinde translatum esse in Hebron, & ita omnia consonabunt. Sed quoniam hoc author iste non probat, respondetur recte translatum esse, & Adam maximus, ut maneat eadem fecunditas sensuum quæ est in Hebreo, quandoquidem Adam potest significare primum parentem, & etiam hominem, & ratione huius secundæ significationis potest & giganti illi conuenire, & potest conuenire virbi, ut dictum est. Quod autem Adam etiam in nostra translatione ponatur aliquando communiter pro homine, patet ex 2. Reg.7. *ista est enim lex Adam, Domine Deus*, id est, hoc est hominis ingenium, & hæc natura, ut non solus bona habere velit, sed etiam ad hæredes suos transmittere. Et Osee 11. *In funiculis Adam traham eos.* in utroque loco LXX. Interpretes transfuserunt, *hominis*; & in priori glossa & Lyra, & Vatablus accipiunt etiam Adam pro homine. Præterea pro sententia Sanctorum contra Hieronymum est mihi magnum argumentum. ait enim Ioannes in fine huius capituli; *erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus; & in horto monumentum nouum,* &c. quia iuxta erat monumentum, si ergo erat ibi hortus, quomodo poterat esse locus in quo damnati decollarentur? Neque obstat, quod exponit Lyra, *erat hortus in loco,* id est, prope locum, nam si hoc verum esset, similiter possemus exponere, & in horto monumentum, id est, propè hortum monumentum, diuersa enim

Ribera in Euang. Ioan.

M Mm

cst

est vis harum præpositionum *in*, & *prope*: vnde S.Thomas multo melius exposuit. Notandum, inquit, quod Christus in horto captus, & in horto passus, & in horto sepultus fuit. Cùm autem hortus sumatur. pro prædio, vt diximus initio c.18. & constet sepulcrum, in quo positus est Dominus, fuisse Ioseph Arimathiensis, Matth. 27. valde probabile est hortum totum eiusdem Ioseph fuisse, & ibi sepultum fuisse Dominum, ipso petente. In hortis autem sepeliebantur veteres, non cruciabantur damnati. Præterea si locus esset damnatorum, vocaretur potius locus capitum, aut calvariarum; cùm autem singulariter dicatur Caluariæ, argumentum est aliquam insignem caluariam significari, quæ loco nomen dederit: vt cùm dicitur locus maxillæ, Iudicum. 15. ab insigni illo euentu.

Hebraicè autem Golgotha.] Hebraicam linguam vocat, qua tunc Iudei vtebantur, quæ multum habebat admixtum idiomatis Chaldaici: sicut cùm dixit Iuperiūs Hebraicè *Gabbatha*; Hebraicum enim vocabulum est *גַּלְגָּלֶת* *Gulgoleth*, & significat caput, siue sit hominis viui, siue mortui, vt Exod. 16. *Gomor per singula capita*. vt Iudic. 19. & *confregit cerebrum eius*. Habet autem caput hoc nomen à volubili rotunditate, nam *כָּלָל* *Galal* significat *voluere*. Chaldaicè verò dicitur *Gulgaltha*, vt videmus in Paraphrasi Chaldaica in locis citatis. Ex quo fit satis probabile legendum esse *Golgitha*, vt vult interpres, Eu-thymius in Matth. & Iansenius. c.143. & multi ex recentioribus: & non est diuersitas nisi in punctis, quæ nulla erant cùm Scriptit Ioannes, atque ita, vt dicimus, tradunt habuisse vetusta exemplaria Latina, licet nunc in translatione Syriaca huins Euangelij & cæterorum legamus, *Galgaltha*. Pagninus in lib. interpretat. nomin. Hebraic. docet legendum esse *Gulgatha*, quod omnium conuenientissimum erat, nisi aliter legeremus in Paraphrasi Chaldaica, vt dictum est. E-piphanus lib. primo contra heret. in fine etiam legit. *Gulgatha*.

Cæterum ad hunc montem, si Iudeorum crudelitatem spectemus, referri potest illud. 2. Regum primo. *Montes Gelboe, nec ros, nec plusia cadant super vos, quia ibi abiectus est clypeus fortium, clipeus Saul, quasi non esset unctus oleo*. Si autem intueamur affluentiam bonorum quæ in illo monte adipiscimur, possumus dicere illud Psalm. 67. *Nine dealbabuntur in Selmon mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, vt quid suspiciamini montes coagulatos? mons, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo.*

Ladrones cum Christo crucifixi. Et cum eo alias duos.] Crucifixi sunt latrones cum Christo, vt impletetur prophetia, & cum sceleratis reputatus est, Isa. 53. & ad maiorem eius ignominiam, vt nullo modo Iustus putaretur, sed sceleris eorum particeps. vide de his S.Thomam 3. parte, quæstione 46.a.11. Crucifixionis expressam figuram habemus in serpente æneo exaltato Num. 21. ipso Domino exponente Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltavit, &c. & Num. 16. Vbi Aaron summus Sacerdos inter mortuos, & viuos offert sacrificium, & restinguat saeuens incendium; sic Christus offert sacrificium,*

& erat inter vnum latronem iustum, & alterum iniustum, inter matrem, & discipulos, & inter mortuos Iudeos. Extat etiam euidens prophetia Ps. 21 t. *Foderunt manus meas, & pedes meos; dinumerauerunt omnia ossa mea*, id est, in cruce distensa conspexerunt membra mea, vt ibi exponit Hieron. in loco etiam ipso, si credimus Aug. serm. 71. de tempore, alia figura impleta est, de qua ita loquitur, *Audite aliud sacramentum fratres charissimi*. Hier. Presbyter scribit ab antiquis, ea senioribus Iudeis se certò cognouisse quod ibi immolatus sit Isaac, vbi Dominus crucifixus est. Hoc ego in Hieronymo non inuenio, sed potius montem, in quo immolandus erat Isaac, eum esse, in quo postea templum extinxit, ita docet in traditionibus in Genesim ex authoritate Hebreorum. quod tamen citat Aug. legitur in commentar. Marc. qui circumferuntur nomine Hieronymi. Tradunt, inquit, Iudei, quod in hoc montis loco immolatus est aries pro Isaac, licet probabilius sit hunc librum non esse Hieronymi. Eadem sententiam affirmat (licet Hieronymo non tribuat) Suarez in Lucam: sed videtur hoc nullo modo fieri posse, quoniā mons Moria, in quo erat templum, est ad Orientem, Calvariæ verò mons esse ad Septentrionem, vt diximus ex Hieronymo.

Scripsit autem titulum Pilatus.] Titulus, quam vocem Latinā Euangeliſta viſūpauit, & titulō dixit, est inscriptio, quæ in libris, aut ædificiis ponitur, vt authorem indicet operis. Scribit autē Lyranus hic, & Montanus in Matt. moris fuisse apud veteres vt iis, qui crucifigebantur, titulus in cruce poneretur, qui necis causam indicaret, ideoque Pilatus hunc titulum cruci infigi iussit, vt alij Euangeliſta apertius ostendunt. Matthæus *Imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam*. Marcus, & erat titulus causa eius scriptus, *Rex Iudeorum*; videlicet, vt notum esset omnibus cū crucifigi, quod se Regem Iudeorū diceret. atque hoc quidem in Christo factum est, sed in aliis fieri solere mihi non cōstat: immo Chrys. homil. 54. negat cruces latronum habuisse titulos.

*Titulus sine
inscriptio
Crucis.*

Erat autem scriptū, Iesus Nazarenus, &c.] Ioannes integrā inscriptiōnem imposuit, vt indicat titulus crucis, qui hodie Romæ aſſeruatur in templo S. Crucis. Cæteri Euangeliſtae, non verba omnia, sed eorū sententiā retulerunt. Matthæus, *Hic est Iesus Rex Iudaorū*, Marcus, *Rex Iudeorū*, Lucas, *Hic est Rex Iudeorū*. Pro eo quod est, Iesus, testatur Pagninus in lib. interpretationum nominum Hebraicorum, scribendum esse, *Iesuah*, & ita Scriptum esse in titulo crucis, qui Romæ ostenditur, quod nomen significat, *Salutem*, vt Ps. 3. *Domini est salus*. & ita etiam habetur in translatione Syriaca Matthæi, & Ioannis: sed quoniam sancti lēpissimè dicunt nomen *Iesu* significare *Saluatorem*, non autem *salutem*, vt Hieronymus Matth. primo, & Chrysostomus, & Euthymius, & Theophylactus in principio Matt. & etiam Dominum idem nōmē habuisse cum *Iosue*, vt isti tres Græci authores citati; mihi probabilius est, nōmē eius fuisse, *Iehosuah*, quod est nōmen Iosue ducis; & quia hæc disputatio propria est 21. Lucæ, omissis aliis, possumus ad titulū crucis respōdere, nōmē malè fuisse scriptū à Gentilib. non satis nominum Hebraicorum

differentiam callentibus : nam inconsultis Iudæis scriptum esse titulum illud Ioannes indicat , hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum , quia prope ciuitatem erat locus , in quo crucifixus est Iesus : & illud , *Noli scribere Rex Iudeorum* , &c. Secundò possumus dicere , si forte Iudæi aliqui affuerunt , illos abstulisse ex nomine vero duas literas *n he* , & *v van* , ne nomen haberet commune cum Iosue , & cum Iesu Sacerdote Magno. Ut cùm apud nos in Ecclesiasticis officiis dicitur , *Domne* , pro *Domine*. Contemptus etiam causa solet hoc fieri apud Hebraeos , vt notat Hieronymus in traditionibus Hebraicis in Genesim , & in traditionibus in secundum lib. Reg. sicut Genef. 23. Ephron , postquam vendidit Sepulcrum , vocatur Ephram. in Hebraeo , dempta litera *v* , & Hierem. 22. Ieconias Rex vocatur Conias , dempta litera *v* , in illis verbis , *Vnuo ego , dicit Dominus* ; quia si fuerit Ieconias , & in illis , *Nunquid fitile , atque contritum vidisti Ieconias* , &c. quod potissimum fieri videtur in literis nominis *יְהוֹנָתָן* quæ in maximo honore habebantur , vt videmus in exemplis adductis , ex quibus literis duas in nomine hoc *I e s v* subtracterunt.

Rex Iudeorum.] Multa de hoc titulo scribit Caietanus Ientaculo 1. quæstione 4. Sed ego existimo eandem fuisse Pilato causam ponendi in titulo , *Rex Iudeorum* , quæ fuit , vt positum postea tueretur aduersus Iudeos , cùm dixit , *Quod Scripti , scripti*. Neque arbitror posuisse nomen Regis ad irrisiōnē : aptius enim esset ad irrisiōnē nomen filij Dei , quoniam crucifigi , & mori alienius est à filio Dei , quām à Rege. Primum igitur posuit , vt diligenter videretur curasse res Cæsarīs , quandoquidem hominem crucifigebat , non quod regnum inuasisset , aut militum manū coegerisset , sed quod solū nomen Regis usurpasset ; & ideo Euangeliste dicunt , hoc nomen Regis pro causa mortis positum esse ; Marcus , & erat titulus causa eius scriptus , *Rex Iudeorum*. Secundò , vt Iudeis , quibus ob improbam eorum pertinaciam infensus erat , notam ignominia inureret , quod Regem suum agi in crucem voluissent : quæ ratio videtur esse Chrysostomi homil. 84. & est planè Augustini in expositione tituli Psalm. 56. & ideo ipsi postea peccatis , titulum mutare noluit. Tertiò , quoniam videtur in Christo aliquid magnum intellexisse ex somnio vxoris , & ex ipsius Christi innocentia , & patientia , & ex verbis illis , *Regnum meum non est de hoc mundo* , &c. Quærit autem Augustinus tract. 117. cur positum sit , *Iudeorum* , cùm sit etiam Rex Gentium , iuxta illud Psal. 2. *Postula à me , & dabo tibi Gentes hereditatem tuam*. Respondeatur , sub Iudeis omnes fidèles comprehendendi , & ideo omnes vocantur filii Abrahæ Gal. 3. Si autem vos Christi , ergo semen Abrahæ estis. Rom. 4. Qui est pater omnium nostrum , sicut est , quia patrem multarum gentium constitui te. Et verissimum hoc quidem est ; sed causa tamen litteralis est , quod Pilatus titulo illo velebat causam mortis exponere : fuerat autem Christus accusatus , quod se Regem Iudeorum diceret , non Gentium.

Iste

*Iudeorum
nomine om-
nes compre-
hendit fide-
les.*

Iste titulus in tabula scriptus est sesquipedalis longitudinis, vt refert Lodulphus 2. p. vitæ Christi cap. 63. mirabile tamen est quod refert Suarez Conimbricensis in Lucam, & in Marcum, se vidisse Romæ tabulam istam, in qua deest proflus tam in Hebræo, quam in Græco & Latino verbum illud *Iudeorum*, cum parte tabulæ in qua scriptum erat: neque id quidem manu hominum detraictum, sed diuinitus; quoniam Iudæi negauerunt eum esse Regem suum, & desierunt esse eius populus; & præterea, quoniam est absolutè Rex omnium.

Cur linguis variis scriptus titulus.

Et erat scriptum Hebraicè, Græcè & Latine.] Causa varietatis linguarum manifesta est, Hebraicè, vt omnes Iudæi causam mortis intelligerent. Græcè verò & Latinè, quoniam lingua Græca plurimæ nationes loquebantur, & etiā Latina Romanos vniuerso ferè orbi imperantibus. Erant autem in Hierusalem Iudæi ex omni natione, A. C. 2. erant etiam Romani. Secundò, quoniam istæ tres linguae præ ceteris eminebant, Hebræa, propter Iudæos; qui Dei populus erat, & legē Dei habere se solos gloriabantur; Græca, propter Gentium sapientes: Latina propter Romanos, multis, ac penè omnibus iam tunc Gentibus imperantes, quæ ratio est Aug. tract. 117. Cyrillus, diuinitus, vt ego arbitror, factum est, vt trium linguarum, quæ præcipuæ sunt, literis scriptus titulus fuerit; omnium Gentium regnum Christo attributum esse significauit, iuxta illud Dan. 7. *Et dedit eis potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi tribus, & lingua ipsi seruient;* & Philipp. 2. *Et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus in gloria est Dei Patris. Noli scribere, Rex Iudaorum.* Augustinus in expositione Psal. 56. *Indignati sunt Iudæi, quia inscriptus erat titulus, Rex Iudaorum,* puduit illos habere Regem, quem crucifigere petierunt, non enim viderunt quia ipsa Crux, in qua eum fixerunt, futura erat in frontibus Regum, &c. volebant autem mutari inscriptionem, quoniam ita videbatur Pilatus quodammodo affirmare illum esse Regem eorum: aut quoniam illa inscriptio videbatur testari omnes ita sentire, vt ait Chrysostomus, & ideo dicebant, *sed quia ipse dixit, Rex sum Iudaorum*, quasi dicerent, si hanc inscriptionem ita, vt dicimus, ponas, non tribuetur id communis sententiæ, sed illius temeritati, atque fastidiantiæ.

Quod scripsi, scripsi.] Augustinus tract. 117. *O ineffabilem vim diuinæ operationis etiam in cordibus ignorantium. nonne occulta nox quadam Pilato intus quodam (si dici potest) clamoso silentio personabat, quod tanto ante in Psalmorum titulis prophetatum est: Ne corrumpas tituli inscriptionem, ecce tituli inscriptionem non corruptit, quod scripsi, scripsi.* Loquitur autem Augustinus de inscriptione Psal. 56. & 57. quæ ita habet, *In finem, ne disperdas (aut, ne corrumpas,) David in tituli inscriptionem.* Quæ verba etiam in eisdem Psalmis intelligit Augustinus de titulo crucis, qui non erat à Pilato mutandus, aut corruptendus, Psalmos illos de passione Domini scriptos esse, cuius typum gerebat David: sicut Saul persequens ipsum, typum gerebat Iudaorum Christum

stum persequentium eodem modo intelligit author commentariorum in Marcum.

Vestimentorum parti-
tio.

Acceperunt vestimenta eius.] Ita exactè impletur omnia, quæ de Christo prædixerat Prophetæ, etiam minutissima, vt, quemadmodum ait Rupertus, si milites iurassent se omnia impleturos, non melius impletur. Hoc ergo quod ipsi faciunt, ita prædixerat Psal. 21. *Partiti sunt vestimenta mea*, &c. vt ipse Euangelista adnotauit, qui hanc vestim diuisionem accuratiū scripsit, quām cæteri: ex cuius verbis intelligimus, vt etiam adnotauit Aug. tract. 118. quatuor tantū fuisse milites, qui Dominum crucifixerunt, ait enim Euangelista: *Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem, & tunicam;* id est, extra has partes, erat tunica. Secundò intelligimus Dominum plures vna vestes habuisse, non tamen ideo sequitur habuisse quinque, vt quidam existimarunt, sicut refert Euthymius in Matth. quasi vnicuique militi vna vestis sorte obtigerit, non enim ita factum est, sed vestes scissæ sunt, & tunica inconsutile non est scissa, quia si scinderetur, nullius esset utilitatis, tota enim dissolueretur, & retexeretur, quia non erat consuta, sed contexta desuper per totum, id est, textura à summitate vestis incipiebat, & usque ad imum continuabatur, & ideo de hac dixerunt, *non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.* Quoniam ergo tunica non est scissa, & Euangelista non dicit vestimentum scissum est, sed vestimenta, certum est Dominum tres saltem vestes habuisse, & ita existimat Euthymius,

Qualia ve-
stimenta
fuerint.

An de sola
tunica for-
titum.

Matth. tertio, intelligimus, vestes licet pretiosæ non fuerint, non fuisse tamen viles, & pannosas, sed mediocres, & communes, alias non scindissent eas milites: nam quamvis Chrysost. & Theoph. hic & Euthymius in Matth. dicant eos per irrisiōnem diuisisse inter se vestes, quasi volentes habere aliquid de regiis vestimentis, utraque causa facta est diuisio. nam si vilissimæ essent vestes, etiam si irridere vellent, nequam curiosius sortem mitterent, sed quomodo cumque diuiderent. Est autem dubium, vtrum de sola tunica sortiti fuerint milites, an etiam de cæteris vestibus. Ratio dubitandi est, quoniam tam Dauid, quām Ioannes non obscurè significant sortem tantummodo missam fuisse super tunicam. Econtrario autem Marcus affirmare videtur, missam esse sortem super cæteras etiam vestes. ita enim ait, *& crucifigentes eum, diuiserunt vestimenta, sortem mittentes super eis, quis quid tolleret.* August. tract. 118. & S. Thomas putant de sola tunica sortitos fuisse milites, quoniam singulariter ait Dauid, *super vestem meam miserunt sortem*, & similiter loquitur Ioannes: quare verba Marci ita interpretantur, *mittentes sortem super eis*, id est, mittentes sortem cum diuiderent eas, sed sors super sola tunica missa est. Sed profectò non intelligo quomodo verba Marci possent huc sensum recipere. Quare dicendū videtur cum Iansen. c. 143. super vestes etiam quæ scissæ sunt, missam fuisse sortem, ne contendenter inter se milites dum alteri pars alterius melior videatur quām sua, & ita videtur intellexisse Theoph. in Marcum, & aperte

aperte ita sensit Ambrosius in Lucam, his verbis: *Dividuntur vestimenta, alijs aliud in sortem defertur.* Præterea verba Marci nō possunt in alium sensum trahi, *sortem mittentes super eis, quis quid tolleret;* ergo nemo illorum aliquid tulit sine sorte: & consonant cæteri Euangelistæ. Matt. *Diviserunt vestimenta eius, sortem mittentes.* Lucas, *dividentes vero vestimenta eius miserunt sortes.* Quare ad verba Dauidis, & Ioannis respondeatur eos singulariter loqui, quoniam tunica non est in partes diuisa, sicut cæteræ vestes, sed tantummodo per sortem adiudicata est possessori. Quod autem Caietanus ait, in quatuor illis partibus fuisse tunicam, & ratione eius missam esse sortem super omnes vestes, non potest conuenire verbis Ioan. quandoquidem manifestè dicit factas esse quatuor partes ex vestibus scissis vnicuique militi suam, & post addit, & tunicā, docens manifestè tunicā extra partes illas remansisse, & propterea dixerūt, *sorriamur de illa cuius sit:* atque ita omnes loquuntur; si enim scriptum sit, lego per quatuor vestes, & tunicam, omnes intelligent tunicam in illis quatuor vestibus nō numerari. De huius diuisionis mysterio sciendum est vestes in quatuor partes diuisas significare quatuor mundi partes, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, in quas partes diuisa & diffusa est Ecclesia: at tunica inconsutilis significat Ecclesiae unitatem, quæ diuidi non potest, vt latè ostendit Arg. tract. 118. & Cyprianus lib. de singularit. Cleric. & est communis sanctorum, atque Doctorum allegoria. Cyrillus lib. 11. c. 31. aliam affert: *Indumentum Verbi est eius caro, quæ in Eucharistia diuiditur in quatuor partes orbis, animas, & corpora omnium sanctificans, & tamen impartibiliter, atque integrè in omnibus est Christus, cum unus ubique sit, & nullo modo diuidi queat.* Cuius rei figuram adiecit ex Exod. 12. vbi agnus comedii iubebatur non per singula capita, sed per singulas domos, & ita quodammodo diuidebatur. Sed tamen unus agnus non poterat comedii, nisi in domo una, nec foras licebat quidquam extrahere, & ita quodammodo integer atque indiuisus manebat. Euthymius in Matth. dicit traditionem Patrum esse istam tunicam fuisse à Beatissima Virgine contextam, atque ita non incommodam hinc allegoriam, id quod Dei filius ex matre desumpsit, id est, corpus desuper fuisse contextum, id est, à cælo coaptatam sibi habuisse diuinitatem, vel desuper contextum fuisse, virtute Spiritus sancti formatum, non humano semine. Quæritur autem modò cuius generis essent vestes istæ, & quomodo tunica à vestimentis differret. Tunica ab Euangelista dicitur χιτών, vestimentum vero ιωάτιον Græcè, & eadem vocabula sunt Matth. 5. Et ei qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium; quo loco Euthymius dicit, pallium, id est, ιωάτιον, esse, quod super alias vestes gestamus; tunicam vero, quam gestamus interiùs. Theophylactus vero ibidem adhuc magis explicat, tunicam, siue χιτώνα, esse, quam subculam, siue indusum vocamus. Quare Euthymius Matth. 27. docens Dominum tres vestes habuisse, dicit tunicam inconsutilem fuisse corpori applicatam,

Mysterium
diuisionis
vestium.

Cuius ge-
neru füe-
rint vesti-
ments Do-
mini.

in

in modum subuculæ : alterum vestimentum esse quod super tunicam gerebat ; tertium verò operimentum exterius. ita Euthymius : sed cùm legamus c. 3. *surgit à cena, & ponit vestimenta sua*, & paulo pòst, *cum accepisset iterum vestimenta sua*. Quia non dicit vestimentum , sed vestimenta , videtur plures vester habuisse , id est , tres , præter tunicam inconsutilem , sive subuculam ; nam , & ibidem ait Euthymius , ponit vestimenta sua , non omnia , sed exteriorem amictum , aut etiam indumentum , quod vester illi exteriori adhærebat , quo succinctior esset ad id quod facere parabat . Ex hac communi Græcorum sententia , qui χιτώνα , sicut & Latini tunicam , interiorem vestem esse consentunt , iudiciorū verò , exteriorem , colligimus comparatione tunicæ reliquas vester vocari ιμάτια , tunicam autem ita internam esse , vt aut subucula sit hoc loco , aut certè proximæ vestis subuculæ : vtra enim harum sit , nequit ex sanctis colligi ; neque ex Evangelistis , neque ex verbis Psal. 21. nam in eo tam in Hebræo , quam in Græco , quam in Latina translatione , sive quæ ex Hebræo facta est à Hieron. quæ ex Græco , utroque loco vocabulo omnibus vestibus communia ponuntur , & idem significantia , sed neque ex aliis Scripturæ sanctæ locis satis potest intelligi : nam aliquando subuculam significat , vt Ioh. 21. *Tunica succinxit se , erat enim nudus*. Et Genes. 3. fecit Dominus Adam , & exori eius tunicas pelliceras . Aliquando vestem , quæ est super subuculam , significat , vt Genes. 37. *Fecitque ei tunicam polymitam* , quam tunicam L X X. vocarunt χιτώνα , Moyses verò Hebraicè ρωπόν chetoneth , summus etiam sacerdos habebat vestem intimam lineam , quæ dicitur tunica linea stricta , & super hanc aliam tunicam laneam hyacinthini coloris , vt videmus Exod. 28. & utramque harum , tunicam etiam vocat Ioseph. 3. Antiquitatum cap. 8. Quòd si diuinare licet , verisimile est , hanc tunicam inconsutilem Domini fuisse laneam , quam inducebat super alteram lineam : nam , & tunica exterior summi sacerdotis (quem certum est typum Christi gessisse) erat inconsutilis , vt intelligimus ex Exod. 28. Erat autem ista vestis sacerdotis ex omni parte clausa , præter capitum , quo inducebatur caput , & foramina iuxta humeros , qua brachia exerebantur , & paulo brevior tunica linea : potest autem hinc sumi aliqualis coniectura ad vester Domini , & propter typum summi sacerdotis , & quoniam probabile est vester sacerdotum induci solitas quasi loco vestium communium , & ad earum similitudinem , vt modò fit in Ecclesia . Quòd si quis querat quomodo Dominus plures vester habuerit , cùm dixerit Apostolis Matth. 10. *Non peram in via , neque duas tunicas , neque calciamenta*. Respondet Euthymius loco citato , quem sequitur Iansenius cap. 143. Dominum non prohibuisse plures vester , sed plures vnius generis , vt duas tunicas , duo pallia , &c. & ita ipse non habuit nisi vnam tunicam . Et rectè sane respondent , quoniam tunc mittebat Apostolos ad prædicandum breui tempore à se absfuturos , sicut ait , *Non consummabitis ciuitates Israël , donec filius hominis veniat* ; ideo nollebat eos ferre vester mutatorias ,

mutatorias, nec calcamenta mutatoria, ut experirentur diuinam prouidentiam, & viderent sibi necessaria non deesse. Similiter cum dicit Lucas 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, non præcipit una tantum ueste indui, sed prohibet superfluas retineri.*

Verum antequam hinc recedamus pauca quædam tractanda sunt, primum de loco crucis, secundò de eius figura, tertio quomodo crucifixus est Dominus, quartò utrum tribus clavis, an quatuor; quintò an omnino nudus: sextò an cum spinea corona.

De primo sciendum montem Caluariæ distare mille passibus à domo Pilati, habereque altitudinem viginti cubitorum, ad quem cum cruce egressus est Dominus per portam, quæ usque in hodiernum diem dicitur porta Damasci, eratque ad Septentrionem, per eam enim exibant euntes Damascum. Ita inquit Suarez in Marcum: Crux posita est in loco huius montis editissimo, in magna quadam & vasta rupe, cuius bona pars postea excisa est versus Occasum sexta spitham a foramine crucis à sancta Helena Constantini Imperatoris matre, ut edificaretur Ecclesia sancti sepulchri. locus enim crucis & locus sepulchri nunc in eodem templo sunt; siquidem iuxta Ioannem erat proximus cruci locus sepulchri, scilicet ad 57. passus versus Occasum: in cuius spatij medio est locus signatus, in quo Dominus de cruce sublatus uetus est ad sepulturam, ibi ardent septem lucernæ: in hac rupe cernitur hodie foramen, in quo posita fuit crux argento inaurato, circumcirca coopertum, reliqua enim rupes mar more tegitur: ad sinistram foraminis versus Orientem ad quinque spithamas ostenditur in eadem rupe fissura valde profunda, longitudinis septem spithamarum, latitudinis duarum, tunc facta cum petra scissæ sunt in Passione. Ad utrumque latus crucis, ad quorum cornua sunt duæ columnæ, in memoriam duorum latronum; distat autem utrumque à cruce sex spithamis, ut se vidisse, &c., nomen fuisse testatur Episcopus Conimbricensis in Marcum. Hæc ex Aranda lib. de terra sancta tractatu primo, cap. 16. De hac fissura rupi Lucianus Martyr coram Præside loquens, & fidei suæ rationem reddens, ut refert Eusebius lib. 9. histor. Ecclesiast. cap. 6. ita dixit, adstipulatur his, ipse in Hierosolymis locus, & Golgothana rupes sub patibili onere disrupta.

Circa secundum tantum queritur, an habuerit crux Domini super lignum transuersum lignum sursum eminens, & an eiusdem figuræ fuerint crucis latronum. Respondetur habuisse sine dubio illud lignum superius, alioqui non potuisset bene tabula affigi, in qua scriptus erat titulus. Probatur etiam ex autoritate sanctorum: Hieronymus in Marcum docet quatuor partes crucis significare quatuor mundi partes, lignum superius significat Orientem, dexterum significat Septentrionem, sinistrum Meridiem, imum verò Occidentem: quod eleganter Sedulius presbyter expressit lib. 5. paschal. his versibus:

Ribera in Euang. Ioan.

NNN

Quatuor

Locus Crucis.

Figura Crucis.

Quatuor inde plagas quadrati colligit Orbis.
 Splendidus auctor de vertice fulget Eos.
 Occiduo sacre labuntur sydere planta.
 Arton dextra tenet, medium lana erigit axem,
 Cunctaque de membris vinit natura creantis,
 Et cruce complexum Christus regit undique mundum.

Idem docet, atque eisdem versibus adductis, & collaudatis, Beda in Lucam, & Hieronymus loco citato ad eadem Sedulij verba allusit, ex quo patet librum illum Hieronymi non esse, qui multo antiquior fuit Sedulij, nisi quis dicat Sedulium potius verba Hieronymi mutuatum fuisse; eadem est Augustini sententia epist. 120. cap. 25. & 26. vbi expounit illa verba Apostoli Ephes. 3. Quæ sit latitudo, & longitudo, & profundum, &c. quæ ostendi dicit in cruce Christi: nam latitudo, quæ bona opera significat, est in eo ligno quod transuersum desuper figitur, ibi enim extenduntur manus in utramque partem, in dextram, & in sinistram, id est, in amicos, & inimicos: longitudo est in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est, ibi enim quodammodo statut, id est, persistit, & perseveratur, quod longanimitati & patientiæ tribuitur: altitudo est in ea ligni parte, quæ ab eo, quod transuersum figitur, sursum versus relinquitur, id est, ad caput crucifixi, in quo significatur spes bonorum cœlestium, quæ nos mouere debet ad omnia facienda, & perferenda. Profundum est illud ex ligno, quod non appetet, sed fixum in terra occultatur, quod significat profunditatem gratiæ Dei; non enim potest homo peruestigare, cur hunc trahat, illum non trahat. Hoc breuiter repetit ibidem c. 36. & eodem modo explicat epist. 112. cap. 13. & lib. 2. de doctrina Christiana cap. 41. & tract. 118. in Ioan. Ita etiam Rufinus in expositione symboli, & Hieronymus loco citato in Marcum, & Beda in Lucam, & in Ioannem, eandem expositionem subindicat Cyprianus in fine sermonis de passione Christi. Probatur etiam, quoniam Petrus in crucem crucis Dominicæ similem sublatus est, sed capite in terram verso, quoniam noluit sicut magister suis crucifigi, quemadmodum scribit Hieron. de scriptoribus Eccles. August. serm. 4. in festo Petri, & Pauli: Prudentius in lib. *tegisseq; arv;* id est, de coronis, in eleganti hymno istorū Apostolorum, & denique omnes Sancti qui de passione Petri loquuntur: crux autem versa non posset in terrā infigi, nisi lignum illud superius haberet. eiusdem autem formæ fuisse crucis latronum, non est dubium. Primi, quoniam Iudei voluerunt Christum quasi latronem reputari, & ut supplicium fuit; idem & locus, ita etiam patibulum eiusdem formæ fecit. Secundi, quoniam cum crux Domini inventa est simul cum crucibus latronum, & titulus eiusdem crucis seorsum, non poterant S. Helena & Christiani omnes qui aderant dignoscere eam, in qua Dominus passus est; si autem ceteræ non haberent lignum illud superius, facillimū cognitu essent. Ita refert Rufinus lib. 1. hist. eccles. ex duobus quos historiæ Eusebij addidit, & Socrates lib. 1.

hist. eccl. c. 17. & Theodoretus lib. 1. hist. Eccles. c. 18. immo ita similes erant cruces, ut dicat Rufinus, *Sed obturbabat reperti munera letitiam, uniusquisque crucis indiscreta proprietas.* Ex quo etiam intelligimus ex eadem materia omnes fuisse.

Circa tertium queritur, quomodo crucifixus sit Dominus, vtrum prius cruce in terra iacente confixus, & deinde cum cruce erectus, & portatus ad locū, vbi cum latronibus pependit, an defixa cruce in rupe admotis scalis. Qui Hierosolymā, & loca illa sancta viderunt, constanter asserunt primo modo fuisse crucifixum, extareque nunc locum ipsum crucifixionis quatuor passibus à loco crucis. ita ait Episcopus Conimbric. tract. 270. in Lucam. idem scribit Aranda loco citato tract. 1. c. 16. quindecimque pedibus distare dicit à foramine crucis, itaque pes crucis extensæ tangebat ipsū foramen in quo posita est, ibi etiam dicit extare altare fratrum Minorum cum duodecim lucernis semper ardentibus. Idē de loco crucifixionis sensit Medina lib. de terra sancta. Non desunt tamen ex his qui loca ipsa viderunt, qui negent ita fuisse crucifixū, sed 2. modo, atque hoc magis placuit Bonau. in lib. meditationū vitæ Christi c. 78. & Ludolpho Garthusiano in vita Christi 2. p. c. 63. atque hoc mihi magis placet, quoniā ita asserit sub persona Beatissimæ Virginis B. Brigida lib. 1. suarum revelationum c. 10. Quod autem dici solet corpus Domini in cruce fuisse multum distentū, ut manus, & pedes foramina in cruce facta pertingerent, videtur apertè colligi ex verbis Psal. 21. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia ossa mea.* Vbi exponit Hier. vt iam diximus, *distenta confixerunt ossa mea in cruce, ita ut facile numerari possent.* codem modo exponit ibi Euthym. & Aug. ait: *Non potuit melius extensio corporis in ligno describi, quam ut diceret, Dinumerauerunt omnia ossa mea.* Idem etiam significant verba illa eiusdem Psal. Dispersa sunt omnia ossa mea, id est, quodammodo locis suis emota iētibus verberū, & extensione corporis in cruce. Idem affirms Bonaventura loco citato ex verbis Psal. adductis & S. Brigida loco citato ait: *Rapuerunt eum seu tortores, & extenderunt in cruce, primò dexteram manum eius affigentes stipiti, qui pro clavis perforatus erat, & manum ipsam ex ea parte perforabant, qua os solidius erat: inde trahentes eum fune, aliam manum eius ad stipitem simili modo affixerunt.*

Illud etiam est valde memorabile quod affirms Aranda loco citato, Dominum in cruce terga ad Ciuitatem vertisse, faciem autem ad Occidentem, quod signum apertum fuit reprobationis Iudeorum, & fidei in Occidentali Ecclesia, quæ Romana est, semper mansuræ. idem scribit Medina lib. de terra sancta, testaturque id constare in situ vbi Beatissima Virgo stetit ad crucem, & ex figura crucifixi, quæ ibi est, & ex traditione Christianorum illius loci, & probatur apertè ex verbis Hieronymi, & Sedulij, & Bedæ, adductis in secunda dubitatione; si enim Dominus ad dexteram habebat Septentrionem, ut isti Patres dicunt, necesse est habuisse Orientem à tergo.

Numerus
clauorum.

Circa quartum de numero clauorum multi existimant fuisse tantum tres, ut Suarez tract. 270. in Lucam, atque horum unum dicit Romæ seruati, & à se vixum esse in Cœnobia sanctæ Crucis, qui erat digito longior, crassius, & quadratus: & hoc verum esse appetet hodie in foramine sanctæ Crucis quæ seruatur in Monasterio S. Turibij in Lcuania. Secundum esse dicit modò penes Regem Gallorum. Tertium ad magnam tempestatem sedandam coniectum esse à Constantino Imperatore redeunte ex Hierusalem in pelagus, quod hodie nautæ appellant fatalia: quo in loco cum ipso Episcopo similiter ex Hierusalem redeunte oborta esset tempestas, nautæ inserunt illum bono animo esse, affirmantes ex quo tempore clavum coniecit Constantinus, multas naues fuisse ibi periclitatas, sed nullam demersam. Tres etiam fuisse scribit Ludolphus in secunda parte vitæ Christi c. 63. & Bonaventura in meditationibus vitæ Christi cap. 78. huic sententiae adstipulatur historia Inventionis Crucis, quæ legebatur in Breuiario Romano trium lectionum, quam Episcopus iste secutus videtur. Sed nescio an possit hoc ex Ecclesiasticis historiis probari; verum enim est Helenam cruce inuenta clavos Constantino filio dedisse, sed illa historia tradit, Constantinū unum posuisse in summitate Galeæ, alterū in fræno equi, tertium in mare misisse, ad tempestatem sedandam: atque hoc ultimum unde colligatur ignoro, nam Socrates i. Hist. Eccles. c. 17. tantum meminit clauorum manuum, quos Constantinus in fræna, & galeam mutavit, & Sozomenus lib. 2. hist. Eccles. c. 1. tantum de duobus clavis loquitur. Similiter Nicephorus lib. 8. hist. Eccles. c. 29. & Ambrosius in oratione de obitu Theodosij Imperatoris versus finem, ubi eandem historiā narrat. Sed nihilominus quatuor fuisse clavos, probatur ex Rufino lib. 1. hist. Eccles. cap. 8. ubi quatuor videatur ponere à S. Helena inventos: ait enim, *clavos quoque, quibus corpus Domini cum fuerat affixum, portat ad filium, ex quibus ille frænos composuit, quibus vteretur ad bellum. ex aliis galeam nihilominus belli visibus aptam fertur armasse.* Eodem modo scribit Theodoretus lib. 1. hist. Eccles. cap. 18. *Clavorum, inquit, alios galea regia inseruit, qui praesidio essent capiti filij sui; alios frenis equestribus coniunxit & Regi protectionem parans, & priscum Zachariæ vaticinium implens, & quod in frænis fuerit, sanctum erit Domino omnipotenti.* Nos habemus in nostra translatione, *In die illa erit, quod super frænum equi est, sanctum Domino, Zach. vlt.* eodem modo interpretantur hæc verba Zachariæ Sozomenus, & Nicephorus, & Ambrosius locis citatis; quamvis Hieronymus in commentariis hanc interpretationem pio quidem sensu dictam, sed ridiculam esse scribit. Hanc sententiam de quatuor clavis veriorem esse arbitror, & propter hos authores, & propter reuelationem B. Brigidae lib. 1. c. 10. testatur enim ex persona Beatissimæ Virginis pedes Domini duobus clavis affixos esse, dextrum uno, & sinistrum altero, super dextrum testantur hoc vestigiæ quædam crucifixi Christi imagines & statuæ: sed hoc habent vitij quod non habent pedem unum alteri impositum.

Ad

Ad quintum mihi haec tenus non poterat persuadere Dominum totum corpore fuisse nudum, quoniam ea tantum patiebatur, quæ ipse vollebat, & quæ Pater decreuerat: videbatur autem hæc nuditas naturali honestati aduersari. Sed iam cedendum arbitror authoritati eorum, qui penitus nudum fuisse dicunt, ex quibus est Ludolphus c. 63. citato, & Bonaventura loco citato, ybi ait Virginem velo capitinis sui filium texisse, immo, quod magis miror, aperte hoc docet Ambrosius in Lucam, his verbis, *Tegumenta deposituit, & talis ascendit, quales nos, auctore Deo, natura formauit: talis in paradiſo homo primus habitauerat, talis ad paradiſum homo secundus intravit.* & D. Anselmus in dial. de passione Domini. Denique S. Brigida loco citato, ita dicit, *Stante autem filio meo, sicut natus erat, nudo corpore, unus tunc accurrens appor-tauit sibi velamen, quo ipse exultans intime velabat verenda sua.* Itaque iuxta Brigidam cum crucem ascendit iam velatus erat, neque hoc tantum, sed etiam de flagellatione loquens ait: *Alligatus autem nihil omnino operimenti habebat, sed sicut natus est, ita stabant, & patiebatur erubescientiam nuditatis sua.*

*An omnino
fuerit nu-
dus.*

Ad sextum responderetur eductum esse Dominum cum cruce, & spinosa corona, & eandem in cruce habuisse: hoc potest ex Euangelio aliquo modo intelligi. cum enim dicat Matthæus, impositam illi fuisse spineam coronam, postea ait, & postquam illusserunt ei, excuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis eius, & duxerunt eum ut crucifigerent. Dicit ademptam esse chlamydem, non tamen ademptam esse coronam. Similiter loquitur Marcus Episcopus Conimbr. tract. 268. in Luc. & super Marcum ait Dominum exiisse in montem Caluariæ cum corona, & in medio spatij, quod est inter Domum Pilati, & Caluariæ, occurrisse illi mulierem piam, Veronicam nomine, atque ad os extergendum, quod propter coronam sanguine plenum erat, sudarium mundum triplicatum obtulisse, in quem facies Domini impressa est: cumque mulieribus aliis ostendisset, flevisse omnes præ misericordia, & tunc Dominum dixisse, *Filia Hierusalem, nolite flere super me,* &c. quam veritatem confirmat, & omnium Christianorum sensus, & facies Domini, quæ maximo honore seruatur & adoratur à fidelibus in Ecclesia Giennensi. & B. Brigida loco citato ait, Domino nudato ut crucifigeretur, iterum impositam esse coronam. Eius verba sunt, quo facto, aptauerunt coronam de spinis capiti eius, quæ tam vehementer reuendit filii mei caput pupigit, ut ex sanguine fluente replerentur oculi eius, obstruerentur aures, & barba tota recurrente sanguine deturparetur; & idem dicit de corona cap. 11.

*An spineam
coronam
habuerit in
cruce.*

Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius.] De hac sorore, & eius filiis, & cur dicitur Maria Cleophae, & Maria Iacobi, diximus c. 2. in illis verbis, *Mater eius, & fratres eius, &c.* Est autem notandum ex S. Brigida lib. 1. c. 10. B. Virginem affuisse cum Dominus flagellaretur, & cum ductus est in locum Caluariæ, & cum in crucem sublatus est: cæterum Matthæus alias etiam commemorat, & à longè

stetisse dicit, erant autem ibi mulieres multæ à longè, qua secutæ erant Iesum à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedei: easdem commemorat Marcus; quod autem dicit eas fuisse à longè, intelligendum est, eas prius cum matre Domini stetisse iuxta crucem; deinde è densitate turbæ se subtraxisse, & longè stetisse. Ita Augustinus tertio de consen. Euang. c. 21. & S. Thomas, & Lyra, & Iansenius: Euthymius autem inquit, tunc quidem stetisse iuxta, cùm nocte essent securitatem, sed prius à longè spectauisse. Sed sententia Augustini probabilior est, quoniam Ioannes loquitur nunc de tempore, quod præcessit mortem Domini, cæteri autem Euangelistæ loquuntur de tempore, quo iam Dominus expirauerat, & terra mora fuerit: sed hoc de cæteris mulieribus intelligendum est, nam Virgo semper ad crucem stetit. Est autem notandum verbum, stabant; indicatur enim eo non solum Beatissimæ Mariæ Virginis fides firma, sed etiam mirabilis fortitudo: quæ neque erubuit, neque timuit manere inter tam multos, tamque crueles filij sui inimicos, quamuis eius mater esse cognosceretur: & ideo cùm multi ex discipulis metu conciderent, ipsa stabili fortitudine stabat, præterea dolore cruciabatur vehementissimo, impleta enim erat Simeonis prophetia, tuam ipsius animam pertransibit gladius, ita enim exponit: Cyrus hic, & Damascenus lib. 4. c. 15. vbi etiam ait, Dolores partus, quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum, lacerum reparturiens. Et Hieronymus sermone de assumptione B. Mariæ versus finem eodem modo explicat prophetiam Simeonis, dicisque eam fuisse plusquam Martyrem: Idem ait latè Bernardus sermone B. Mariæ de verbis Apocalypsis. & Anselmus in libello de excellentia B. Virginis c. 5. affirmat omnium Martirum dolores, aut leues, aut nihil fuisse, si conferatur cum dolore quem pertulit B. Maria; & tamen cùm ita affecta esset, nihil indecorum per dolorem gessit, aut muliebriter euilando, aut faciem, crinesve lacerando, sed corde tristitiam premiebat, & stabat, vt rectè aduertit D. Antoninus 4. parte summæ Theolog. tit. 15. c. 41 §. 1. Ex his videtur decidi illa quæstio, quæ multos mouere solet, an ponendus sit spasmus in B. Virgine, quamvis non paruam habeat difficultatem, nec loqui-

*An spasmus
poni debeat
in B. Virg.*

mur de Spasmo vt species morbi est, & contractionem, rigorēmque neruorum significat, quod propriè apud Græcos significat στασις: sed vt à vulgo accipitur, cùm quis amissu sensu præ dolore corruit. Dico autem non habere paruam difficultatem primò, quoniam Aranda tract. 1. c. 14. & Medina in eodem lib. de terra sancta affirmant in via Caluariæ templum esse iam dirutum, quod nunc est stabulum equorum Turcarum, diciturque sancta Maria de spasio, quod ibi corruerit exanimata Virgo, videns filium suum in cruce in via illa, quæ vulgo amaritudinis dicitur. Secundò, quod Cajetanus in opusculo de spasio Virginis Mariæ in fine secundi tomii opusculorum refert, celebratam esse festiuitatem Spasmi Virginis cum Octaua, &

qui

qui celebrabant petierunt à summo Pontifice Indulgentias. Tertiò, quod autores Catholici non pauci videntur hunc Spasnum ponere. Dyonis. Carthullus per hæc verba inquit vim doloris omnino absorbum esse anima eius. & Ludolphus in 2. parte vitæ Christi. c. 64. illum ponit, & Bonaventura in meditationibus vitæ Christi c. 77. dicit semimortua facta est præ angustia, & c. 79. idem dicit, & c. 80. semimortua cecidit inter brachia Magdalene. Anselmus in dialogo de passione Domini, versus finem, ita ait in persona B. Virginis: *Nudauerunt Iesum unicum filium meum totaliter vestibus suis, & Ego exanimis facta fui.* Bernardus in tract. de lamentationibus Virginis Marie ex eius persona inquit: *Defecit spiritus meus, & non erat ferè mihi sensus, neque vox, aut sonus.* & postea, iuxta crucem Christi stabat emorta mater, vox illi non erat, quia dolore attrita pallens tacet, quasi mortua vivens, vivet moriens, moriebatur vivens. & postea, pre doloris vehementia, & amoris immensitate quasi exanimis facta fuit. Sed multo apertioribus, & significantioribus verbis ponitur à B. Brigida lib. 1. c. 10. non semel, sed bis, aut ter. Ex parte alia videatur oppositum esse probabilius. Primi propter dignitatem Virginis, quam mentis alienationem pati non decebat. Secundi, quoniam yetustiores sancti dolorem Virginis exaggerantes nihil tales ponunt. Tertiò propter rationem quæ aperte videtur probare hoc, est autem huiusmodi; licet dolor esset vehementior, quam ut verbis à quoquam posset explicari, tamen ex altera parte ardenterissimus amor gloriae Dei, qui erat in Virgine, per quem volebat, & optabat semper id fieri, quod esset in maiorem Dei gloriam, etiam cum suo maximo dolore, & præterea charitas in genus humanum, & desiderium salutis omnium, pro qua ipsa libenter pertulisset, tum fides certa resurrectionis, magnopere inhibebant, & temperabant vim doloris, adeo ut Anselmus citatus ab Antonino, loco indicato, non dubiter affirmare, eam ita conformem fuisse diuinæ voluntati, & ita uidam salutis hominum, ut si atius non esset, qui filium in crucem tolleret, ipsa tolleret. Neque enim minorem fuisse Abraham, qui filium suum immolare voluit. Caietanus opusculo citato probat hanc partem, sed admodum tenui. Sed tamen hæc ratio, quæ modò adducta est cum aliis, me vehementer mouet, ut ita esse existimem. At quoniam sancti, quorum verba indicauimus, aliter censem, expectandum censeo Ecclesia iudicium.

Discipulum adstantem quem diligebat.] De hoc diximus breuiter c. 13. in illis verbis, *Erat autem unus recumbens.* vide S. Thomam 1. parte, quæstione 20. a. 4. ad 3.

Mulier ecce filius tuus.] Cur mulierem vocet, diximus c. 2. in illis verbis, *Quid mihi, & tibi est mulier,* &c. Augustinus tractat. 119. dicit hanc esse horam illam, de qua dixerat Ioannis 2. Mater, *Nondum venit hora mea;* tunc opera diuinitatis ostensurus secundum

naturam qua ex matre non erat, non agnouit matrem; nunc humana patiens secundum naturam quam ex matre assumpserat, eam discipulo affectu commendat humano: sed de hoc diximus loco citato. Addit Augustinus. *Moralis* igitur insinuatur locus, facit quod faciendum admonet, & exemplo suo, suos ministros instruxit preceptor bonus, ut à filiis piis impendatur cura parentibus, tanquam lignum illud, ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit. *Magistri docentis*. Ex hac fana doctrina dicerat Paulus quod docebat, quando dicebat, *Si quis suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* 1. *Timothi*, 5. eandem doctrinam hic tradi admonent *Cyrillus*, & *Chrysostomus homil.* 84. & *Theophylactus*, & *Euthymius*, *Chrysostomus* ibi ita ait, *Vt enim cum spiritualia impediunt parentes, ne cognoscendi quidem sunt; ita cum nihil impediunt, merito omnia his sunt tribuenda, & omnibus preferendi, quod generint, quod educaverint, quod innumeritas pro ipsis molestias subierint.*

Ecce mater tua. Esto illi ut filius, & pro me omnia illi pietatis officia exhibe.

Et ex illa hora accepit illum discipulus in sua.] Ita legendum esse, non in suam, vt legit vulgus cum Lyra, apertissimum est ex Græco, & ex Græcis authoribus, est enim in Græco *in tā idia*, id est, *in propria*, patet etiam ex Augustino tract. 119. quem sequuntur *Rupertus*, *S. Thomas*, & alij., & ex Ambroso in exhortatione ad *Virgines*, paulo ante medium, ybi similiter querit, vt Augustinus, *Quid est, in sua: cum reliquerit Patrem, & Christum sequutus su: aut quomodo in sua, cum ipsi Apostoli dixerint: Ecce nos reliquimus omnia, &c. Quid sit autem in sua, exposuimus, c. 16. in fine, in illis verbis, vt differgamini unusquisque in propria. & c. i. In propria venit. Est igitur in propria, vel in sua, vt ipse solus eam haberet, solus cum ea viueret, & ei ministraret. Et hoc mihi videtur significare Augustinus cum ait, *suscepit eam in sua, non prædia, que nulla habebat propria, sed officia, que propria dispensatione exequenda curabat.* Ex his patet iam mortuum fuisse sanctum Iosephum, alioqui non erat, cur alteri commendaretur, nec mirum est fuisse mortuum, cum ageret annum octogesimum, cum ei desponsata est Beataissima Virgo, vt tradit *Epiphanius lib. 2.* in hæresi eorum qui negant Euangeliū Ioan. & lib. 3. in hæresi *Antidicomianorum*.*

Sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt.] Augustinus tract. 119. Omnia consummata sunt, scilicet quæ in vita passurus erat à Iudeis, præter sumptionem aceti, & ideo ne vnum illud maneret inexpletum, dixit, sitio, re enim vera sitiebat ex labore crucis, & multa sanguinis effusione: hoc autem dixit vt impletetur illud Psal. 68. *In siti mea potauerunt me aceto.* Augustinus: Sitio, inquit, hoc minus fecisti; date quod estis. Iudei quippe ipsi erant acetum, degenerantes à vino Patriarcharum, &c.

Cur acetū datum. *Vas ergo positum erat aceto plenum.*] Quod scilicet milites attulerant vt crucifixis daretur, quo celerius morerentur, & ita ipsi non morerentur

rentur in eorum corporibus custodiendis; traditur enim acetum propter suam penetrabilitatem hanc habere vim, ut vulneratis acceleret mortem. ita Lyra, quem sequuntur Caietanus, & Iansenius c. 143. &c confirmatur ex eo quod narrat Plutarchus in vita Marci Antonij prope finem, eum cum vulneratus esset, vinum petuisse à Cleopatra, siue quodd sitiebat, siue ut celerius dissolueretur, acetum autem adhuc magis penetrat quam vinum. Sed mihi multo probabilius est, milites non eam ob causam dedisse acetum, sed ut potum petenti illuderent, aperte enim ait Lucas, *illudebant autem ei, & milites accedentes, & acetum offerentes ei*, &c. Sed queritur hic primum quomodo in hac re concilietur Ioannes cum ceteris Evangelistis. Matthæus enim ait, *& dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, & cum gustasset, noluit bibere.* Respondetur Lyranum in hac re non parum aberrasse, videtur enim & hic, & in Matth. existimare eandem esse potionem, de qua isti Evangelista loquuntur, cum sint manifestè duæ. Prima fuit vini cum felle antequam crucifigeretur, ait enim Matthæus, *& venerunt in locum qui dicitur Golgotha; & dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum, &c.* & statim sequitur, *postquam autem crucifixerunt eum.* acetum autem datum est cum iam ferè omnia erant consummata, & illud erat vinum, licet multi codices Græci habeant *acetum*, sed mendoſi sunt. Marcus enim ait *vinum*, & ita habent nostri codices: hoc autem erat acetum, & illud datum est, ut idem Lyranus ait in Matthæum, vt facilius toleraretur passio, solebat enim damnatis vinum myrratum dari, ut eorum sensus consopirentur, & minùs sentirent doloris acerbitatem: ut enim refert ibidem Lyranus, Scriptum est in quodam Hebraeorum libro, qui apud eos dicitur, Liber iudicium ordinariorum, seniores Iudæorum statuisse ut damnatis vinum aromaticum daretur, ut melius ferrent passionem, quod faciebant propter verbum illud Prouer. vltimo. *Date siceram mærentibus, & vinum iis, qui amaro sunt animo, bibant, & obliuiscantur egestatis sua, & laboris sui non recordentur amplius.* Sed Iudæi quoniam non poterant non dare, ne traditiones seniorum transgredi viderentur, dederunt quidem vinum myrratum, ut ait Marcus, sed simul miscuerunt, ut ait Matth. Sed Christus cum gustasset, noluit bibere, quia nolebat sensuum vivacitate priuari ad passionem preferendam, & simul indicans, ut ait Hieronymus apud Matth. quod gustatus erat mortis amaritudinem, sed statim erat resurrecturus. Marcus autem dixit, *& non accepit*, id est, non bibit, quamuis degustauerit de hac re, ut & de aliis ad passionē pertinentibus. Extat apertum Sibyllæ vaticinium, Iudæam increpantis apud Lactantium lib. 4. c. 18. cuius haec est sententia: Tu autem stulta tuum Deum non cognouisti, Iudentem mortalibus cogitationibus, sed Spinis coronaſti, horrendumque fel miscuisti Denique idem Matt. commemorat prius potionem vini cum felle mixti, & postea potionem aceti. Secundo queritur

tur an impleta fuerit prior pars versiculi eiusdem. Psal.68. & dederunt
in escam meam fel. non enim legimus comedisse Christum in cruce, nec
dixisse, *esario*, sicut dixit, *sitio*: quod autem ait Matthæus, *sed deerunt ei vinum cum felle mixtum*, non ad escam pertinet, sed ad potum. Respondetur hanc priorem versiculi partem, & dederunt *in escam meam fel*, impletam esse in illa prima potionē, quæ est apud Matthæum, & Marcum, ut indicat Hieronymus Matth.27. & Psal.68. & Euthymius in eisdem locis posterior pars, & *in siti mea potauerunt me aceto*, impleta est, cùm dixit, *sitio*, ei datum est acetum, ut perspicuè docet Ioan. de hac enim Scriptura loquitur, cùm dicit, *ut consummaretur scriptura*, *dicit*, *sitio*: quomodo autem in escam datum sit fel, cùm Euangelistæ dicant datum esse in potum, ita soluit Euthymius Ps.68. dicere possumus Iudæorum illudentium, alios acetum in potum dedisse, alios fel ad manducandum, alios vtrumque miscuisse: verisimile est etiam quod Iudæi ad maiorem irrationem Christo potius fel porrexerint, ut comedereret, ne insuavis fortasse fieret potus si iejunus adhuc potum sumpsisset. Super Matthæum verò ait: *Arbitror fragmenta aridi fellis in aceto emollita fuisse*, ut acetum quidem loco vini esset, illa verò fragmenta pro buccella panis, & præcipue sanè potum dederunt, consecutiue verò etiam cibum, iis enim, qui animo destituantur, vinum præbere solemus, inieicto pane, ut primū bibentes, postmodum etiam possint edere: quod si non ita intellexerimus, non inueniemus alibi esse datum fel in cibum. Hæc Euthymius quæ mihi valde probantur, num quod statim subindicat, nisi quis anagogicè fel sumat pro amaritudine, quam ei quotidie pro cibo dabant, ad itam eum prouocantes (quomodo etiam capit Augustinus in Psalm. 68.) minus probabile videtur, non est enim cur acetum propriè sumatur fel autem metaphoricè. ita etiam intelligit Laetantius lib.4. de vera Sapient. c.18. De cibo verò & potu, quem antequam eum cruciferent ei obtulerunt, David Psal.68. sic ait, *Et dederunt in escam meam &c.* Idem hoc futurum etiam Sibylla concionata est, & refert statim duo eius carmina, quorum sensus est, In cibum autem fel, & in sitiū acetum dederunt, in hospitalitatis hanc ostendent mensam.

Illi autem spongiam plenam aceto hyssopo circumponentes.] Quoniam propter crucis altitudinem non poterat ē vase potus præberi, spongia parata erat, vt si quis pendentium potum desideraret, oblata spongia exugere possit. Sed videtur hic Ioannes aduersari Matthæo & Marco, qui aiunt, *Currens unus ex eis, acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere.* Ioannes autem non dicit spongiam impositam esse arundini, sed hyssopo. Ianuenius c.143. securus alteram ex Theophylacti solutionibus, quam etiam sequuntur S.Thomas, & Euthymius, existimat arundinem illam fuisse hyssopi, nam verisimile ait esse hyssopi calatum in illis regionibus altiore esse, & fortior, quam apud nos. Cyrillus existimat alios arundine, alios ligno hyssopi potum obtulisse. Sed neutra responsio videtur posse sustineri, quoniam hyssopus non est arbor, sed herba humilis, vt ait Aug. tract.119. & patet

ex Dioscride lib. 3. c. 28. Et ex Plinio lib. 26. Quare nullo modo apta esse poterat, vt ei spongia imponeretur, etiam in Hierusalem. quod satis patet ex 3. Reg. 4. *Et disputauit super lignis à cedro, qua est in Libano, usque ad hyssopum, qua egreditur de pariete, id est, à maxima arbore, usque ad minimam, & vilissimam herbam.* Caïetanus ait, in arundine spongiam fuisse circumligatam hyssopo, idque mihi probabilissimum est, vt eum non haberent ad manum, quo spongiam circumligarent, herbam illam sumerent, ex fissura fortasse aliqua illius rupis egredientem: atque id indicat Ioannes, cum dicit, *spongiam hyssopo circumponentes.* Possumus etiam dicere in summitate arundinis circum spongiam positam esse hyssopum, vt aut acetum fortassis amarus redderetur, aut, vt potus ille situm potius augeret, quam sedaret, quoniam hyssopus, calida ita in tertio gradu est, & sicca eodem gradu, vt scribit Macer in lib. de herbis.

Consummatum est.] Id est, finita sunt omnia quæ de me dicta fuerant, & quæ pro hominibus passurus eram, quasi dicat, non est iam quod amplius viuam vitam istam mortalem. S. Thomas tertia parte, questione 47. art. 2. ad primam.

Et inclinato capite.] Quæ figura moriētiū est. Vnde præclarè Ouidius:

Sic corpus moriens iacer, & defecta vigore

Ipsa sibi est oneri ceruix, humeroque recumbit.

Tradidit spiritum.] Dicendo, vt habetur in Luca, *Pater in manus tuas commendō spiritum meum.* tanquam depositum quod citò resumpturus sum. & eandem vim habet verbum tradidit; Aliud etiam connotat hoc verbum, quasi dicat, tenuit spiritum suum, quamdiu voluit, & opus fuit sed vt consummavit omnia quæ facienda erant, emisit & tradidit Patri: vnde, quemadmodum tradunt alij Euangelistæ, spiratus clamauit voce magna, scilicet, *in manus tuas,* &c. quo clamore ostendit, vt ait Cypr. lib. de duplice Martyrio, & cōmuniter in his verbis DD. se potuisse diutius viuere, & sponte sua mori: quare Pilatus mirabatur quod iā obiisset, alij enim qui moriūt lassī sunt, & debiles, clamare possūt.

Iudei ergo quoniā Parasceue erat.] Præceptū erat Deut. 21. vt cadauera suspenſorum in patibulo eadem die deponerentur, & sepelirentur, quod tunc citius faciendum fuit, quoniam dies sequens erat sabbatū, in quo minus facere licebat, quam in cæteris festis, & præter solemnitatem propriā sabbati habebant alterā, quod erat secunda dies azymotū, & ideo dicitur, erat enim magnus dies ille sabbati, de his vide supra, c. 13. & in 2. quæſt. Ex quibus patet non solum depositum esse Christū de cruce, sed etiam sepultum antequam sol occideret, id est, antequam sabbatum inciperet, quod incipiebat à vespere sextæ feriæ, Lucæ 23. & posuerunt eum in monumento, &c. & dies erat Parasceue, & sabbatum illufcebat, id est, iam proximum erat: hac ratione sepultus est in monumēto proximo loco crucis, sicut ait Ioannes: ibi ergo propter Parasceue Iudeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum: propterea etiam sanctæ mulieres die Dominica veniebant ut vngreūt Dominum

*Quando
fuerit se-
pultus.*

quia 6. feria non potuerunt propter temporis breuitatem, & ideo redeentes parauerunt aromata, & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. Erant ergo qui putant noctis, aut tenebrarum tempore sepultum esse Dominum.

Vt frangerentur eorum crura.] Scilicet, ut citius morerentur, & debito tempore sepelirentur.

Ad Iesum autem cum venissent.] Vnus miles à dextera incepit, alter à sinistra, & ita venerunt ad Iesum.

Vnus militum lancea latus eius aperuit.] Hic videtur dubitasse an mortuus esset omnino Dominus, & experiendi gratia, lancea latus aperuit, Hæresis
Petri Ioann-
nae coniuncta. vt ait Cyrillus. ex quo conuincitur hæresis Petri Ioannis damnata in Clement. vnicā, de summa Trinitate, qui imprudenter asseuerabat eo tempore non fuisse Dominum mortuum, quasi hæc Ioannes dixisset recapitulationem. Sed in illa Clementina definitum est rectum ordinem tertiatum esse ab Euangelista, & verè Christum fuisse mortuum, cùm latus eius lancea percussum est. Notandum etiam pro aperuit, Euangelistam vti verbo *vñfls*, quod significat *pungere*; sed cùm hoc verbum significet etiam *Fodere*, vt Hieronymus ipse confitetur, rectè verbum est aperuit. Chrysostomus certè si eius interpreti credimus, hæc verba exponendo aperiendi verbo vtitur.

Et continuò exiuit sanguis, & aqua.] Cyprianus lib. de dupli martyrio prope medium: *Præter naturæ cursum erat quod ex latere exanimati corporis sanguis, & aqua profluxit*, &c. sed hoc mirabilius videtur si consideremus aquam illam non fuisse humorem aliquem phlegmaticum, sed aquam veram, vt docet Innocentius tertius lib. 4. de sacro altaris mysterio. c. 31. & ab eodem definitur in c. in quadā de celebratione Missarum, in quibus significata sunt Ecclesiæ sacramenta, quorum primum est Baptismus, qui est ianua sacramentorum, & significatur in aqua: alterum est Eucharistia, quæ est consummatio omnium sacramentorum, & significatur in sanguine, ita Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, & Innocentius supra lib. 4. Vnde eleganter Chrysostomus homil. 84. *Hinc mysteria ortum habent, ut quoties ad admirandum calicem accedis tamquam ab ipso latere hauriens accedas.*

Atque ita vt ex latere Adæ dormientis ædificata est Eua, ita ex latere Christi in cruce dormientis ædificata est Ecclesia, vt ait August. tract. 120. & in Clementina citata. August. ibidem addit: *Vigilans verbo vñfls est Euægelistæ, vt non diceret, latus eius percussit, aut vulnerauit, aut quid alius, sed aperuit, vt illi quodammodo vita ostium paderetur, vnde sacramenta emanarent, hoc prænunciabat quod Noe in latere arca ostium facere iussus est, quæ intrarent animalia, quæ non erant dilunio peritura, quibus præfigurabatur Ecclesia, &c.* Gen. 6. Huius etiam rei figura præcessit in aqua, quæ tactu virgæ tracta est de petra, Num. 20. vt habetur Cap. in quadā de celebratione Missarū. Petra enim erat Christus. Huius rei causa, vt notat Theophilus aduersus Armenios, in calice aqua miscetur cū vino, quia sanguis, & aqua è Christi latere fluxerūt. Atque ex his intelligitur rectè difficilis locus

*Aqua &
sanguinis
significatio
mystica.*

*Aqua cur-
vino mi-
scetur in
calice.*

locus 1. Ioa. 5. *Tres sunt qui testimonium dāt in terra, spiritus, aqua, & sanguis.*
 nā hæc tria aperte comprobant Christum venisse, & fuisse verum hominem; spiritus cū clamore emissus; sanguis, & aqua ex eius corpore exeuntes: aqua enim ostendit eius corpus non fuisse phantasticum, sed naturale, & verè compositum ex quatuor elementis: sanguis declarat verò habuisse quatuor humores, vt ex Innocentio docet D. Thomas 3. p. quæst. 74. art. 7. ad ultimum.

Os non comminuetis ex eo.] Licet ipse Ioannes dicat ipsum testem oculatum fuisse horum quæ scribit, & certissima esse, affert nihilominus Scripturæ sanctæ testimonia, vt magis confirmantur lectors videntes hæc eadem ante multos annos prædicta fuisse à Prophetis. Primum testimonium est ex Exod. 12. quod ad litterā dicitur de agno paschali, allegoricè verò de Christo, vt patet ex Chrysostomo hom. 84. & Augustino tract. 120. & Theophylacto, Euthymio, Ruperto, S. Thoma, Lyra, & aliis. De quo genere citandi sacram Scripturam, diximus Oſeæ 7. ibi; *Ex Ēgypto vocavi filium meum.* In quo loco, & in aliis similibus, in Euangelio, notandum est Euangelista ut verbo implendi, quia cùm sit quod Scriptura sancta significat, litteraliter incipit impleri; cùm autem sit quod præfigurabatur, tunc prorsus impléatur, quia eius causa potissimum illa verba scripta fuerant, vt Matth. 2. ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: *Ex Ēgypto vocavi filium meum.* notat etiam S. Thomas per hanc figuram significari fortitudinem Christi nullo modo fuisse per passionem commouendam.

Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt, in quem transfixerunt.] His verbis ex Zachar. 12. probat latus Christi fuisse lancea militis apriendum. ibi legimus iuxta Hebræum, *Afficiunt ad me, quem confixerunt.* Notandum autem est ex Hieronymo lib. de optimo genere interpretandi, sed potissimum ex commentariis in Zachariam, vbi supra, L X X. hic vertit, & *afficiunt in me pro eo quod insultauerunt:* assertitque eos deceptos fuisse humilitudine litterarum d, & r, quæ apud Hebræos paruo tantum apice distinguuntur. nam Propheta scripsit Hebraicè יָדְךָ dacrū, quod significat pupigerunt, aut configerunt, ipsi verò putauerunt scripsisse, יָדְךָ racdrū, quod est saltauerunt: quare Euangelista relictis L X X. Hebræos codices sequutus est, vt videmus, sed sensu tantum seruato, vt solet: & quia Græci sequebantur LXX. in quibus hæc verba Euangeliæ non inueniuntur, non indicarunt unde essent desumptæ: immo Euthymius ait verisimile esse hæc verba fuisse ex libris rasa à Iudeis, quoniam in Scriptura sancta non inueniuntur. Secundò notandum hæc verba intelligi de Christo ad iudicium veniente, vt rectè exponunt Theophylactus, & Euthymius, S. Thomas & Lyra, & patet ex Apocalypsi 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui eum pupigerunt, & plangent se super eum omnes tribus terræ,* in quibus allusit ad verba Zachariae, nam & ibi sequitur, & *plangent eum planctu quasi super unigenitum:* & Ioan. in Græco

vtitur eodem verbo in his duobus locis , quod apud nos vertitur *puguerunt*, aut *transfixerunt*, & ideo non dixit Ioan. hanc scripturam esse impietam , quia postea implenda est.

Arimathæa quid. *Ioseph ab Arimatheæ.]* Arimathæa, siue Arimathia ciuitas est Iudææ, patria Samuelis Prophetæ, quæ 1. Regum. 1. dicitur Ramathain Sophin, vt ait Hieronymus in locis Hebraicis : distat autem à Hierusalem versùs Occidente 10. leucis, vt ait Bracar. lib. de terra sancta, & vocatur hodie Romula, hinc ortus erat Ioseph ; & ideo dicit ab Arimatheæ, id est, qui erat ex illa ciuitate, licet videatur habitasse in Hierusalem , & eius vrbis fuisse decurio, seu Senator, vt rectè ait Ian-senius cap. 144. Hic erat nobilis , diues , & potens , & ideo ausus est introire ad Pilatum , vt arbitrio suo honorifice sepeliretur Domini corpus , quod nisi Praeside permittente non licebat , & quia non dubitauit inimiciis Iudæorum se exponere pro Christo, ait Marcus, cùm audacter introiisset ad Pilatum , hic non consenserat consilio, & actibus eorum , vt ait Lucas , & ideo , vt author est Hieronymus in Matth. putauerunt quidem scriptum esse de illo primum Psalmum, *Beatus vir, qui non abiit, &c.*

Ferent mixturam myrrha, & aloës, quasi libras centum.] Incredibile videri poterat, nisi Evangelista narrasset, centum libras in vnguentum vnius corporis esse paratas : sed illi nobiles erant , & potentes , volabantque Dominum non vulgariter, sed sumptuosissime sepelire, tanquam magnum & mirabilem Prophetam. Quod ergo prima fronte videotur superfluum , nequaquam superfluum iudicabitur, si consideremus quæ dicta sunt , & hanc fuisse Iudæorum consuetudinem , vt magni viri magno vnguentorum sumptu, & copia sepelirentur, & ideo etiam addidit postea, *sicut mos est Iudaïs sepelire.* itaque vt diutius conservarentur cadavera , aromata quærebantur ad id aptiora , & in magna quantitate , vt non solum vngenerentur , sed etiam immergentur : talis erat myrrha, & talis erat etiam aloë, quæ apud Græcos nomen est herbæ amarissimi succi, sed vermis, ac putredini resistenteris, quam à nostris tradunt vocari, *hierba barbosa.* Huius herbæ succus induratus à nostris azibar, vt ait Laguna in Diosc. lib. 3. c. 23. vbi addit eam mixtam myrræ multum prodesse pro seruandis à corruptione corporibus. Sed dum hoc faciunt , isti viri ostendunt se non intelligere quod dictum est Psal. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, nec habere integrum fidem resurrectionis.* Hæc autem omnia sua habent mysteria; nam quod Christus passus est mortem plenam ignorante, ipsius humilitas & charitas commendatur: quod vero honorificè sepeliri voluit, eius qui mortuus est virtus ostenditur, & fit illud quod prædictum erat Isa. 11. *Et erit sepulchrum eius gloriosum, id est, mors eius erit gloria, vt ibi aduertit Hieronymus.* Significatur præterea fidelium deuotio , qui Christo mortuo erant seruituri, vt ait S. Thomas 3. p. quæst. 51. art. 2. ad 1. *Et in eius obsequium magnas opes consumpturi.*

Et

Et ligauerunt eum linteis.] Id est, sindone munda, ut aiunt alij Evangelistæ. Atque hinc factum est, sicut ait Hieronymus in Matthæum, & Beda in Marcum, & corpus Christi ponatur in altari super pannum sericum, sed in lino terreno: quod verò ait, *sicut mos est Iudaicæ sepelire*, inquit Augustinus tract. 120. non videtur mihi Euangelista frustra dicere voluisse, ita quippe, nisi fallor, admonuit in huiusmodi officiis, quæ mortuis exhibentur, morem cuiusque gentis esse seruandum.

Erat autem in loco.] De hoc diximus in quæst. 1. de loco crucis agentes.

Et in horto monumentum nouum.] Augustinus hic: *Sicut in Maria Virginis uterum nemo ante illum, nemo post illum concepimus est, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est;* idem aiunt Hieronymus in Matthæum, & Rupertus hic. Et meritò nouum fuit, ne si alij in eo sepulti essent, dicerent Iudæi aliquem ex illis resurrexisse, non Christum, ita Hieronymus. in Matth. Chrysostomus, & Cyrillus hic.

Ibi ergo propter paræcuen Iudaorum.] De hoc suprà, ibi: *Iudai ergo quoniam paræcene erat.*

Quod ad ordinem attinet, rectè ille obseruatus est à Ioanne, sed interponenda sunt quædam, quæ ille omisit ut ex Luca. *Sequebatur autem eum multa turba populi, & mulierum, quibus dixit: Nolite flere super me, &c. & post diuisionem vestium verba blasphemantium eum, & conuersio latronis, verba ad Virginem dicta, & tenebra facta sunt super terram:* post obitum scissio veli, terræ motus, & apertio sepulchrorum, & verbum Centurionis, & aliorum, *verè filij Dei erat iste, & alia huiusmodi, quæ facile colliguntur ex Euangelistis.*

SANCTVM

S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.

C A P V T X X .

1. **V**NA autem sabbati, Maria Magdalene venit manè, cùm adhuc tenebre essent, ad monumentum: & vidit lapidem sublatum à monumento. 2. Cucurrit ergo, & venit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulum, quem amabat Iesus, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. 3. Exiit ergo Petrus, & ille alius discipulus, & venerunt ad monumentum. 4. Currebant autem duo simul, & ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. 5. Et cùm se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introiuit. 6. Venit ergo Simon Petrus sequens eum, & introiuit in monumentum, & vidit linteamina posita. 7. Et sudarium, quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatum inuolutum in unum locum. 8. Tunc ergo introiuit & ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum: & vidit, & credidit: 9. Nondum enim sciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis resurgere. 10. Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. 11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum: 12. Et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, & unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Iesu. 13. Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: & nescio ubi posuerunt eum. 14. Hac cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stan tem: & non sciebat quia Iesus est. 15. Dicit ei Iesus: Mulier, quid ploras? quem queris? Illa existimans, quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustulisti eum, dicio mihi ubi posuisti eum: & ego eum tollam. 16. Dicit ei Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit ei: Rabboni (quod dicitur Magister.) 17. Dicit ei Iesus: Noli me tangere,

gere, nondum enim ascendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. 18. Venit Maria Magdalene annuncians discipulis: Quia vidi Dominum, & hoc dixit mihi. 19. Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, & fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudeorum, venit Iesus, & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. 20. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino. 21. Dixit ergo eis, iterum: Pax vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. 22. Hac cum dixisset, insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: 23. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis & quorum retinueritis, retenta sunt. 24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit Iesus. 25. Dixerunt ergo ei alijs discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi video in manibus eius fixuram clavorum, & mittam digitum meum in locum clavorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. 26. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus: & Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clavis, & stetit in medio, & dixit: Pax vobis. 27. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. 28. Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. 29. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt: 30. Multa quidem, & alia signa fecit Iesus, in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. 31. Hac autem scripta sunt, ut credatis; quia Iesus est Christus Filius Dei: & ut credentes, vitam habeatis in nomine eius.

Ribera in Euang. Ioan.

PPP

IN

IN CAPVT XX. SANCTI
IESV-CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,
COMMENTARIA.

VN A autem sabbati.] Tota difficultas, quæ maxima est in historia resurrectionis, in duobus sita est, in Conciliatione Euangelistarum, qui nulla in re magis videntur sibi mutuò aduersari, & in ordine apparitionum demonstrando.

*Accessus
mulierum
ad monu-
mentum.*

Prima difficultas est in accessu mulierum ad monumentum, vtrum viuis fuerit, an plures. A qua difficultate, & aliis, quæ eam consequuntur, facile se expedit. Hier. Matth. 28. his verbis: *Quod diuersa tempora istarum mulierum in Euangelio describuntur, mendacij indicium est, ut impij obiciunt, sed sedula visitationis officium, dum crebro abeant, ac recurrent, & non patiuntur à Domini sepulcro diu abesse, vel longius.* Sed hanc Hieronymi sententiam omnes ferè deserunt, quia nulla ratione videretur posse sustineri. Si enim velit Hieronymus (v. g.) alium accessum esse Magdalenæ, & aliarum, qui est apud Marcum, alium qui est apud Ioannem, quæro yter fuerit prior. Si ille Matthæi, & Marci cum viderint Dominum iam videndum antequam venirent ad Apostolos, quomodo dicunt in Ioanne, *Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum.* Si autem fuerit prior iste accessus Ioannis, cùm dicat Euangelista, & *vidit lapidem sublatum à monumento*, quomodo apud Marcum dicunt mulieres, *Quis revoluet nobis lapidem ab ostio monumenti.* Vnius disunctionis priorem partem eligit Hieronymus Epistola ad Hedibiam. q. 4. & 5. & respondet Magdalena vidisse quidem Dominum, sed præ desiderio iterum videndi, & præ turbatione quasi stupefactam dixisse, *Tulerunt Dominum de monumento.* Sed quis non videat, omnem turbationem illi fuisse ex animo exemptam, postquam semel vidiit eum viuere.

Quod si viderat Dominum, cur dicebat Apostolis, *Tulerunt Dominum de monumento;* cur non dicebat, vidi ipsum viuentem; quare non est dubium eundem aduentum mulierum narrari ab omnibus Euangelistis, vt docet Augustinus 3. de consensu Euangelistarum cap. 24. & Cyrillus & Euthymius in Matth. & Ioan. Theophylactus, Rupertus, S. Thomas hic, & 3. p. q. 53. art. 2. Lyranus, ac denique communis sententia doctorum; quod facilè intelliget, vt ait Euthymius, quisquis ad Euangelistas aduerterit: nam eundem aduentum narrari à Matthæo, & Marco, probatione non eget. Lucas eundem narrat, nec quicquam dicit quod non possit cum illis optimè conuenire. Ioannes quidem diuersa scribit, sed non contraria, immo planè cum illis consentit,

sentit, dum ait, Magdalenam ad monumentum venisse valde manū; sed eo tamen tempore, quo iam lapis erat sublatus. Cæterū, ut iam ad verba ipsa accedamus, cùm dicit, *vna Sabbati*; vna pónitur pro prima, more Hebreorum: ut Gen. 1. *Fætum est vespere & manū dies unus*, id est, primus. & in tit. Psal. 23. vbi nos habemus, *Psalmus David prima Sabbati*, Septuaginta habent, *vna Sabbati*. & Matth. 28. *Vespere autem Sabbati que lucefecit in prima Sabbati*, in Græco, & que lucefecit vna Sabbatorum. Deinde, *Sabbatum*, quoniam varie in Scriptura accipitur, explicandam est quid valeat, in cuius etymologia multi erraueront. Iosephus enim lib. 2. contra Appionem non longè à principio, ridet eum qui dixerit Hebræos ex Ægypto redeentes laborasse inguinū vliceribus, qui morbus Ægyptiis dicitur *sabbo*, & septimo die quicuisse, ideoque eum *Sabbatum* vocasse. Plutarchus autem in symposiacis, ut refert Cælius Rodiginus lib. 7. antiquarum lectionum. c. 15. viderut putare *Sabbatum* esse nomen Græcum à verbo *σαββάτῳ*, quod apud Hebræos significat vacari, & more vacantium tripudiare, quod eo die largius se inuitarent ad bibendum Iudei, à quo verbo & Bacchus ipse dictus est *Sabbazius*. Laetant. lib. 7. c. 14. non ignorauit Hebraicum vocabulum esse, ut Plutarchus putauit, tamen a numero dierum nomen accepisse apud Hebræos, ut sit *Sabbatū* idem quod *septimum*. Sed eius est manifestus error, ex ignorantia linguae Hebraicæ, constat enim dici *Sabbath*, vel *Sabbatū*, à verbo *שַׁבַּת Sabbath*, quod est quiescere. Septem enim aliter ab Hebræis scribitur, non cum t, & h, sed cum littera a, in fine. Hinc *Sabbatum*, primò significat *septimum* hebdomadæ diem à requiescendo, quia in eo requieuit Deus ab universo opere quod patruerat, Gen. 2. Secundò ratione Etymologiae significat quamlibet festiuitatem, quoniam in omni festiuitate ab operibus seruilibus quiescendū erat iuxta legem, licet minus arcte, quoniam *septimo* die hebdomadæ non licebat cibos parare Exod. 35. *Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbati*. aliis autem festis licebat cibos parare, vnde Exod. 12. dicitur de festo Azymorum, *Nihil operis facietis in eis, exceptis his que ad vescendum pertinent*. Ita accipitur Levit. 23. vbi de festo expiationis scriptum est, *Sabbatū requietiōis est, & affligetiōis animas vestras*, & statim, *Die nona mensis septimi: A vespere usque ad vesperam celebrabitis Sabbathū vestra*, & postea, *die primo & die octavo erit sabbatum*, id est, requies. Hanc secundam acceptionem habemus apud Chrysostomil. 4. in Matth. & apud Euthym. & Theoph. in Luc. c. 6. in principio. Tertiò accipitur pro tota hebdomada à die principaliori sumpta denominatione. Ita Theoph. & Euthym, in Luc. cap. 8. & 6. Remigius in Psal. 23. in principio, ut Levit. 23. *Numerabitis ab altero die Sabbati, in quo oblatiſtis manipulum primitiarum, septem hebdomadas plenas*. Et c. 23. *Numerabis tibi septem hebdomadas annorū*. In his locis vbi nos habemus, *septem hebdomadas*, in Hebræo est, *septem Sabbathā*. Hinc intelligitur illud Luc. 18. *Ieiuno bis in Sabbathō*, id est, singulis hebdomadibus bis ieiuno. & ita prima dies hebdomadæ dicitur *vna Sabbati*, siue *prima Sabbati*, *qua* est dies dominica, secunda *Sabbati*, est secunda feria, & ita de ca-

*vna, propria
ma more
Hebr.*

*Sabbatum
quid, &
unde de-
atum.*

*Sabbatum
pro qualibet
festiuitate
sumitur.*

*Sabbatum
pro hebdo-
made.*

*Sabbatum
pro quolibet
hebdomada.
die.*

teris. Vel prima Sabbati prima dies post Sabbatum, &c. Quartò accipitur pro quolibet hebdomadæ die, vt docet Niceph.lib. i. hist. c. 33. & Euthymius in Marth. c. 68. quod dicit factum esse ab Hebræis propter honorem Sabbati, vt Marc. 16. Et valde manè una Sabbatorum. Denique pluraliter legitur in Græco, vbi nos habemus, singulari numero Sabbati; in hoc loco Ioan. & Matth. 28. *Vespere autem Sabbati qua lucescit in prima Sabbati.* Et Lucæ vltimo, *Vna autem Sabbati valde diluculo.* & 1. Corinth. vlt. Per unam Sabbati, unusquisque vestrum apud se ponat, &c. His suppositis iam videmus omnes Evangelistas de eodem die loqui, id est, de Dominico, quem vocant unam, sive primam Sabbati. Sed Matth. videtur obstat, qui non die Dominico videtur dicere mulieres ad monumentum venisse, sed Sabbati vespero, id est, cum iam Sabbathum finiretur. Ait enim, *vespere autem Sabbati*, nec obstat additum esse, *qua lucescit in prima Sabbati*, quoniam metaphorice dicitur, lucescere in prima Sabbati, quia tunc incipiebat, licet à solis occasu inciperet. Probatur ex Lucæ 23. Et dies erat Parasenes, & Sabbathum elucescebat, cum tamen tunc nox appropinquaret. Ad hoc respondet Hieronymus in epist. ad Hedib. quæst. 4. Matth. & Ioan. non diuersa sensisse, sed unum atque idem tempus, mediæ scilicet noctis, & galli cantus diuersis appellasse nominibus, atque idem ait hic Theoph. nam Matth. ait, *Vespere autem Sabbati*, id est, sero, non incipiente nocte, sed iam profunda & magna ex parte transacta. Ioannes autem dixit, *Vna Sabbati manè*, cum adhuc essent tenebrae. Itaque alter dixit, finem Sabbati, alter principium Dominicæ diei. Sed si hanc sententiam recipimus, cogimur dicere, saltem bis venisse mulieres ad sepulchrum, vt dicit Hieronymus, quem iam impugnauimus primò media nocte, & de hoc aduentu loqui Matthæum & Ioannem. Secundò, orto iam sole, de quo aduentu loquitur Marcus. At hoc dici nequit, quia cum ve- nire Magdalena, & cum adhuc tenebrae erant, vident lapidem monumen- ti sublatum, vt ait Ioan. quomodo ergo orto iam sole dicere poterat cum sociis suis, *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Ideo omnino dicendum est, idem tempus significari à Ioan. & Marc. non mediæ noctis, sed diluculo, non quod sol iam esset super terram, sed quod cælum ab Orientis parte iam albesceret, quod non fit utique, nisi Solis Orientis vicinitate. Eius enim est ille fulgor, qui nomine auroræ appellari solet, atque eo tempore adhuc sunt tenebrae, quæ tan- to magis extenuantur, quanto magis oritur lux. ita Aug. 3. de consen- su Euang. cap. 24. Nec obstat quod ipse legit, *Oriente iam sole*, utroque enim modo verti potest verbum Græcum ἀνατέλλει: Ita etiam Be- da in Marc. Theoph. & Euth. in Matt. & S. Thomas hic, & 3. p. q. 53. a. 2. ad 3. Lyran. hic: Caiet. in Marc. Ians. c. 145. licet idem Theoph. in Ioan. putarit in Matth. & in Ioan. tempus mediæ noctis significari. Sed rectè dixit in Matth. solem appellari, solis radios; ita dicimus nos solem vi- dere, quando videmus radios, licet sole, vel sydus ipsu non videamus: Respondeatur ergo verba Matth. idem prorsus significare cum verbis aliorum; sed eorum intelligentia magna est, & antiqua controversia:

Iansenius

Iansenius suprà cùm relatas antiquorum expositiones sibi satis non placere significasset, commotus argumento, quod ex Lucæ verbis fecimus, *Sabbatum illucescebat, &c.* ita exponit, *vespera Sabbati*, ita enim legit ipse, non *vespere*, id est, in extrema parte Sabbati sole iam vergente in occasum, quæ vespera lucebat in dominicam diem, quia erat principiū sequentis diei dominicæ, quo iam operari licebat, venerunt mulieres, ad sepulchrum, non quòd tunc exierint, sed quòd tunc inter se conuererunt, & aromata parauerunt, vt nocte transfacta, venirent & vngerent Dominū, quod Marcus post Matth. scribēs ita explicuit: *Et cùm transfissit Sabbatum, Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Salome emerūt Aromata.* Sed miror ita ei placuisse hāc expositionē, quæ magnā vim affert verbis Euang. Primum enim Hier. & cæteri veteres non legūt *Vespera*, sed *vespere*, ponitürque aduerbialiter, sicut est in græco, quare apud græcos nō præcedit nomē quod referatur à relativio *qua*. Secundò, quid manifestius quām Matthæū loqui nō de cōuentione mulierū inter se, vt venient ad monumentum, sed de aduentu ipso, cùm dicat, *venit Maria Magdalene, & altera Maria, videre sepulchrum; & ecce terræmotus factus est magnus, &c.* eadem hora, id est, Vespere Sabbati, venerunt, & cùm veniebant, factus est terræmotus, nam, ecce, subitam rei celeritatem indicat. Multo probabilius Montanus in Matth. ita ait: Totum tempus à prima apparēte in crepusculo stella usque ad sequentis diei initium, id est, usque ad auroram exorientem, dicitur Hebræis בְּרֵבָה *Hereb*, id est, vespere, vt Gen. i. *Factum est vespere & mane dies unus.* Itaque sensus est, Nocte illa post Sabbatum, cuius noctis extremum attingit lucem, primæ dici, post Sabbatum venerunt videre Sepulchrum. Veniebant autē ne corpus magistri sui transfacto Sabbato aliò transferretur, & ideo venerunt antequam finiretur Sabbatum. Hæc expositiō primo aspectu mihi placuit; sed considerata tamen multas habet difficultates; primò non indicat relativum, *qua*, cui nomini iungendum sit. Secundò non probat noctem vocari בְּרֵבָה *hereb*, siue vesperum, nec potest fortasse probari ex Scriptura. Semper enim hoc nomen datur extremæ parti diei, cùm sol propinquus est occasui, aut cùm iam occidit, & ad locum Gen. respondetur, hic non fieri mentionem de noctibus quæ numeratis diebus intelliguntur numeratæ, sed de diebus, quorum prima pars dicitur manè, secunda vespere: nam noctes iam docuerat non vocari בְּרֵבָה *hereb* apud Hebræos, sed לִילָה *laelia*, in illis verbis, & *lucem vocavit diem: tenebras vero noctem.* Tertiò falsum est quod dicit, venisse mulieres antequam finiretur Sabbatum, ne corpus domini manè mutaretur, quoniam per Sabbatum non licebat corpus mutari, vel Sepulchrū aperiri. Sed oportebat expectari ad minimum primam Sabbati falsum, inquam, est, quoniam Sabbato post Solis occasum iam licebat opera servilia exercere, & ideo tunc mulieres parauerunt aromata, vt ait Marcus, tunc enim finiebatur Sabbatum, neque erat necesse expectare lucem diei Dominicæ. Melius expositionē suā tueretur, si diceret, vespera esse noctis principiū, & per Synedochē accipi pro tota nocte, sicut dixit Aug. de cōsētu Euag. c. 24. & idē docuit hīc fieri Mart. l. 9. hyp. reg. 7.

At Hieronymus q.4. ad Hædibiam , quoniam vidit vespere. ita accipi ut diximus, non ut dixit. Montanus, ita soluit hanc difficultatem, mihiq[ue] videtur Euangelistam Matthæum , qui Euangeliūm Hebraicō sermone conscriptis , non tam *vespere* dixisse, quām *serò*, & eum, qui interpretatus est verbi ambiguitatem , deceptum, non *serò* interpretatum esse , sed *vespere*. Quia in re non reprehendit fortasse Hieronymus Latinum interpretem , led eum qui ex Hebræo transtulit in Græcum, licet non negem probabile etiam esse, Latinam translationem reprehendi. Arbitror igitur Hieron. malle legere *serò* Sabbati, quām *vespere*. Quoniam si legatur , *vespere* Sabbati, intelligitur tempus quo nox incipit: Si autem legatur, *serò* Sabbati, significatur extrema pars Sabbati, quod in nocte sua terminatur, & ideo exposuit, *vespere* Sabbati, id est, *serò*, non incipiente nocte, sed iam profunda , & magna ex parte transacta. Ambrosius paulo ante finem commentario in Luc. docet hic haberi in Græco δέκατης, id est, *serò*. Serò autem aliquando significare tempus noctis profundum, vt si dicas: Serò ad lucubrandum surrexi, id est, profunda nocte, & ita accipi apud Matth. in quo prorsus cum Hieronymo conuenit. Sed sciendum est , primò δέκατης apud Græcos idem esse quod apud nos *vespere* , aut *vesperi* , licet dictio Græca non solum extremam diei partem significet , sed etiam extremam partem rei cuiusvis, quod metaphorice sit; vt δέκατης ætatis, id est, ad finem ætatis ; ita ergo apud Matth. δέκατης τῶν σαββάτων significat , cùm iam Sabbata , id est, omnes dies hebdomadæ finirentur, & eamdem metaphoram usupauit noster interpres , vt *vespere* Sabbati dixerit pro extrema parte noctis Sabbati, sumendo, *vespere*, pro extremitate cuiusvis rei: vt cùm in hymno dicitur , Venit ad vitæ *vesperam*, id est, ad finem. Secundò nota, aliter numerari dies quantum ad festiuitates attinet, aliter quantum ad communem usum : quantum ad festiuitates numerabantur à *vespera* usque ad *vesperam*, Leuit. 23. quoad cōmunem usum numerabantur à diluculo usque ad noctis initium, vt videmus Gen. 1. ita sunt duodecim horæ diei Ioann. 11. & cum die numerabatur nox sequens, ita ut fieret dies naturalis 24. horarum. Itaque nox Sabbati dicitur à Solis occasu usque ad diluculum sequens , vnde incipit dies Dominicus , & ita accipi hic *vespere* Sabbati, vt rectè ait Theophyl. in Matth. Et meritò ita loquitur Matthæus, quia licet dies Dominicus esset dies tertius azymorum, non tamen erat festus dies, sed in eo licebat operari; tantum enim in primo & septimo non licebat , & ideo numerat secundum communem usum dierum perfectorum. Lucas autem aliter numerare debuit, id est, à *vespera*, usque ad *vesperam*, quia dies sequens erat Sabbathum. Ex quo soluitur argumentum adductum ex Luca, quod sequeretur, si *vespere* Sabbati significaret, ad finē noctis Sabbati, quod necesse fuit addere, *qua luce fit in prima Sabbathi*. Respondetur, quoniam poterat aliquis intelligere Euangelistam numerare Sabbathum secundum consuetudinem , festiuitatum , nam ita *vespere* Sabbati significaret ad occasum Solis, & ideo ne errandi daretur occasio, adden-

do, quæ luceſcit in prima Sabbati, docuit ſe loqui non de fine diei, ſed de fine noctis. Eſt ergo ſenſus, cùm iam Sabbatum finiretur, & inciperet dies Dominica, venerant mulieres, &c. & ad illud relatiuum, quæ, ſubaudiendum eſt, hora, ſive noſte, ſive aurora, quæ nomina etiam apud Græcos foeminea ſunt.

Sed quæritur primò, quónam tempus ſit in quo finitur nox, & Quid dieſatur nox, &
quid dieſ. incipit dies, iuxta hanc computationem. Respondeatur noctem díci, dum nihil proſuſ lucis apparet, cùm autem aliquid lucis videri incipit, tunc incipit dies, quod tempus appellatur crepusculum matutinum, hoc crepusculum incepereat, cùm egressæ ſunt mulieres ad ſepulchrum, vt ait Matth. cùm autem fuerunt ad Sepulchrum, iam plus lu- cis erat, & tamen erant tenebræ, vt ait Ioannes.

Secundò quæritur, cur tam ſollicitè deſcriperunt Euangeliſtæ tem- Cur tā ſol-
licitē ſeipſus
adueniunt
mulierū ab
Euāgeliſtis
deſcriptum.
Qua hora
reſurrexe-
rit Domi-
nus. pus aduentus mulierum. Respondeatur, potiſſimū vt docerent eo tempore iam reſurrexiſſe Dominum. Secundò vt cerneretur eārum ſe- dulitas & deuotio in Christum.

Tertiò quæritur, qua hora Dominus reſurrexerit. Hieron. Epift. ad Hediuiam quæſt. 3. ait Dominū ſurrexiſſe vespere Sabbati, eo tempo- re quod à Matth. eſt ſignatum, dicente, vespere autem Sabbati, &c. Sed manè prima Sabbati apparuiffe Magdalena, & quæſt. 4. docet à Matthæo tempus media noctis & galli cantus ſignificari. Quare ex eius ſententia habemus reſurrexiſſe media nocte. Euthymius etiam in Matthæum, ait: Omnes autem vñanimitate ſancti Patres & doctores tempus reſur- rectionis eius fuſſe dicunt circa primum galli cantum, qui iam dominica diei lucem präſerebat. Idem videtur ſentire Cyrillus lib. i 2. cap. 44. nam con- cilians Matthæum cum Ioanne dicit, idem tempus media noctis ab vtrōque ſignificari. Idem ait Theophylactus hic: At Thomas tertia part. q. 53. art. 2. ad 3. affirmat Christum reſurrexiſſe circa diluculum illuſcente iam die, ad ſignificandum quòd per ſuam reſurrectionem nos ad gloriæ lucem inducebat: ſicut mortuus eſt ad uesperaſcente iam die, vt oſtenderet quòd per ſuam mortem deſtruēbat tenebras culpæ & poenæ. Hæc ſententia videtur mihi multo verior, probatur ex Marci vltimo. Surgens autem Iesuſ manè prima Sabbati, apparuit primò Maria Magdalena. Sed huic loco reſpondet Hier. q. 3. ad Hedibiam, & Theophylactus, & Euthymius in Marcum, ſiſtendum eſſe, vbi ait, Surgens Iesuſ, deinde legēdum, manè prima Sabbati apparuit, &c. Surrexerat enim vespere Sabbati, ſed die Dominica manè apparuit Magdale- na. At verò autor commentariorum in Marcum, quæ feruntur in ope- ribus Hieronymi intelligit Iesum reſurrexiſſe primo manè, & apparuiffe Magdalena. Similiter intelligit hic Beda. Probatur tamen ex titulo Psal. 21. In fine, Psal. David pro assumptione matutina, quo loco, assumptioni matutina ſignificat auxilium Patri präſtitum filio cùm eum refuſci- tauit ſummo manè. ita hīc expónit Hieronymus, Augustinus, & multi alijs, & hīc pro matutina, eſt in Græco nomen deductum à nomine nōis, quod eſt aurora: cùm autem nōis, iam cælum albescit, & ru- bescit,

Assumptio
multa rīa
quid.

bescit, vnde ab Homero vocatur ἡρόπεπλον, id est, croceam, sive
tubeam vestem habens, & Virgilius,

Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.

Et Pl. 56. *Exurge gloria mea, &c. Exurgam diluculo.* Qui locus aperte
intelligitur de resurrectione Christi: vnde Hieronymus hic, *diluculo*
enim surrexit manè cùm adhuc tenebrae essent super terram. in utroque loco
est apud Hebreos 11^o *Sahar*, quod significat auroram. Præterea nisi
sumatur pars dominicæ diei, non potest intelligi quomodo Dominus
fuerit in Sepulchro tribus diebus, & tribus noctibus; & propterea ne-
cessariò sumitur pars eius diei. Et idem facit August. 4. de Trinitate c. 6.
& lib. 3. de doctrina Christiana. c. 35. & lib. 3. de consensu Euang. cap.
24. Non dicitur autem dies incipere apud Hebreos donec aurora exo-
riri incipiat, vt dictum est, quia Matthæus noctem Sabbati vocat dum
lucescit prima Sabbati: ergo necessariò dicendum est Christum resur-
rexisse die Dominicæ diluculo paulo antequam mulieres venirent:
vnde August. 3. de doctrina Christiana. cap. 35. ait: *Nox, in cuius parte ul-
tima resurrexit, nisi totus dies accipiatur, adiuncto scilicet die illuscente domi-
nico, non possunt esse tres dies.* Idem ait lib. 1. quæstionum Euangelicarum
quæst. 7. & 3. de consensu, cap. 24. Et Ambrosius prope finem Lucæ ait:
*Sic igitur temperandum est, vt neque manè, quæ est prima post Sabbathum, ne-
que Sabbatho resurrectio facta credatur. Nam quomodo triduum completerum?*
intelligit autem non factam esse resurrectionem claro manè, sed in
confinio noctis Sabbati, & lucis Dominicæ. Probatur denique hæc ve-
ritas ex sensu Ecclesiæ, quæ in hymno resurrectionis ad laudes canit,
Aurora lucis rutilat, &c. Cùm Rex ille fortissimus, mortis contractis viribus,
&c. Nec obstat figura Samsonis, qui media nocte exit ex urbe Gaza.
Iudith 16. Satis enim est ad illam dominum resurrexisse cùm adhuc
tenebrae erant, vt respondet Iansen. qui in contrarium illam adduxerat,
cap. 145. Vnde Gregorius homil. 21. in Euangelia, illam de Christo ex-
ponens, non dixit, media nocte surgens, sed *ante lucem surgens.*

Maria Magdalene venit manè.] Ex dictis intelligimus venisse si-
mul mulieres, quæ ab aliis Euangelistis numerantur. Augustinus 3.
de consensu cap. 24. ita ait, *Venit autem, sicut Ioannes dicit, Ma-
ria Magdalene, sine dubio cum ceteris mulieribus, quæ Domino mini-
strauerant, plurimum dilectione feruentior, vt non immerito Ioannes solum
commemorari, tacitis eis quæ cum illa fuerunt, sicut alij testantur.* Ratio
huius est, quoniam, vt ait Euthymius in Marc. cap. 48. solent Euangeli-
stæ per personam, quæ insignior est, eam etiam intelligere, quæ
niunus nota est, hoc potest multis exemplis probari. Marc. 10. *Bartimæus cæcus* sedebat iuxta viam, mendicans, &c. & tamen ex Matth. 20. con-
stat fuisse duos cæcos; sed Bartimæus nominatus est, quia erat insignis.
Et Marc. 5. Dominus sanavit hominem habentem legionem dæmo-
num, & tamen constat ex Matth. 8. non fuisse unum dæmoniacum, sed
duos. Idem seruatur in reliqua Scriptura, vt Gen. 8. *Recordatus est Domi-
nus Noë, & cunctorum animalium quæ erant cum illo.* Sub Noë intelli-
guntur

guntur vxor eius, & filij, Sic legimus euersam fuisse Sodomam & Gomorrah, cum constet ex Gen. 19. & Deut. 29. fuisse etiam eversas alias ciuitates. Sic Ruth. 4. dicitur, *Faciat Dominus hanc mulierem sicut Rachel, & Liam, que adificauerunt domum Israël*; cum multæ ex tribubus Israel sint ex filiis ancillarum Iacob, Balæ, & Zelphæ.

Et vidit lapidem sublatum.] Christus clauso sepulchro resurrexit, & postea ab Angelo sublatus est lapis, ut videmus in Mattheo, habet autem lapis iste plusquam decem spithamas longitudinis, ut ait Aranda tractatu 1. cap. 13. Latitudo, iuxta Medinam, est trium Spithamarum, & quatuor digitorum: profunditas vnius spithamæ, & quatuor digitorum. Nunc positus est in altari facelli cuiusdam, vbi dominus ligatus mansit tota nocte in domo Caiphæ.

Magnitudo
lapidis se-
pulchri De-
mini.

Cucurrit ergo.] Augustinus vbi suprà, ut vidit lapidem sublatum, antequam aliquid diligenter inspiceret, non dubitans ablatum inde esse corpus Iesu, cucurrit ad Simonem Petrum, & Ioannem, &c. Ad illos cucurrit, quia isti duo magis Christum amabant, aut citius illi occurrerunt.

Præcucurrit citius Petro,] Ut iunior, & agilior.

Vidit posita lintermina] Signum resurrectionis, quoniam, ut Chrysost. ait, si quis corpus furatus esset, nequaquam in eo nudando, & sudario seorum deponendo, moratus esset.

Resurrec-
tionis si-
gnum.

Non tamen introiuit.] Aut timore aliquo, aut Petrum tanquam seniorem priùs ingredi volens, ut ait Lyranus de Spirituali sensu huius historiæ. Vide Greg. homil. 21. in Euangelia.

Et vidit, & creditit.] Cyrillus & Euthymius intelligunt credidisse resurrectionem, & idem subindicat Chrysost. iuxta hanc sententiam dum dicitur, *nondum enim sciebant Scripturas, &c.* redditur ratio cur usque ad illud tempus non habuisset fidem firmam resurrectionis. At August. tract. 120. & 3. de consensu cap. 24. reprehendit hanc expositionem, quoniam non poterant credere eum resurrexisse, quem nesciebant oportere resurgere; Et ideo statim dicitur, *nondum enim sciebant, &c.* Sed vult hunc sensum: Vedit & creditit, verum esse quod Maria dixerat sublatum esse corpus de monumento. Ita etiam Theophilactus, quam expositionem magis probat Iansenius cap. 145. & meritò; quoniam mulieres nihil de resurrectione dixerunt Apostolis, quare Verbum, creditit, refertur ad ea quæ audierat, & ratio adiungitur cur sublatum crederet, *nondum sciebant Scripturas*, id est, non intelligebant, de qua re diximus c. 2. ibi, & crediderunt Scriptura.

Quid credi-
derit hic
discipulus.

Ad semetippos.] August. tract. 121. Vbi habitabant, & unde ad monumentum cucurrerunt, vel vbi cum aliis Apostolis manebant.

Dum ergo fleret, inclinavit se.] Iam viderat non esse hic corpus, sed, ut ait Greg. hom. 22. amanti non satis fuit semel vidisse, iterum atque item inspicit.

Et vidit duos Angelos.] Quæritur quomodo in hac visione Angelorum concilientur Euangelistæ. Matth. enim ait, *Angelus domini descendit Ribera in Euang. Ioan.*

de celo, & accedens revolutum lapidem, & sedebat super eum. Itaque manebat extra sepulchrum. Marcus vero intus esse dixit. *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem sedentem in dextris, &c.* Lucas duos Angelos ponit intra sepulchrum, sicut & Ioannes: ait enim, *& ingressa non inuenient corpus Domini Iesu, & factum est dum mente consernata essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in ueste fulgenti, &c.* quos tamen Ioannes sedentes ponit ad caput, & ad pedes sepulchri, Lucas autem stantes secus mulieres.

Ad hoc respondet August. 3. de consensu c. 24. primò, non eundem fuisse Angelum, qui est apud Matth. & Marcum, quod etiam affirmat Euthym. in Matth. Sed probabilius putat August. (& hoc postea sequitur) vnum & eundem Angelum fuisse. At cum dicit Marcus, *introeuntes in monumentum.* non significat illas introisse in ipsum saxi sepulchri locum, sed in spatium aliquod septum maceria, quod probabile est fuisse ante petram in qua excisum est sepulchrum: & ita idem est quod aiunt Matthæus & Marcus. Sed quod Augustinus probabile esse dicit, quoniam locum non viderat, pro certo haberri debet, Nam, ut colligimus ex

*Sacellū ante
locum sancti
sepulchri.*

Medina, & Aranda tract. i. c. 15, in loco sancti sepulchri, est sacellum quoddam paruum ianuam habens ad Orientem, cuius ianuæ altitudo, est statura hominis, seu, ut ait Episcopus Conimbricensis in Marcum, ubi idem ferè dicit cum istis authoribus, erat altitudinis trium cubitorum, latitudinis vero cubiti cum dimidio; longitudo istius sacelli est duodecim pedum, & totidem ferè latitudo, istud paruum sacellum erat spatium quod August dicit fuisse ante saxi sepulchri locum, siue ante petram, in qua excisum est sepulchrum, in eo est lapis, in quo dicunt quidam Angelum sedisse quando cum mulieribus locutus est: alij putant positum esse et locum significet, in quo mulieres fuerunt quando viderunt Angelum, & hoc est certius, quoniam lapis, in quo sedebat Angelus, erat idem qui adiutorius fuerat ad ostium monumenti. Itaque in hoc sacellum ingressæ sunt mulieres. Et hoc est quod dicit Marcus. Intra hoc est ostiolum altitudinis quinque Spithamarum, latitudinis trium, aut, ut ait Episcopus Conimbricensis, altitudo est unius cubiti cum dimidio tantum, per quod corpus Christi introductum est ut sepeliretur: ad hoc ostium, quod est ad Septemtrionem, adiutorium est Saxum magnum, & signatum; intra hoc ostium est Spatium quadratum decem Spithamarum marmore coopertum, & ad dexteram hostij est altare altitudinis nouem spithamarum, longitudinis eiusdem, quam habet totum illud spatium quadratum, latitudinis vero dimidiæ, id est, sex Spithamarum: cuitas huius altaris est sepulchrum, quod iam non videtur a peregrinis, quia marmore tegitur, sed super illud Missæ dicuntur. Hic sunt quadraginta quinque lucernæ septem Nationum Christianorum, sed ardent semper ferè triginta. Angelus erat extra hoc ostium septemtrionale, super lapide revolutum, & ideo erat extra Sepulchrum, mulieres erant intra primum ostium Orientale, quod etiam dicebatur Sepulchrum. Addit Aranda in Hierusalem

*Sepulchrum
Domini.*

multa

multa fuisse Sepulchra eiusdem formæ , atque certissimum esse mulieres in illud prius Spatum tantum ingressas fuisse , cum primum Angelum viderunt , & totum illud Spatum dici Sepulchrum . Ex quibus patet falsum esse quod ait Episcopus Conimbricensis . Saxū illud magnum aduolutum esse ad ostium exterius orientale , Nam ita non possent Conciliari Euangelistæ . Deinde mulieres , ut prosequitur ibi Augustinus , hortante Angelo , ut viderent locum ubi positus fuerat Dominus ; introierunt in secundum Spatum , & viderunt duos Angelos , ut ait Ioan . Sedentes in albis , in signum lætitiae resurrectionis , qui Mariæ , quam præ cæteris tristem & flentem viderant , dixerunt : *Mulier , quid ploras ?* & dum illæ essent mente consternatae , quia non reperiebant corpus Domini , nec sciebant ubi positum esset , nondum enim præ desiderio credere poterant resurrexisse , surrexerunt illi duo Angeli , & steterunt iuxta illas in ueste fulgenti , ut ait Lucas ; illæ vero declinauerunt multum in terram timentes ; ut idem ait , nec valentes splendorem illum Angelorum ferre : tunc Angeloi , ut ait Euthymius in Matthæum , iam non mansuetè , ut prius , sed quasi obiurgantes , earam incredulitatem , paulo asperius dixerunt : *Quid queritis viventem cum mortuis ?* hæc ex Augustino , & Euthymio suprà .

Mulier quid ploras ?] Vide de his verbis & sequentibus celeberrimam Origenis homil. quæ est in secundo tomo in fine homilia-
rum in diuersos .

Hec cum dixisset , conuersa est retrorsum .] S. Thomas , & Lyra , & Chrysostomus homil . 85. dicunt illam conuersam fuisse retrorsum , Cur retror-
sum conuer-
sus sit Mater
Domini . quia vidit Angelos Christo apparente assurgere honoris causa ; for-
tè etiam sonū pedum , aut verborum audiit , aut præ cura , & desiderio crebrò in omnem partem spectabat , sicut solent qui aliquid qua-
runt , & non inueniunt . Sed hic etiam est magna difficultas , utrum ante hanc visionem domini , an postea factum sit quod ait Marcus , *At illa exeuntes fugerunt de monumento , inuaserat enim eas timor & paucus , & nemini quicquam dixerunt , timebant enim .* Augustinus 3. de consensu c. 24. prius ponit visionem istam Christi apparentis Mag-
dalena , & postea , quod ait Marcus , fugisse de monumento . Dicit etiam intelligendum eas timore & gaudio fuisse affectas ; quod probabile est . At Euthymius . c. 68. in Matthæum , & Iansenius c. 145. hunc exitum mulierum ponunt antequam Magdalena vi-
derit Christum , quod videtur probabilius . Idem sentit Tatianus in Harmonia quatuor Euangeliorum , & aperte sentiunt ita Ioannes Bos-
sius lib . 7. vitæ Iesu Christi in principio . Christo iam viso plenæ erant
gaudio , non timore , atque ita cum illis occurrit Dominus apud
Matthæum , non metu , sed voluptate magna affectæ sunt , & ac-
cedentes tenuerunt pedes eius . Quæritur etiam utrum sola Mag-
dalena viderit hinc Christum , an etiam aliae mulieres . Aug . suprà vult
omnes simul vidisse . Euthym . & Iansenius suprà ab hac visione excludunt
cæteras mulieres , quod mihi videtur valde probabile . quoniam ait Marc . An sola
Magdalena
viderit Do-
minum , vel
simul &
alia mulie-
res .

surgens autem Iesus manè prima Sabbati apparuit primò Mariæ Magdalena, de qua eiecit septem dæmonia. Primò eius feruentior dilectio exigebat, vt prima omnium videret Christum, atque ita habetur in eius hymno ad Vesperas,

*Surgentem cum victoria,
Iesum vidi ab inferis,
Prima meretur gaudia.
Quæ plus ardebat ceteris.*

Nec confertur ibi tantum cum Apostolis, sed etiam cum mulieribus. Puto ergo cùm illæ fugerent de monumento, cæteras timore perterritas, longius fugisse; Magdalena verò, quam amor faciebat audaciorem, prope monumentum constitisse, vbi dominum videre meruit, atque ita locus ipse rota quadam marmorea stratus ad tres passus à Sepulchro significat, vbi erat Magdalena, à quo alter similiter signatus distat vndeциm passibus, vbi Christus apparuit specie hortulanî, vt ait Aranda tract. i. cap. 15. ad finem, postea adiuncta est aliis, & simul cum illis vidit secundò dominum, vt ait Matthæus. Istæ rationes me mouent, non Euthymij, qui longe in hac re aberrauit, affirmans omnia, quæ affert Ioannes de Magdalena à principio capitatis, facta esse postquam mulieres viderunt dominum apud Matthæum Immo & Hieronymus hoc ipsum affirmans quæstion. 5. ad Hedibiam, quod quomodo verum esse possit non possum intelligere: quomodo enim viso domino, & adorato, rediret ad monumentum Magdalena, & diceret, *Tulerunt dominum de monumento, & fleret ad illud?*

Non sciebat quia Iesus est.] Nam, vt ait Lyra, in potestate est habentis corpus gloriosum, sic apparere, vt cognoscatur, vel non cognoscatur, vt patet cùm apparuit duobus discipulis euntibus in Emaus, Lucæ ultimo. Causa est, quoniam lineamenta & colores Christi secundum aliquid sui mutabant visum videntium, & secundum aliquid non mutabant, & sic Species in sensu non representabat faciem Iesu qualis erat in se, sed qualis erat in Specie. Quod optimè explicat hic, & in Luca Caetanus experientia hoc docet: nam hominem quantumvis notum, si propter distantiam, aut informitatem visus non integrè videmus, alium esse putamus.

*Cur Domini
num voca-
uerit, eum
hortulanū
putans.*

Domine, si tu susciliisti eum.] Dominum vocat urbanitatis causa, vt vulgo loquuntur homines, non quod eum magnum esse putarit. Hieronymus quæstion. 5. ad Hedibiam: Hic dominum non de confessione veræ fidei Saluatorem vocat, sed humilitate, & timore, hortulano defert obsequium. Quod autem dicit, *Si tu susciliisti eum*, nec nominat quem; S. Thomas, Lyra, & alij dicunt, hunc esse affectum vehementer amantium, vt de quo ipsi cogitant, putent alios etiam cogitare; licet fieri potuit vt cùm eum propè se videret, existimaret intellexisse quod ipsa Angelis responderat, *quia tulerunt Dominum meum, quod viderunt subindicare Chrysost.*

Et

Et ego eum tollam.] Origenes in homil. & Chrysostomus & multi alij magnitudini amoris tribuunt, qui tantam in ea confidentiam efficiebat. Hieronymus quæst. 5. ad Hædibiam, ignorantia & turbationis atque inconsiderationis esse putat.

Dicit ei Iesus, Maria.] Vocavit eam non solum nomine proprio, sed eo etiam sono vocis, quo solebat antea vocare; & ideo illa statim vocem sibi notam agnouit, vt eius responsio indicat.

Conuersa illa dicit ei: Rabboni.] Quomodo conuersa est, si cum ipso loquebatur? ita Chrysostomus homil. 85. Mihi videtur cum dixisset, *vbi posuisti eum*, rursus ad Angelos respexisse tamquam rogatura quid stupuerint, scilicet cum Christum viderunt venientem, & ei cum honore assurrexerunt, & ab his ad Christum se vocantem, & voce quis esset, ostendentem, conuertisse. Hieronymus quæst. 5. ad Hædibiam: stupore perterrita huc atque illuc faciem circumferebat, nihil aliud nisi Dominum videre. hoc mihi videtur valde probabile, est enim propriè inquieti animi, & sollicitè querentis; quod verò dicit, *Rabboni*, id est, Magister, vel, Magister mi, vox Chaldaica est, Hebrei quid. enim dicunt *Rabbi*.

Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem.] Epiphanius lib. 3. in hæresi Massalianorum putat hæc verba dici Mariæ matris Domini, sed id per obliuionem dixisse putandus est. Hinc locum variè expoundunt Sancti, sed conueniunt ferè in eo quod Dominus tangi se prohibuerit, quasi maiorem fidem exigens in Magdalena, & maiorem reverentiam, ut non sicut ad hominem tangendum accederet, sed sicut Deum veneraretur. Varietas est in causa, quam reddit. *Nondum enim ascendi*, &c. Ambrosius in cap. vlt. Luce, ad hunc sensum exponit: Tibi non ascendi ad Patrem, quem quasi mortuum queris: non me iudicas Patri æqualem? Hieronymus quæst. 5. ad Hædibiam, similiter Augustinus tract. 21. intelligunt de tactu Spirituali, qui sit per fidem, vt sit sensus: Noli in me sic credere quemadmodum adhuc sapis, tunc me tanges, cum ascendero ad Patrem, id est, cum me Patri æqualem credideris. Et ita exponit etiam Sermone 60. de verbis Domini, & Sermone 152. & 155. de tempore, & aliis locis. Chrysost. hom. 85. ait: Volebat cum eo familiariter conuersari, vt solebat, & præ latitia nihil magnum de eo cogitabat, abducit eam ab hac sententia, vt se reverenter alloquatatur; quasi dicat, multo melior secundum carnem effectus sum; ad Patrem ascendere paro, nec iam inter mortales verbabor, & ideo reverenterius tecum agere debes, quam solebas; sed ne hoc asperius aut superbius videretur, dixit aliis verbis; *nondum enim ascendi ad Patrem.* Ita etiam Theophylactus & Euthymius. Cyrillus ait, Ante passionem ab omnibus se tangi sinebat, vt omnes sanctificaret, post resurrectionem autem non facile id permittebat, vt doceret se non esse tangendum, nisi ab his qui mundati sunt per Baptismum, & gratiam sancti Spiritus, quam munditiem Christus effecit per aduentum sancti Spiritus, & ideo ait, *Nondum ascendi ad Patrem*,

QQQ 3 scilicet

scilicet ut mittam Spiritū sanctum, & omnes mundemini. Præter istas expositiones, mihi videtur etiam hoc modo exponi posse simplicissimum: sciebat Magdalena Christum ad cælum fore ascensurum, nec postea se fruituram eius conspectu, & colloquio, ideo occasionem datum tangendi Christum, clabi nolebat, cui ait Dominus: *Noli me tangere*, &c. id est, tempus tibi restabit tangendi & colloquendi, adhuc enim sum in terra, nec ascendī in cælum, ideo noli nunc morari, sed gaudio quo fueris, fac ut fruantur Apostoli; neque enim fas est te in summo gaudio esse, illos in dolore iacere. Ex hoc sensu facile tollitur difficultas quomodo se tangi permiserit in Matth. ab ipsa Magdalena, & ab ipsis sociis, cum dixit eis, *Auete: at illæ tenuerum pedes eius.* Respondeatur enim hoc permisisse, quoniam iam ibant ad nuntiandum Apostolis, nec morari volebant, sed tantummodo eum adorare, unde statim eas dimittit. Iuxta priores expositiones Sanctorum respondere possumus, Magdalenam iam non ea familiaritate, qua prius; sed vera & debita cum reverentia accessisse, & ideo permisit Dominus. Caietanus putat, eam apud Ioannem non ad pedes se abiecisse, sed familiariter Christum amplecti voluisse, eiisque aut faciem, aut colum tenuisse; nec mirum, inquit, Caietanus, quoniam tanta erat vis amoris, ut non consideraret quid ficeret in tam magna, insperata ac subita lætitia occursum. Quod Iansenio cap. 145. probabile videtur, & addit Iansenius, quemadmodum videri potest ex caruncula illa, quæ in fronte capitinis Magdalena apud Marsilienses conspicitur, atque ex contactu immortalis manus Domini, eam à suo contactu repellentis, relieta creditur; quod si ita fuit, meritò eam repulit; sed postea ad osculandos pedes cum aliis accedentem non erat cur repelleret. Quod antem Ambrosius in fine Lucæ ad respondendum huic difficultati multis verbis probare nititur aliam esse hanc Mariam Ioannis, aliam illam Matthæi, quæ pedes eius tenuit, à qua sententia non multum abhorruit Hier. q. 4. & 5. ad Hedibiam, iam nequaquam est recipiendum, sicut nec Augustinus, qui statim scriptum receptum esse, tunc enim versabatur in quæstione vtrum una, an plures essent Magdalena, de quo iam quæstio nulla est, ut diximus cap. 11.

Fratres vocat discipulos.

Vade autem ad fratres meos.] Meritò nunc eos fratres vocat, quando secundum corpus maior est, ne eos aut propter timorem & infirmitatem fidei, quam in passione ostenderant, aut propter ignobilitatem contemnere videretur, iuxta illud Ecclesiast. 3. *Quanto magius es, humilia te in omnibus.* Rectè etiam dicit fratres suos, ut ostendat se eiusdem naturæ esse, ac prius, licet alterius gloriae, fratres enim vocat quasi eiusdem secum naturæ participes, iuxta id ad Hebr. 2. *Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex uno omnibus;* propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Tertiò rectè vocat fratres eo tempore, quo mitterendi erant, ut per prædicationem semen fratri defuncto suscitarent, ut habetur Deut. 25.

Ascendo,

Ascendo, ad Patrem meum, &c.] Ut maius in eis desiderium vivendi excitaret, maiorēmque promptitudinem, nec pudore fortasse retardarentur. Chrysostomus dictum putat, ut ipsius Magdalenaē mentem excitaret, & se in cælum ascendere persuaderet.

Annuntians discipulis.] Iuxta Augustinum 3. de consensu. cap. 24. *Annuntiatione facta apostolis.*
 Hic factum est quod ait Lucas; & regresse à monumento nuntiauerunt hoc omnia illis undecim, &c. Et visa sunt ante illos sicut deliramenta verba ista. Certè hoc est quod dicitur Marci, vlt. *Et exprobrauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Et priùs apparet primò Maria Magdalena, illa vadens nunciauit iis, qui cum ipso fuerant, lugentibus & flentibus, & illi audientes, quia viueret, & visus esset ab ea, non crediderunt. Sed aduersus sententiam Augustini, & magnam partem eorum, quæ diximus in conciliatione Euangelistarum, insurgit Iansenius cap. 145. vehementer & probabiliter contendens Augustinum non rectè ordinem descripsisse, quoniam Lucas cùm nullam Domini apparitionem mulieribus factam narrasset, sed tantùm verba Angelorum, ait; & regresse à monumento annuntiauerunt hoc omnia illis undecim, &c. & visa sunt ante illos, sicut deliramentum, verba ista, & non crediderunt illis. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum, & procumbens vidit linteamina sola posita, & abiit secum mirans, quod factum fuerat. Propter hæc verba dicit Iansenius, mulieres cùm primum monumentum adierunt, non rediisse statim, nihil diligenter aspicientes, vt dixit Augustinus, sed vidisse Angelum sedentem super lapidem renolutum, & introeentes in sepulchrum non inuenisse corpus Domini; tunc astitisse secus illas, sicut ait Lucas, Angelos in veste fulgenti, dicentes: *Quid queritis viuentem cum mortuis? at illæ ex euntes citò fugeant de monumento cum timore, & egressæ à monumento nunciauerunt Apostolis,* & visa sunt illis deliramenta: tunc dixit Maria Petro & Ioanni: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum, & cucurrerunt ad sepulchrum; quo tempore recedentibus Apostolis mansit Maria, & vidi Angelos, dicentes sibi: Mulier quid ploras, & cætera quæ sequuntur in Ioanne, & probat etiam Iansenius ex verbis discipulorum Lucae vltimo, *Sed & mulieres quadam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuenient corpore eius venerunt dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere, & abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenierunt, sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non inuenierunt.* Ergo Petrus & Ioannes non cucurrerunt ad monumentum, donec mulieres dixerunt, se vidisse Angelos. Ista sententia Iansenij non est prorsus improbabilis: nam & Tatianus & Ammonius in Harmonia Euangelistarum, putant eas vidisse Angelos antequam quidquam discipulis renunciarent, & antequam Petrus & Ioannes cucurrerunt ad monumentum, quam ex recentioribus sequuntur Ioannes Bos, Petrus Bos, & Iacobus Villalobos supra. Sed mihi falsa videtur.

Probatur,

Probatur, quoniam cùm mulieres venerunt ut nunciaerent Apostoli, nuntiauerunt omnia quæ audierunt ab Angelis, & quæ viderant, vt ait Lucas: quomodo ergo tunc dicere potuerunt, Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. nam hoc dixisse testis est Ioannes. Respondet Ianuenius illas non credidisse Angelis, & ideo retulisse verba Angelorum, & simul suam sententiam explicasse, nempe sublatum esse corpus de monumento. Sed falsum est eas non credidisse. nam verba Euangelistarum aperte indicant credidisse Angelis. Matthæus ait, Exierunt cùtò de monumento cum timore, & gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius. Certe cùm corpus non videbant, si non crederent resurrexisse, nullo modo gauderent, sed potius flerent, vt flebat Magdalena, cùm non credebat; & Lucas, cùm dixissent Angeli mulieribus, vt recordarentur Christum promisisse suam resurrectionem, ait, & recordata sunt verborum eius, quod indicat eas credidisse: vnde sequitur, & regressa à monumento nunciauerunt hac omnia illis undecim. Præterea Lucas ait, illas hæc nunciasse vnde cùm discipulis, & aliis, Ioannes autem venisse ad Simonem & Ioannem, eoque ad monumentum cucuruisse. Ex quo intelligimus non eamdem esse narrationem. Ut hæc omnia melius intelligantur, & Euangelistarum concordia pateat, notandum est maxime hunc esse morem Euangelistarum, vt cùm alias alia prætermittat, ita tamen filium historiæ contexatur, vt nihil relinquere videatur, quasi nihil interpositum sit inter res quas narrant: hoc vbiique in Ioanne videamus, qui multa scripsa ab aliis reliquit, & idem in cæteris videre licet. Non igitur turbet nos cùm aliquis Euangeliſta narrat aliquid quasi continuò factum, post id quod narratum est, quia sæpe inter hæc duo facta sunt alia quæ alij narrant: sed quia ipse narratus non erat, perinde contexuit historiam, ac si illa facta non fuissent. Hoc supposito ordo rerum gestarum, qui probabilissimus omnium videotur, huiusmodi est. Manè venerunt Magdalena, & aliæ ad monumentum, & dicebant intra se: Quis reuoluet nobis lapidem? Et cùm proprius accederent, viderunt lapidem reuolutum, & cucurrerunt ad Simonem, & Ioannem, & dixerunt: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus ubi posuerunt eum. Nam non solā Magdalenam, sed alias simul hæc verba dixisse, patet, quia pluraliter loquitur, hunc reditum earum ab aliis omissum Ioan. more suo narravit, cæteri autem, quia narraturi non erant, ponunt continuè visionem Angelorum, quasi statim consecutam, cùm statim consecuta non sit. Sed prius venerint Petrus & Ioannes ad monumentum, & cum eis mulieres, & non inuento Domino recesserunt Apostoli, & abierunt ad semetipsos. Maria autem non rediit cum eis; sed cum mulieribus stabat ad monumentum, plorans. Tunc viderunt mulieres Angelum sedentem supra lapidem, vt aiunt Matthæus & Marcus, quo hortante ingressæ sunt in locum saxej sepulchri, & viderunt duos Angelos sedentes ad caput & ad pedes sepulchri, qui dixerunt Magdalena: Mulier, quid ploras?

ploras? dicit eis: *Quia tulerunt Dominum meum de monumento, & nescio vbi posuerunt eum.* Addit statim Ioan. *Hec cum dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit Iesum stantem, &c.* Quasi statim post illa verba conuersa fuerit, & Iesum viderit, quod non ita intelligendum est: Nam statim surrexerunt Angeli illi, & dixerunt: *Quid quaritis viuentem cum mortuis, & cætera verba quæ sunt in Luca, tunc illæ exierunt de monumento cum timore, & gaudio, fugientes, & nemini quicquam dicebant, vt ait Marc.* Timor ex visione Angelorum oriebatur, gaudium ex resurrectionis nuncio, quem ab Angelis acceperant. Sed cæteris longius recedentibus, Magdalena mansit prope sepulchrum, & fortasse hoc significauit Ioannes, cùm dixit, *Conuersa est retrorsum, &c.* id est, cæteris fugientibus conuersa est à fuga, & rediit versus sepulchrum, adhuc tamen plorabat: quia cùm Dominum non videbat, ex instabilitate & inquietudine mentis iterum cœpit dubitare de visione Angelorum, & de veritate resurrectionis, donec vidit Christum ipsum; inde ad alias mulieres se adiungens veniebat ad discipulos, & in via occurrit illis Dominus, & dixit: *Auete, At ille tenuerunt pedes eius:* tunc omnes magis illa visione confirmatae, renunciaverunt Apostolis, & illi non crediderunt. Hic dicit Augustinus ponenda esse illa verba Lucæ, & *visa sunt ante illos, sicut deliramentum,* & ita etiam censem Tatianus & Ioan. Bos, locis citatis, & Fr. Gabriel à Pureo herboſo loco citato cap. 21. Quam meritò autem hic ponantur, patet ex verbis Marci citatis, vbi bis dicit Apostolos non credisse iis qui viderant Dominum viuentem: patet etiam, quoniam ex quo viderunt Angelos, non redierunt ad Apostolos, donec Christum viderunt, vt videmus in Matthæo, & Marco. Rectè igitur constant omnia, si verba Lucæ explicitur, ad quæ responderetur, Lucam nihil narrasse de apparitione Christi facta mulieribus, & ideo quod factum est post visum Dominum, narrat quasi factum esset antequam videretur, & eadem ratione discipuli apud eum tantum dicunt. *Dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere.* Quamvis etiam dicere possumus, eos nullam mentionem fecisse apparitionis factæ mulieribus, sed tantummodo Visionis Angelorum, quoniam putabant ridiculum, & delirium Dominum apparuisse mulieribus, non autem apparuisse Apostolis. Plus putabant habere verisimilitudinis Angelos nuntiare eius resurrectionem, & ipsum à nemine visum esse, fortasse etiam præ timore non sunt ausi peregrino dicere totum quod audierant, ne magistrum suum Deum confiteri viderentur, & in odium & poenas Iudæorum incurrent: & propterea humiliter de eo loquuntur, dicentes, *de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, &c. &c., Nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus Israël.* Non audent dicere, *speramus, vel non dicunt Christum visum esse mulieribus, ne & ipsi tardiores & reprehensibiliores iudicarentur, qui nec ita credidissent, sicut illis dixit Christus, O stulti & tardi corde ad credendum.* Illud est longè difficilius, quod

postquam narravit Lucas Apostolos non credidisse mulieribus visionem Angelorum narrantibus , addit continuo , *Surgens autem Petrus cucurrit ad monumentum , & procumbens vidit linteamina , &c.* Respondet Augustinus 3. de consensu. cap. 25. Lucam hoc dixisse recapitulando. Antea enim factum fuerat cum cucurrerunt Petrus & Ioannes : nam non solum Petrum cucurrisse , satis ostendit Lucas , cum apud eum inquit Cleophas , & abierunt quidam ex nostris ad monumentum , & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt. Sed Lucas solum Petrum commemorauit , quia illi primitus Maria nuntiauerat : quod autem ait Lucas , & procumbens vidit linteamina pesta , quod Ioannes de seipso dixit antequam ingredetur , intelligendum est Petrum similiter antequam introiret procubuisse , aut inclinasse se , & vidisse linteamenta , sed deinde ante Ioannes ingressus est , ut inquit Ioannes , atque ita conciliantur Lucas , & Ioannes . hæc Augustinus. Possimus etiam aliter respondere. Primo quidem cucurrisse ad monumentum , Petrum & Ioannem , cum mulieres tantummodo lapidem reuolutum narrassent , ut ait Ioannes. Sed cum iterum mulieres dixerunt Apostolis , se non solùm Angelos , sed ipsum quoque Dominum vidisse , cucurrit iterum Petrus , & procumbens vidi linteamenta , & abiit secum mirans quod factum fuerat. Hunc secundum exitum Petri ponit Fr. Gabriel suprà. Et probabilissimum est eo tempore Petro abeundi & intra se miranti Christum apparuisse , iuxta illud Lucæ , & inuenerunt congregatos undecim , & eos qui cum illis erant , dicentes quod surrexit Dominus vere , & apparuit Simoni. postquam autem Petrus secundò cucurrit ad monumentum , venerunt & alij ex Apostolis , siue ex discipulis , & propterea dicit Cleophas , Sed & quidam ex nostris abierunt ad monumentum.

Cum ergo serò esset.] Hæc est eadem apparitio quæ narratur à Luca , cum ait , *Stetit Iesus in medio eorum , &c.* Sed queritur quomodo eis apparuit in Hierusalem , cum dixerit in Matth. *Nuntiate fratribus meis ut eant in Galileam , ibi me videbunt.* Huic difficultati respondet Hieronymus quæst. 7. ad Hedibiam , in Hierusalem visum esse Dominum obiter ad consolationem discipulorum , & statim ex oculis tollebatur. Sed in Galilæa tanta familiaritas erat , & perseuerantia , ut simul cum eis versaretur , & vesceretur ; & ibi factum fuerit illud Act. 1. *Quibus & prebuit seipsum vinum post passionem suam in multis argumentis per quadraginta dies , &c.* Cum igitur Dominus ait , *ibi me videbunt* , loquitur de morosa , & familiari , & per multos dies continuata visione : & ita nihil obstat quod obiter visus fuerit in Hierusalem. Ambrosius in Luc. ait : *Iusserat discipulos Dominus in Galilæam ire , ut ibi videretur ; sed quoniam præ timore intra conclave residebant , ibi primum sese illis obtulit ; postea vero confirmatis animis illi Galilæam petierunt.* Idem ait Euthymius in Matth. & S. Thomas 3. parte quæst. 55. art. 3. ad 4.

Nec

Quomodo
Dominus
discipulis
apparuerit
in Ierusa-
lem.

Nec hoc est promissi transgressio , sed festinata etiam benignitate impletio , quoniam , vt ait Chrysostomus homil. 85. cum mulieres dicerent se vidisse Dominum , verisimile erat discipulos audientes aut non credere mulieribus , aut ægrè ferre quod ipsi quoque non fuerint digni habiti qui viderent , & propterea eodem die eis apparuit , licet promiserat se in Galilæam esse videndum . Notandum etiam , vt ait August. 3. de consensu . cap. 25. non dixisse , ibi me primum videbunt , sed , ibi me videbunt . Ex quo patet & impie & stulte Julianum apostamat calumniatum esse hæc verba Domini apud Matthæum . Pater etiam ridiculum esse & contra Sanctorum doctrinam , quod scribit Medina lib. de terra sancta , & Aranda tractatu primo cap. 26. & Italus quidam , qui patria lingua scripsit itinerarium terræ sanctæ , & Ioan. Soarez in Marc. hanc Galilæam , de qua loquitur Matthæus , esse locum in summitate montis Oliueti , & montem quemdam , & ibi discipulis apparuisse Dominum .

Et fores essent clausæ .] Durandus in 4. d. 44. q. 6. affirmat fores quidem fuisse clausas , sed potuisse tamen repente aperiri , & claudi , vt Dominus ingredetur , aut potuisset ingredi per fenestras , aut per rimas tabularum . putauit enim nec per diuinam potentiam fieri posse vt duo corpora se penetrerent : eius error est contra concordem Sanctorum sententiam , qui adnotant foribus clausis ingressum esse , & subito eis astitisce , quomodo apparere solent Angeli . Ita Ambrosius in Luc. Hieronymus quæst. 7. ad Hedibiam . Chrysostomus hom. 85. Augustinus tract. 121. Cyrillus , Theophylactus , & cæteri omnes .

Et stetit in medio .] Vt melius ab omnibus videri & tangi posset .

Pax vobis .] Salutatio Hebræorum visitata . Hieronymus in illud Matth. 10. Intrantes autem in domo salutate eam , & siquidem fuerit illa dominus digna , veniet pax vestra super illam : ita , ait , occulte salutationem Hebræi ac Syri sermonis expressit , quod Græcè dicitur χαιρε , & Latinè , Aue . hoc Hebraico Syrōque sermone appellatur שָׁלֹמְךָ Sa-
lom lach . id est , pax tibi . Vel ταῦτα Σαλομ imach . id est , pax tecum .

Ostendit eis manus & latum , &c. .] Et etiam pedes , vt habemus in Luc. quoniam in ipsis partibus manebant adhuc cicatrices , vt illud corpus , quod cruci fuit affixum , resurrexisse monstraret , vt ait Cy-
rillus . Augustinus tract. 121. Ad dubitantium corda sananda vulnerum sunt seruata vestigia .

Ganisimus ergo discipuli viso Domino .] Impleuit Dominus , vt aiunt Chrysostomus , & Cyrillus , quod promiserat cap. 16. Iterum videbo vos , & gaudebit cor vestrum ; sicut misit me Pater , & ego mitto vos . id est , vobis meum munus trado , & vos meos vicarios constituo . Ita Chrysostomus , Theophylactus , & Euthymius . vide dicta cap. 17. ibi : Sicut tu me misisti in mundum , ita & ego mitto eos in mundum . Quod au-
tem secundò dixit , Pax vobis , significat eos certam , & firmam , & copiosam Christi pacem ac lætitiam semper esse habituros .

Insufflavit .] Aug. tract. 121. Insufflando significauit Spiritum sanctorum

Apparitio
Christi fa-
cta discipu-
lis .

Salutatio
Hebreis
visitata .

Apostoli vi-
carij Domi-
ni consti-
tuati .

Insufflatio
Domini .

non Patris solius esse, sed & suum. Idem ait Cyrillus, & merito; insuffratio enim, datio est corporei Spiritus, & præter ea aptissimè congruit, vt ait Caietanus, ad significandum donationem sancti Spiritus, vt etiam per sensibilia facta instruamus de his quæ intus fiunt in anima. Addit hoc Cyrillus. Primò per verbum Dei factus est homo, & inspiravit Deus in eum spiraculum vitæ, Gen. 2. & sui Spiritus participatione eum muniuit; verùm quoniam per inobedientiam decidit, & pristinum decus amisit, formauit eum rursus Deus Pater, & in nouam reduxit vitam per filium. Ut ergo ipsum esse discamus qui initio naturam nostram creauit, & Spiritu sancto signauit, ruris in initio renouandæ naturæ sufflatione Spiritum discipulis largitur, vt sicut creati ab initio sumus, sic etiam renouemur.

Accipite Spiritum sanctum.] Quærunt sancti, quomodo hic Spiritum eis tribuat, cùm illum promiserit in diem Pentecostes? Chrysostomus homil. 85. refert quorundam sententiam, nunc datum esse ris Spiritum sanctum, sed tantum per hanc sufflationem redditos esse idoneos ad illum postea accipiendum, quam sententiam sequuntur Theophylactus, & Euthymius, sed Chrysostomus, ait hic loqui Christum de potestate & gratia spirituali, quam acceperunt ad remittenda peccata. Postea autem in die Pentecostes acceperunt Spiritum ad miracula & signa, quam expositionem nihilominus Theophylactus, & Euthymius recipiunt. Cyrillus respondet, multa Christum generaliter promisisse, quæ postea ex parte fecit, vt crederent homines ipsum quoque generaliter facturum vt promisit: verbi gratia, promisit resurrectionem generalem mortuorum, & tamen ante hoc tempus ipse resuscitauit quosdam. Dicit etiam Matth. 13. *Fulgebunt iusti sicut sol, &c.* & vt hoc ostenderet, transfigurauit seipsum prius Matth. 17. eodem modo cùm se missurum ad omnes Spiritum dixerit in die Pentecostes, nunc primitias huius promissionis & quasi arrabonem quemdam nobis dedit in discipulis. Itaque nunc dedit Spiritum verè, alias non diceret, accipite, si non daret, sed expressiore operationem gratiæ dedit in die Pentecostes, & apertiorum manifestationem inhabitantis Spiritus in illis. Ex his Cyrilli verbis videmus quām absurda sit illa prior Theoph. & Euth. expositio. *Accipite Spiritum sanctum*, id est, idonei estote ad accipiendum. dicit etiam Cyrilus eos accepisse hic potestatem administrandi sacramenta, sive mysteria gubernandi, & remittendi peccata per Baptismum, & pœnitentiam. Omnia tamen optimè respondet Hieronymus quæst. 9. ad Hedibiam, dicens, varias esse Spiritus sancti donationes & inspirationes, & operationes, iuxta id 1. ad Corinth. 12. divisiones gratiarum sunt, &c. Quibus enumeratis ait. Prima igitur die resurrectionis acceperunt Spiritus sancti gratiam, qua peccata dimitterent, & baptizarent, & filios Dei facerent, & Spiritum adoptionis credentibus largirentur, ipso Saluatore dicente, *Quorum remiseritis peccata, &c.*

Die

Die autem Pentecostes eis amplius repromissum est ut baptizarentur Spiritu Sancto , & induerentur virtute ex alto , qua Christi Euangeliū omnibus Gentibus prædicarent , iuxta id Psal. 67. *Dominus dabit verbum euangelizantibus , virtute multa , vt haberent operationem virtutum , & gratiam sanitatum , & prædicaturi multis Gentibus acciperent genera linguarum : vt iam tunc cognoscerentur qui Apostolorum quibuscque Gentibus deberent nuntiare.* In hanc sententiam conueniunt omnes sancti , videlicet accepisse Apostolos , hīc potestatem remittendi peccata per pœnitentiam . Ex quo patet quām verē docuerit Tridentinum sess. 14. c. 1. hoc potissimum loco Institutum esse sacramentum Pœnitentia , & per inflationem ac verba Domini , *Accipite , &c.* communicatam fuisse a Christo potestatem remittendi & retinendi peccata per pœnitentiam Apostolis , & eorum legitimis successoribus , sicut (inquit) vniuersorum Patrum Consensus semper intellexit . Sed duo sunt hīc notanda : Primum est , Caietanum , licet de eodem Sacramento interpretetur , non rectē tamen esse locutum , primum cūm dixit , non fuisse à Christo institutum , sed relictum Ecclesiæ , videlicet , an voluntaria peccati confessio publica esse deberet , an priuata : secundō , cūm ait , his verbis non tradi præceptum confessionis , quorum utrumque est apertè contra Concil. cap. 5. & Can. 6. Secundum est , ibidem Canon. 3. scriptum esse , si quis dixerit , verba illa Saluatoris , Accipite Spiritum sanctum , &c. non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in sacramento Pœnitentia , sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit , detorserit autem contra institutionem huius Sacramenti , ad autoritatem prædicandi euangeliū , anathema sit , &c. tamen Cyrill. lib. 12. in Ioan. c. 55. & 56. apertè videtur docere , hoc loco tradi Apostolis potestatem prædicandi Euangeliū . Respondeatur ad hoc , anathematis sententiam ferri in recentes hæreticos , qui dicebant , haec verba non intelligi de sacramento Pœnitentia , sed de potestate & authoritate prædicandi . Cyrus autem nequaquam hoc intelligit de his verbis : *Accipite Spiritum sanctum , Sed de illis quæ præcedunt , Sicut misit me Pater , & ego mitto vos , pei quæ verba intelligit eos constitui Euangeliū prædicatores , non tamen solū prædicatores , vt hæretici volunt , sed etiam Sacramentorum , sive mysteriorum ministros , quod hæretici negant , vt apertissimè ostendit ipse in principio utriusque capituli citato . Verba autem sequentia , Accipite Spiritum sanctum , &c. tantum intelligit de potestate remittendi peccata per Baptismum & pœnitentiam , vt patet prope finem c. 56. quemadmodum etiam intelligit Hieronymus , vt dictum est . Et eodem modo intelligit Rupertus , Iansenius & alij . Est ergo sensus . Accipite Spiritum sanctum , per quem trado vobis potestatem ordinis , quam etiam qui est in peccato habere potest , & simul vobis trado gratiam & sanctificationem , vt dignè & sancte hanc potestatem exerceatis , non in aliorum solū salutem , sed etiam in vestram , quoru remiseritis peccata ; verē enim remitteris ut ministri mei ,*

*Apostolorū
potestas re-
mittendi &
retinendi
peccata per
pœnitentiam .
Sacra-
mentum Pœni-
tentia .*

& non tantum remissa esse ostendetis, &c. Et quorum retinueritis, vel non absoluendo eos, quia ad vos non veniunt, vel quia absolutione indignos putabitis, &c.

*Didymus
quid.*

*Thomas
quomodo
potestatem
aceperit
remitendi
peccata, si
non fuie
cum Apo-
stolis.*

*Quomodo
absens fue-
rit congrega-
tus alii.*

*Quomodo
undecim
fuerint
Thoma ab-
sente.*

*Collegium
Apostolo-
rum.*

Qui dicitur Didymus.] Interpretatur Euangelista nomen Thomæ, nam qui Græcè dicitur Διδυμός, id est, geminus, sive gemellus, quod eodem partu cum altero natus sit, Hebraicè dicitur θωμᾶς theom, ut Gen. 38. Apparuerunt gemini in utero eius, pro eo quod est gemini, est in Hebreo θωμᾶς theomim. Itaque Didymus non est alterum nomen Apostoli, vel cognomen, sed proprij nominis interpretatio. Sed queritur primò quomodo acceperit hanc potestatem remittendi peccata Thomas, si non erat cum Apostolis, ut ait Euangelium. Cyrillus ait tunc accepisse cùm acceperunt alij, licet abesset; quoniam voluntas Christi fuit omnibus Apostolis dare. Probat à simili, quoniam Num. 11. eligen-te Moysè septuaginta senes, dedit illis Deus Spiritum sanctum, & cùm duo ex illis Eldad & Medad mansissent in castris, etiam illis datus est Spiritus, & ita prophetabant ut illi, qui erant cum Moysè ad ostium tabernaculi Domini. Probabilius tamen est non tunc accepisse hanc potestatē, quia erat potestas Ordinis, quæ non datur absenti, sed postea cùm Dominus redit, & credidit; licet Euangelista non narret. Secundò queritur quomodo aliis congregatis Thomas abfuerit. Respondet Chrysostomus homil. 86. Theophyl. & Euthym. Credibile est eum ex fuga nondum rediisse. scilicet, quia in passione dispersi fuerant per varia loca, ut Dominus prædictus Ioan. 16. in fine, & ideo non apparuit illis nisi sero, quoniam antea non fuerant congregati, ut ait Chrysostomus hom. 85. Sed aliam causam veriorē reddimus paulo post. Est autem hīc magna difficultas, videtur enim Ioannes aperte contradicere Lucæ, qui ait, & innenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, &c. Quomodo erant undecim, si Thomas aberat? Et ne aliquis dicat post hæc Thomam recessisse, sequitur, *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, &c.* Euthym. in Luc. ait: Dicendum est ergo, quod ex quo Matthias aderat, qui loco Iscariotis sorte electus est, etiam ipsum connumeravit tanquam cum undecim Apostolis cooptatum. quasi dicat, innenerunt undecim congregatos, non undecim Apostolos, qui tunc erant, sed undecim Apostolos qui erant cùm hæc scribebantur à Luca. Iansenius autem cap. 146. in fine dicit, Lucam per Synedochen dixisse undecim, quoniam collegium Apostolorum tunc dicebatur collegium undecim, quod collegium rectè dicitur congregatum, licet unus abesset. Idem ait ferè initio cap. 147. & probat ibi ex 1. Corinth. 15. Post hæc apparuit undecim, vbi Graci legunt duodecim, quam lectionem August. magis probat, dicens numerum illum duodenarium à Domino consecratum in undecim etiam mansisse, præcipue cùm in Iude locum statim esset Matthias sufficiendus. Mihi hæc solutio Iansenij difficilis videtur ac dura; undecim enim non collegium significat, sed numerum hominum, qui si decem erant, undecim dici non poterant. Neque ei fauet August. 3. de consensu cap. 25. inquit enim,

enim, duodecim, quibus Paulus dicit Christum apparuisse, fieri posse ut sint de turba discipulorum: nam illos, quos Apostolos nominauit, non duodecim, sed vndeclim diceret. Denique & in lectione huius loci, & in sensu dubius fuit. ita enim ait: Sed siue illi codices verius habeant, qui vndeclim habent, siue alios quosdam discipulos Paulus velit intelligi, siue sacramentum illum numerum etiam in vndeclim state voluerit, quia duodenarius in eis numerus ita mysticus erat ut non posset in locum Iudee nisi alius, id est, Matthias ad conseruandum Sacramentum eiusdem numeri subrogari, &c. Ex quo patet illam rationem Iansenij non esse Augustini etiam cum dubitat, nec pertinere ad vndeclim, sed ad duodecim, propter mysterium numeri duodenarij significantis vniuersitatem. Melius ergo respondetur cum eodem Augustino ibi, cuius haec sunt verba: Proculdubio intelligendum est quod inde Thomas exierit antequam eis Dominus haec loquentibus apparet. ita etiam Beda & Lyra & Caietanus hic. Itaque intelligere debemus duos discipulos, qui ex Emaunte redierant, inueniente congregatos vndeclim, ibique narrasse quae gesta erant in via, & quomodo cognoverunt Dominum in fractione panis. dum haec loquerentur, stetit Iesus in medio eorum: sed iam Thomas exierat, & eos in medio sermone liquerat, quae fecisse arbitror, quia videbat ipsos credere, ipse autem non credebat, & ideo quasi offensus quodammodo eorum credulitate parum cum eis mansit, ita enim facere solemus cum nobis sermo aliorum displiceret.

Fixuram clauorum.] Legendum videretur figuram. est enim in Græco τύπον, quod propriè significat figuram, & ita vertit Pagninus, & in quibusdam veteribus codicibus nostræ vulgata ita haberi, testatur Erasmus, hodiéque videmus in multis libris emendatum in margine. Sed fixira hoc loco idem est quod figura, relicta ex clauorum fixione.

Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus.] Chrysostomus homil. 86. Qua gratia ei continuò non apparuit, sed post dies octo: ut in terea à discipulis edoctus iisdem auditis in maius traheretur desideriū, & magis in fide confirmaretur. Ex his verbis docet Augustinus, ante transisse dies octo quam Dominus in Galilæa se ostenderit discipulis, 3. de consensu cap. 25. Et idem videtur sentire Euthymius, & Caiet. initio cap. sequentis; atque ideo dicere videtur Ioannes, Iterum erant discipuli eius intus, quia erant in eodem loco, in quo prior apparitio facta fuerat. Sed Hieron. in Matth. aperte ostendit hanc apparitionem contigisse in Galilæa. Nam cum explicat illud, Vndeclim discipuli abierunt in Galilæam, ait, tunc manifestius ostenditur Thomæ, & latus lancea vulneratum, & manus fixas demonstrat clavis. Idem affirmat hic Rupertus, propter haec verba Hieronymi, & ita mihi videtur dicendum, quia cum Dominus eos iussisset ire in Galilæam, non est credibile tamdiu moraturos esse in Hierusalem. Secundò, quoniam initio capituli sequentis dicitur, Postea manifestavit se iterum Iesus ad mare Tyberiadis, nec dicit iterum, respectu apparitionum, factarum

Alia Domini appariatio.

factarum discipulis, quia ista apparitio non erat secunda, sed tertia, sicut ibidem dicitur, *hoc iam tertio manifestatus est Iesus discipulis suis*, erat igitur secunda earum quae facta sunt in Galilaea, quare prima fuit haec cum visus est Thomæ. Quod si dicas eos iam sine timore fuisse in Galilaea, ideoque non habuisse cur fores clauderent. Respondetur aliis causis potuisse fores claudi, ut quia nōx erat, aut similibus, &c.

Venit Iesus.] Chrysostomus ibidem considerat Domini clementiam, quomodo etiam pro una anima vulnera sua ostendit. Et ut unum saluum ficeret, apparuit, & cum crassioris esset ingenij à crassissimo sensuum fidem sibi querit, id est, à tactu.

Dominus meus, & Deus meus.] Cum articulo dixit, ut notauit Cyrillus, ut ostenderet se verum Deum confiteri.

*Thomas an
etiam teti-
gerit Do-
minum.*

Quia vidisti me Thoma.] Aliud vidit, & aliud credidit, ut ait Gregorius hom. 26. in Euangelia, hominem vidit, & Deum confessus est. Sed queritur utrum tantum viderit, an etiam tetigerit. Glossa dubitat. Euthymius putat non tetigisse. Sed contrarium sentit Augustinus, qui tractatu 121. ait, videbat, tangebatque hominem, & confitebatur Deum, quem non videbat, neque tangebat: sed per hoc quod videbat, atque tangebat; illud iam remota dubitatione credebat. Idem ait Gregorius, & Cyrillus, & Theoph. & Beda. Idem sentire videtur Chrysost. nec videtur dubitandum, quia cum Dominus dixerit, *Infer digitum tuum huc, &c.* nisi ita factum esset, non præteriret Ioannes, eum sine tactu credidisse. Pertinet etiam hoc ad fidem resurrectionis in omnibus fidelibus magis confirmandam, propter quod Dominus hanc dubitationem permisit in Thoma, ut docet D. Greg. supra. Nec obstat quod ait: *Quia vidisti me, quia, ut ait Augustinus & alij, generalis quodammodo sensus est visus: ut cum dicimus, vide quam bene sonat, quam bene oleat, &c. Beati qui non viderunt, & crediderunt*, hoc dicit de his, qui per Apostolorum prædicationem crediderunt, quorum fides ceteris paribus maioris meritii fuit, ita intelligunt Chrysostomus, Augustinus, Gregorius, Theophil. & alij. *Quod si queras, quare dicit crediderunt, & non dicit credent.* Respondeat Augustinus, ita præteriti temporis visus est. Verbis, tamquam ille, qui, quod erat futurum, in sua nouerat prædestinatione iam factum. Primo merito loquitur ita, licet agat de re futura, quoniam cum illi beati futuri erant, iam crediderant, quod non viderant.

*Quae signa
hec fuerint.*

Multa quidem & alias signa.] Chrysostomus, Theophil. & Euthym. putant Ioannem loqui de signis factis post resurrectionem, quibus se discipulis manifestauit, & ideo dixisse in conspectu discipulorum suorum. Nam signa facta ante resurrectionem, in conspectu omnium facta sunt. Sed secunda expositio, quam subdit Euthymius, scilicet intelligi haec verba de omnibus signis factis ante & post resurrectionem, est probabilius, quoniam hic loquitur Euangelista, quasi librum claudere volens. August tract. 172. Hoc caput velut libri huius indicat finem; & quoniam capite sequenti narraturus erat capturam piscium, in

in qua ecclesiae Sacramentum commendatur, scilicet qualis futura sit ultima resurrectio mortuorum, voluit illa verba addere, ut essent finis praecedentis historie, & quasi procemium quoddam sequentis, quod ei quodammodo ficerent eminentiorem locum. Iansen. c. 147. affirmat ista verba posita esse a Ioanne, ut finem Euangelij. Sed cum postea memorie occurrerent quae ultimo cap. posita sunt, potissimum quae de primatu Petri dicuntur, dignum iudicasse ut litteris mandarentur. Mihi non sit verisimile Ioannem non habuisse animum plura scribendi cum haec dixit, sed arbitror dixisse, quoniam multa præterierat ab aliis Euangelistis narrata, quae noluit ab aliquo falsa putari, eo quod a se præterita essent, ut aiunt. S. Thom. Lyra, Caiet. Est ergo ac si diceret: Antequam pateretur Christus, plura signa fecit: & postquam resurrexit, sape se ostendit, nunc his, nunc illis usque ad id quod ego modò narrabo. Sed mihi satis fuit haec scribere, ut per ea credatis ipsum esse verum Messiam. Deinde narrat aliam apparitionem, quae sequenti cap. 21. non tam, ut veritas resurrectionis ostendatur iam satis manifesta ex dictis, quam ut mysteria describantur Ecclesiae, & primatus Petri, ut dictum est: nam ad fidem Christi & resurrectionis satis erant præcedentia.

In nomine eius.] Id est, per eum, ut exponit Chrysost. de quo dixi latius c. 16. ibi, Si quid petieritis patrem in nomine meo, &c.

Ribera in Euang. Ioan.

SSS SANCTVM

S A N C T U M
IESV-CHRISTI EVANGELIVM
SECUNDVM IOANNEM.
C A P V T X X I .

POSTE manifestauit se iterum IesuS discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: 2. Erant si-
mul Simon Petrus, & Thomas, qui dicitur Didymus,
& Nathanael, qui erat à Cana Galilæe, & filij Zebe-
dei, & alijs ex discipulis eius duo. 3. Dicit eis Simon Petrus: Vado pis-
cari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt, & ascenderunt
in nauim: & illa nocte nihil preendiderunt. 4. Manè autem facto
stetit IesuS in littore: non tamen cognouerunt discipuli, quia IesuS est.
5. Dixit ergo eis IesuS: Pueri numquid pulmentarium habetis? Re-
sponderunt ei: Non. 6. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, &
inuenietis. Misericordia ergo: & iam non valebant illud trahere pre-
multitudine piscium. 7. Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat
IesuS, Petro, Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus
est, tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. 8.
Alij autem discipuli nauigio venerunt, (non enim longè erant à ter-
ra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. 9. Vi ergo des-
cenderunt in terram, viderunt prunas positas, & pisiem superposi-
tum, & panem. 10. Dicit eis IesuS: Afferte de pisiibus, quos pren-
didistis nunc. 11. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram:
plenum magnis pisiibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti
essent, non est scissum rete. 12. Dicit eis IesuS: Venite, prandete. Et
nemo audebat discubentium interrogare eum: Tu quis es? scientes,
quia Dominus est. 13. Et venit IesuS, & accipit panem, & dat
eis, & pisiem similiter. 14. Hoc iam tertio manifestatus est Ie-
sus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis. 15. Cum ergo
prandissent, dicit Simoni Petro IesuS: Simon Ioannis, diligis me
plus his? Dicit ei. Etiam Domine, tu scis quia amo te: Dicit ei:
Pasce agnos meos. 16. Dicit ei iterum: 16. Simon Ioannis, di-
ligis

ligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quia amo te, Dicit ei: Pasce agnos meos. 17. Dicit ei tertio: Simon Ioannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio, Amas me? & dixit ei: Domine tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. 18. Amen, amen dico tibi: cum essem iunior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quod tu non vis. 19. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. 20. Conuersus Petrus, vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cena super petitus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te? 21. Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Iesu, Domine, hic autem quid? 22. Dicit ei Iesus: Si eum volo manuere donec veniam, quid ad te? tu me sequere. 23. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus: Non moritur; sed: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? 24. Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit haec: & scimus, quia verum est testimonium eius. 25. Sunt autem & alia multa, quae fecit Iesus: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt libros.

IN CAPVT XXI. SANCTI
IESV-CHRISTI EVANGELII
SECUNDVM IOANNEM,
COMMENTARIA.

Ad mare Tiberiadis in Galilea.] De hoc mari diximus latè cap. 6.
Et ali ex discipulis eius duo.] Quos non nominat, ut ait Lyra, quia erant ex minoribus; solet enim Scriptura maiores potissimum nominare.

Vado pescari.] Chrysost. hom. 86. Cum enim non frequenter Iesus cum eis versaretur, nec adhuc Spiritus datus esset, nec haberent quid facerent, ad artem suam redierunt. querit Aug. tract. 122. quomodo post vocationem ad Apostolatum iterum redierunt ad pescationem, quam propter Apostolatum reliquerant, cum Scriptum sit. Luc. 9. Nemo mittens manum suam ad aratum, &c. Respondeo, non fuisse eis prohibitum Apostolatus sui dignitate & integritate seruata, viatum necessarium querere arte sua, quae licita erat, si quando vnde viuere aliud non haberent. Sicut Paulus post Apostolatum manibus sibi viatum comparabat, ne grauaret eos, quibus prædicabat Euangelium, Actuum

Quomodo
redierint
Apostoli ad
pescationem
vocati iam
ad Aposto-
latum.

20. vt in hoc quoque impletum sit quod ipse ait, i. ad Corinthon. 15.
Abundantis illis omnibus laboravi, & addit statim, non autem ego, sed gratia Dei mecum. Gratiae enim Dei deputandum est quod & animo & corpore poterat usque adeo plus illis omnibus laborare, ut neque cef- faret ab Euangelio praedicando, nec ex Euangelio, scilicet ut illo su- stentaret hanc vitam, eamdemque proponit Gregorius hom. 24. in Euangelia, & similiter responder. Negotium, inquit, quod ante conuer- sionem sine peccato stetit, hoc etiam post conuerzionem repetere culpa non fuit. Vnde Matthæus nunquam ad telonium rediit, quod vix sine peccato officium illud exerceri possit; Petrus vero rediit ad pescationem, in qua peccatum non erat.

Non tamen cognoverunt discipuli, quia Iesus est. Huius rei causam redi- didimus cap. 20. ibi, & vidit Iesumstantem, & non sciebat, quia Iesus est.

Pueri, nunquid pulmentarium habetis.] Chrysostomus: Adhuc more hominis loquitur, quasi empturus esset aliquid ab eis, ac si dicat, num habetis aliquos pisces quos vendatis? sed queritur cur pueros vo- cet. Respondeo: Puer præter notam significationem aliquan- do filium significat, ut Actuum 4. Conuenerunt enim verè in ci- uitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum, &c. & frequen- tissime significat seruum, vel familiarem ministrum, cui ut paruu- lo quiduis imperare possumus, ut Luc. 1. In domo David pueris sui. & Matth. 8. Sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus: vocat ergo eos pueros, iuxta Euthymium, quia moris erat ita operarios appellare, propter eorum robur & strenuitatem ad laborem. Ita etiam Iansenius c. 148. Sed mihi magis placet quod ait Caietanus pueros hic accipi pro filiis, quod blandius nomen est, & magis amorem indicat, atque hoc nomine appellari solebant à domino: ut cap. 13. *Filioli ad- huc modicum tempus vobiscum sum.* Vnde & diminutiuo nomine uti- tur Græcè Dominus, παιδία, id est, pueruli, quia ita eos appellare solebat, ut diximus, & maioris amoris indicium est. Pulmentum autem, siue pulmentarium vocant Latini generaliter quemvis cibum qui pani apponitur, quoniam olim Romani diu non pane vixerunt, sed pulte, ut ait Plinius lib. 18. c. 8. vnde ad omnes cibos nomen tra- Etiam est pulmenti, siue pulmentarij.

Mittite in dexteram nauigij.] Locum significavit, ut fortuita vide- retur piscium捕获.

Dicit ergo discipulus ille.] Ex multitudine piscium, & ex celeritate ca- piendi, cognovit Dominum esse qui miraculosè id effecerat. Chrysost. hom. 86. Proprios mores referunt Petrus & Ioannes, ille feruentior, hic altior erat; ille vehementior, hic perspicacior. ideo Ioannes prior agno- uit Iesum, Petrus prior ad eum properauit.

Tunica succinxit se. Et reverentia hic indicatur, & desiderium, ut ait Chrysostomus: reverentia fecit quod nudus ire noluit, desiderium quod nauicula non expectauit. Sed ut celerius veniret, misit se in mare: nec tamen multum nauicula morari poterat, cum tantum à littore abesset quasi

*Cur pueri
vocabi A-
postoli.*

*Pueri pro
filiis.*

*Pulmentū,
sive pulmē-
tariū quid.*

*Mores Petri
& Ioannis.*

quasi cubitis ducentis, id est, trecentis pedibus. nam cubitus habet pedem & dimidium. Cæterum quæ h̄ic tunica dicitur, Græcè vocatur *Tunica hic ἐπενδύτης*, éstque, vt ait Theophylactus, linteum quoddam, quo *quid.* Phœnices & Syri pescatores se vestiebant, siue nudi essent, siue vestiti. Arbitror tamen generaliter sumptum esse vocabulum ab Euangelista pro qualibet ueste quæ superinduitur. Hoc enim significat *ἐπενδύτης*, & *ἐπένδυμα*, à verbo *ἐπένδυμαι*, quod est *superinduo*: hoc autem superindumentum Petri hoc loco fuit tunica, erat enim nudus, nec aliam uestem sumeret missurus se in mare.

Et misit se in mare.] Lyra contendit pedibus super aquas ambulasse Petrum, reiic̄tque Bedæ sententiam, dicentis natando ad littus peruenisse, aut ambulando per terram; si mare non erat altum; sed quæ ratione dicat, aut vnde probare possit, ipse viderit, licet Rupertus quodammodo idem significare videatur. Chrysostomus quidem homil. 86. ait natando peruenisse, & Theophylactus, & Euthymius, & idem videtur sequi Cyrillus.

Viderunt prunas positas.] A Christo scilicet, per miraculum, ne videretur propter indigentiam cibum quæsiuisse.

Afferte de piscibus.] Hoc iubet vt viderent piscium multitudinem, & magnitudinem, & miraculum agnoscerent.

Ascendit Simon.] Scilicet in nauiculam.

Et cum tanti essent.] Id est, cum tot essent, vt diximus cap. 6. in illis verbis, *quid inter tantos.* August. tract. 122. dixit *tanti*, id est, tam magni; & recte etiam. nam apud Græcos *τοῦτο* (quo nomine h̄ic vtitur) & ad magnitudinem pertinet, & ad multitudinem, vnde interpres Euthym. vertit; *cum tot, ac tanti essent.*

Et nemo discubentium audebat eum interrogare.] Scilicet præ reuerentia, vt ait Chrysostomus, cum viderent ipsum non prodere se. Augustinus autem tract. 123. aliter intelligit: nemo audiebat interrogare, id est, nemo audiebat dubitare, quia res erat certa; nam si dubitarent, sine dubio interrogarent. Sed probabilior est Chrysostomi expositio, quam sequuntur Theophylactus, Euthymius, & Rupertus, Iansenius cap. 148. negat legendum esse, *nemo discubentium*, sed *nemo discendentium*, id est, discipulorum, & ita corrigitur in quibusdam codicibus Latinis in margine, & facile potuit pro *discendentium* à non intelligentem emendari *discubentium*. Sed vehementer suspicor mendosa esse Græca exemplaria, & potius legendum esse *discubentium*; quoniam & magis ad rem præsentem pertinet, & discipuli nunquam solent in Euangeliō appellari *discentes*: cum ergo noster interpres semper verterit *discipulos*, cur h̄ic verterit *discentes*.

Et piscem similiter.] Dabat etiam simul de piscibus quos ipsi cœperant, vt ait Augustinus tract. 123. & Euthymius.

Hoc iam tertio, &c.] Id est, hæc fuit tertia apparitio, ex his quæ *fa-* *tertia ap-*
ctæ sunt multis discipulis simul: de hoc vide c. 20. ibi, & post dies octo. *paritio De-*
De mystica huius miraculi expositione, vide Cyrrillum, Theophyla-*mini.*

Piscationis
huius ex-
plicatio my-
stica.

ctum, & Rupertum, & latius Gregorium homil. 24. sed omnium latissimè & eruditissimè de hac re loquitur Augustinus tract. 122. Summa expositionis eius est huiusmodi: septem discipuli fuerunt in ista piscatione, quo finis temporis significatur, vniuersum quippe tempus septem diebus voluitur. Ideo etiam Iesus sterit in littore, quia finis est maris, & finem significat saeculi; ideo etiam Petrus trahit rete in terram, id est, in littus. Vnde Dominus Matth. 13. de sagra missa in mare loquitur, *Quam cum impleta esset, eduentes, & secesserat littus sedentes, &c.* & postea exponit, *sic erit in consummatione saeculi,* Bis legimus Dominum iussisse mittere rete in mare, semel Lucæ 5. & iterum hic apud Ioan. illa piscatio Lucæ fuit initio prædicationis Domini, & in illa significauit Dominus Ecclesiam qualiter nunc est; ista piscatio, quæ est apud Ioannem, facta est post resurrectionem, & ideo significat Ecclesiam, qualiter erit in fine saeculi, id est, in resurrectione vniuersali. Nunc Ecclesia habet bonos & malos, sicut sagena congregans ex omni genere piscium, & mali foras mittendi sunt. In hac autem piscatione Ioan. non sunt mali pisces, qui foras mittantur, quia post resurrectionem, tantum bonos habebit Ecclesia in æternum. Ante ascendebat Iesus in nauiculam Simonis, & in mare intrabat: sed modò est in littore, quia immortalitas significatur. Ibi, dicebat, *Laxate retia vestra in capturam,* nec dicebat ad dextram, vel sinistram, quia ex omni genere hominum congregatur Ecclesia. Nunc ait, *Mitite in dexteram,* vt solos bonos significet; ibi rete rumpebatur, quod significabat schismata, nunc cum tanti essent pisces, non est scissum rete, quia in illa summa pace sanctorum nulla erunt schismata; ibi erat tanta multitudo, vt duo nauigia, quorum unum erat credentium ex circumcisione, alterum credentium ex gentilitate, penè mergerentur. Vnde enim, inquit Augustinus, existunt in Ecclesia ranta, quæ gemimus, nisi cum tantæ multitudini obsisti non potest, quæ ad submergendarum prope modum disciplinam intrat cum moribus suis à Sanctorum itinere penitus alienis, ad hoc possumus adducere illud Isaïæ 9. *Multiplicasti Gentem, non magnificasti latitiam.* Hic non mittuntur pisces in nauiglia, sed trahuntur in littus, quia nunc latent electi in morte; sed in fine saeculi, & in resurrectione apparet: ibi non exprimitur numerus piscium, quia plures sunt super numerum electorum, iuxta illud Psal. 39. *Annuntiani, & locutus sum,* multiplicatis sunt super numerum; hic verò non sunt super numerum, & ideo numerus certius signatus est 153. cuius numeri hæc est significatio. Decem, legem significat propter decem præcepta, sed lex si non adiuvetur gratia Spiritus sancti, præuaricatores facit, ideo ait Paulus 2. Corinth. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivificat.* Numero septenario Spiritus sanctus intelligitur, ad quem pertinet sanctificatio, & intelligitur hoc numero propter diem septimum, qui primus omnium sanctificatus est, Gen. 2. & etiam propter septem dona Spiritus sancti, quibus homines sanctificantur; si ergo accedat gratia ad præcepta,

Numerus
piscium,
eiusdemque
significatio.

Spiritus
sanctus per
numerum
septenarium
exprimitur.

cepta , & spiritus ad litteram , denario numero adiungetur septenarius : iste autem numerus septem ab uno usque ad seipsum crescentem peruenit ad 153. quo numero significantur omnes electi qui adiuuante gratia Spiritus sancti legem impleuerunt. Quod autem de numero 157. dicimus, ita dicit Augustinus : si sumas unum & duo, fiunt tria, modò si tria & quatuor , iam omnes fiunt decem , sume quinque supra decem , fiunt quindecim , adde sex, fiunt viginti unum , adde septem , fiunt viginti octo , adde octo, fiunt trigesima sex , adde nouem, fiunt quadraginta quinque, adde decem, fiunt quinquaginta quinque, adde undecim, fiunt sexaginta sex , & duodecim , & fiunt septuaginta octo , & tredecim, & fiunt nonaginta unum , & quatuordecim, & fiunt centum & quinque, & quindecim , & fiunt centum viginti , & sexdecim, & fiunt centum triginta sex , & tandem adde decem & septem , & fiunt centum quinquaginta tres. Aliam rationem huius numeri affert Augustinus ibi, & alias alij sancti citati : sed haec omnium optima videtur Hieron. Ezech. 45. in illis verbis , Et plures species erunt , &c. inquit : Aiant qui de piscibus scripsere , in quibus Ophanus Cilix Poëta doctissimus , centum quinquaginta tres esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis , & nihil remansit incustum, dum & nobiles , & ignobiles , diuites & pauperes , & omne genus hominum , de mari huius saeculi extrahitur ad salutem , &c. Sed iuxta nostram expositionem significatum est ex omni genere & conditione hominum futuros esse aliquos beatos. Deinde tractatu 127. ait : Piscis assus, Christus est passus , ipse est & panis viuus , qui de celo descendit , huic incorporatur Ecclesia , ad participandam beatitudinem sempiternam ; propter quod dictum est , Afferte de piscibus quos prendidistis nunc ; ut universitas electorum per istos septem discipulos figurata tanto sacramento se communicare intelligat , & eidem beatitudini sociari ; quare autem per piscem assum , Christus passus intelligatur , optimè exponit Gregorius homil. 24. Ipse enim latè dignatus est in aqua generis humani , capi voluit laqueo mortis nostræ , & quasi tribulatione assatus est tempore passionis suæ , & qui assari ut piscis potuit ex humanitate ; pane nos reficit ex diuinitate , qui ait . Ego sum panis viuus qui de celo descendit.

Supereft ut quoniam ista apparitio ultima est earum quæ à Ioanne narrantur, nunc eas ordine quo factæ sunt enumeremus , quæ sunt apud Evangelistas. Primo apparuit Mariae Magdalena ad monumentum. Secundo eidem atque aliis mulieribus ad Apostolos; cum gaudio festinantes. Tertio Petro , sribit enim Lucas discipulos , qui ex Emaunte redierant, inuenisse Apostolos congregatos , dicentes , Surrexit Dominus vere , & apparuit Simoni. Quartò apparuit istis duobus discipulis euntibus Emaunte. Quinto decem Apostolos clausis ianuis. Istæ apparitiones factæ sunt ipso die resurrectionis. Sexto Dominica in albis , cum visus est Thomæ cum aliis. Septimo apparuit septem discipulis ad Mare Tiberiadis.

Electi numero per se ipsum significantur.

Quos genera piscium.

Christus passus per piscem assum intelligitur.

Apparitio Christi prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

Sexta.

Septima.

Octauo

Ottavia.
Nona.

Ocaud in monte Galilææ, secundum Matth. Non eo die qui assumptus est in cælum, ut ait Lucas, & de hac ultima apparitione scribit Marc. *Nouissime recumbentibus undecim discipulis, &c.* quæ non facta est in Galilæa, sed in Hierusalem. Ita istas apparitiones numerat Augustinus 3, de consensu cap. 25, nisi quod istam Marci facit nonam, & decimam esse vult in die Ascensionis. Sed multo probabilius est apparitionem, quæ est apud Marcum, fuisse ultimam, ut verba ipsa testari videntur, *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum*, atque ita censuerunt Tatianus & Ammonius in Harmonia, & Gregorius homil. 29. in Euangelia, & Beda in Marc. & Bernardus serm. 10. de Ascensione, & Lyra in Marcum, & alij. Sed intelligendum est, ibi apud Marcum reprehendi discipulos, non quod tunc non crederent, sed quod antea non crediderunt, quod ultimo die facere voluit, ut fidem eis, nobisque omnibus maximè commendatam relinqueret, sine qua impossibile est placere Deo. Apost. autem 1. Corinth. 15. alias apparitiones commemorat, dicens, *Et quia visus est Cepha, & post hoc undecim, deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, &c.* deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nonissime autem omnium tamquam abortiuo visus est & mibi. Sed hæc iis quæ diximus non aduersantur: nam quomodo visus fuerit Cepha & Apostolis omnibus, iam exposuimus. De apparitione facta Iacobo nihil in Euangelio habemus. Hieronymus tamen in Catalogo virorum illustrium, in vita Iacobi minoris refert ex Euangelio Hebræorum siue Nazaræorum Iacobum iurasse se non comedetur panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis, & addit: Dominus autem cum dedisset sindonem seruo sacerdoti, iuit ad Iacobum, & apparuit ei, & postea, Afferte, ait Dominus, mensam & panes, tulit panem, & benedixit, ac fregit, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia surrexit filius hominis à dormientibus. Si hoc recipimus, ipso die resurrectionis facta est hac apparito, &c. ut videtur, valde manè. Idem ait Anselmus 1. Corinth. 15. licet Augustinus tertio de consensu cap. 25. putet Paulum loqui de aliqua apparitione postea facta Iacobo. Quod probabilius est, quoniam Paulus ait, *deinde visus est Iacobo*; nisi dicamus non seruasse Paulum ordinem temporum; quingentis fratribus visus est in Galilæa, ut ait Hieronymus quæst. 7. ad Heditiam, licet diem nesciamus. Paulo apparuit in sua conuersione, Actorum 9. Præterea alias præter has apparitiones fuisse credendum est, quoniam Luc. Act. 1. ait, *Quibus & præbuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparenteis, &c.*

*Quando apparetur B.
Virginis.*

Quando autem apparuerit sanctissimæ Virgini, neque Euangeliæ, neque Sancti veteres ferè dixerunt: sed pro certo haberi debet, ei ante quam ceteris omnibus apparuisse. Ambrosius tertio de Virginibus ante medium hoc docet, & Niceph. primo histor. Ecclesiast. c. 32. & 33. Non tamen est eorum argumentum probandum, colligunt enim

enim hoc ex verbis Matthæi, *venit Maria Magdalena, & altera Maria, videre sepulchrum.* Vbi per alteram Mariam intelligunt matrem Domini, cùm constet ex Marco, quod easdem mulieres refert fuisse Mariam Iacobi, quæ Virginis Soror fuit. Primo, si esset mater Domini, primo loco memoraretur ab Euangelista; adde quod numquam in Euangeliis ita nominari solet, nec vlo modo dici aut tolerari potest eam parauisse vnguenta, vt die resurrectionis vngeret Dominum, quem certissimè credebat eodem die resurrectum. Multo melius Anselmus lib. de excellentia Virginis Mariæ cap. 6. si aliquis, inquit, querat cur Euangelistæ non scriperint primæ omnium matris suæ apparuisse Dominum: dicimus quod à quodam sapiente de hoc ipso scilicet audiuimus tantam esse Euangelicæ narrationis autoritatem, vt nihil in eo sit superfluum. Si autem hoc de Virgine narraretur, quis non superfluum diceret? D. Vincentius sermone primo in die Paschæ ait; conclusio est plurimorum Theologorum, Dominum primò omnium Matri suæ apparuisse cùm resurrexit. Probat ex loco citato Ambrosij, & addit non minimis huius rei Euangelistas, quoniam voluerunt ponere testes resurrectionis indubitatos, matri autem in causa filij non ita credetur. Dicit etiam se cogi ad hoc credendum, triplici ratione. Prima quia plus omnibus aliis in passione pertulit dolores, & scriptum est Ecclesiast. 7. *Honora patrem tuum, & gemitus matris tua ne obliuiscaris:* Secunda, quia habuit firmissimam fidem resurrectionis, & cùm visio corresponderet fidei, prima debuit esse in visione, quæ prima fuit in fide. Tertia, quia vehementius cæteris omnibus amavit. Si autem Magdalena prius vidit, quia ardenter amabat, sicut ait Ecclesia.

Prima meretur gaudia

Quæ plus amavit ceteris.

Quanto magis hoc de Virgine dicendum est? Quod autem ait Marcus, *Apparuit primò Maria Magdalena, nihil obstat, quoniam intelligitur primò respectu apparitionum quæ narrantur in Euangilio, iam enim dixi, Euangelistas ita texere suam historiam, ac si nihil esset gestum, præter ea quæ ipsi scribunt.*

Simon Ioannis.] Additur patris nomen, vt distingatur à Simonne Thaddæo, vt nemini dubium esse possit summam curam vniuersalis Ecclesiae non alij Apostolo, quam Petro traditam esse. Græci legunt *Simon Iona.* Quemadmodum & Matth. 16. *Beatus es Simon Barjana,* de quo cap. 1. ibi, *Tu es Simon filius Iona.* Vbi ostendimus vnum & idem esse nomen Iona, & Iohanna, & Ioannes.

Diligis me plus his.] Promiserat Dominus Petro ante passionem suam primatum & gubernationem vniuersalis Ecclesiae, Matth. 16. ne autem Petrus putaret propter negationem Dominum mutasse sententiam, nunc ei Apostolatus renouat dignitatem, vt ait Cyrillus, & tradit quod promisit. Sed quoniam hoc munus sine magno Dei amore

Ribera in Euang. Ioan.

recte geri non potest, amorem ab eo maximum Dominus, *Diligis me plus his?* Secundò querit hoc, vt ait Chrysostomus homil. 87. vt ostendat amorem quo suas oves prosequitur, quas committere non vult, nisi ei, à quo plus quam à ceteris ametur. Tertia ratio, quæ à Cyrillo adducitur, est, quoniam qui maiorem Dei in se clementiam expertus fuerat, maiori amore affici debebat. Ceteri autem Apostoli fugerunt, sed ipse ter negauit, & admissus est ab eo quem negauit, & ideo magis amabat, quia cui minus dimittit, minus diligit, Luc. 7. Ter de amore interrogatur, vt terna negatio æquali confessionis numero compensetur, & curetur, vt ait Cyrillus, Augustinus tract. 173. Redditur negationi trinæ trina confessio, ne minus amori lingua seruiat, quam timori, & plus vocis eliciuisse videatur mors imminens, quam vita præsens.

Etiam Domine, tu scis quia amo te.] Non audet respondere se plus aliis diligere, sed tantum quod diligit. Casus enim eum modestorem fecerat, prætulerat se aliis Matth. 26. *Domine, et si omnes scandalizari fuerint in te, ego nunquam scandalizabor;* & postea turpius, quam alij cecidit, ideo dicit quod de se intelligit, aliis non se præfert, quorum cor da non videt. Ceterum licet apud Latinos maior amoris intentio significari soleat verbo amandi; quam verbo diligendi, tamen hic pro eodem prorsus sumuntur, vt apud Latinos ipsos fieri solet, quemadmodum in verbis Græcis φιλέω & ἀγαπάω, possemus differentiam ex cogitare, vt secundum pertineat ad amorem supernaturalem, charitas enim ἀγάπη dicitur; primum autem ad amorem humanæ amicitiae, quæ φιλία dicitur. Atque ideo diceret aliquis Christum interrogasse ἀγαπᾶς με, id est, *diligis me*, quoniam de amore charitatis loquatur. Petrum autem respondere, φιλῶ σε, id est, *amo te*, quoniam amorem magnum in se sentiebat. Sed an charitatis esset, certò scire non poterat. Sed obstat huic differentiæ quod Dominus in tertia interrogatione vtitur eodem verbo, quo Petrus respondet, & quo amicitia humana significari videbatur. Quare omnino dicendum est pro eodem accipi hæc duo verba. Primum, quoniam Ioannes vtitur verbo φιλῶ, etiam in supernaturali amore, vtc. 11. *Domine ecce quem amas confirmatur.* & cap. 16. *Ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis.* Secundò, quoniam noster interpres hic per verbum *amo*, vertit utrumque verbum Græcum, & vbique id facere solet. Tertiò, quoniam Græci doctores huius doctrinæ non meminerunt. Quartò, quoniam Aug. 14. de ciuitate cap. 7. probat in Scriptura sacra pro eodem sumi amorem & dilectionem, & inter alia hunc etiam locum afferit.

Pasce agnos meos.] Id est, hoc sit signum quod diligis me; hic mihi amorem tuum ostende, & animam, quam me profiturum te esse dicebas, hanc pro ouibus meis trade. Ita Chrysost. homil. 87. Sed sunt verba ipsa notanda, *Pasce agnos meos*, non dicit, pasce te. Ezech. 34. *Ve pastoribus Israël qui pascebant semet ipsos: nonne greges à pastoribus pascentur.* Nec dicit, agnos tuos, sed *agnos meos*; id est, quasi rem meam habe,

Ter de amore interrogatus Petrus, & cur.

Amorem & dilectionem pro eodem sumi in Scriptura.

habe, cura vt meos. Augustinus tract. 123. Si me diligis, non te pascere cogitas, sed oves meas, sicut oves meas pasce, non sicut tuas; gloriam meam meis quære, non tuam, dominium meum, non tuum, lucra mea, non tua, &c. Et hoc est quod hinc didicit & docuit Petrus 1. epist. cap. 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneè, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo.* Sed sunt hic tria notanda. Primum est, Græcos primo tantum loco legere agnos, in reliquis duabus legunt oves: Latini autem in primo & secundo loco legunt, *pasce agnos meos*, & in tertio, *pasce oves meas*. Sed lectio Latinorum mihi magis probatur, non enim assentior Iansenio qui c. 148. pro eodem accipit agnos & oves. Melius Euthymius, & Theophylactus, qui dicunt agnos intelligi imperfectiores, oves vero perfectiores. Ego agnos dici puto, vt nomen ipsum indicat, recens ad fidem conuersos, & teneriores in fide, quorum magnus futurus erat numerus incipientibus Apostolis prædicare, atque hi maiori cura indigebant, quoniam maiori labore erant educandi, & sustentandi: ideo Dominus dicit bis *pasce agnos meos*, vt hac repetitione ostenderet se optare vt Petrus maximam illorum curam haberet: oves autem vocat, iam robustiores in fide, quos cur ita vocet, diximus cap. 10. Secundum sequitur ex hoc, videlicet cur ter dixerit, *pasce*. Prima ratio est, quoniam agni indigebant maiori cura pastoris, sed non erant propterea oves relinquendæ. Secunda est, vt hac repetitione magis exaggeraret quanti faciat suos, & quantum à Petro curari velit. Tertia, vt modum pascendi indicet. Bernardus sermone 20. de resurrectione ita interpretatur: Pasce mente, pasce ore, pasce opere, pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione. Vel, vt ait Lyranus, quoniam pastores Ecclesiæ triplici pabulo oves suas pascere debent, veritatis verbo, vite exemplo, temporali subsidio. De quo vide Gregorium homil. 14. in Euangelia. Tertium ex his verbis manifestissimè probari Petri & successorum eius Romanorum Pontificum primatum, non solum super omnes fideles, sed etiam super omnes Episcopos, quoniam nulla ovis Christi excluditur, immo & Euthymius putat per oves hic intelligi Apostolos. Hoc eleganter ostendit Bernardus 2. de consideratione versù finem. Habent illi, id est, Episcopi sibi assignatos greges, singuli singulos, tibi vniuersi crediti sunt, vni vnum, nec modò ouium, sed pastorum, tu vnum omnium pastor. Vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed Apostolorum, sic absolutè & indiscretè totæ commissæ sunt oves? Si me amas Petre, pasce oves meas. quas? illius, vel illius, populos ciuitatis, aut regionis, aut certe regni? oves meas, inquit, cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes: nihil excipitur ubi distinguitur nihil. Et Innocentius III. cap. solitæ de maiorit. & obedientia ait: Nobis autem in B. Petro sunt oves Christi commissæ,

*Agni &
oves qui.*

*Cur ter re-
petierit,
pasce.*

dicente Domino : pasce oves meas , non distingues inter has oves , & alias , vt alienum à suo demonstraret ouili , qui Petrum & successores ipsius magistros non recognosceret , & pastores.

Petrus qua-
re contri-
butus.

Contristatus est Petrus.] Videlicet quoniam didicerat experientia Christum nosse futura , & quando ipse magna iactabat , Christus ei negationem prædictit , timuit ne forte quicquam simile Dominus de se cogitaret , & prædicere vellet.

Cum esses iunior , &c.] Postquam ei commisit Ecclesiam , prædictit martyrium quod pro gloria Dei & utilitate Ecclesiæ passurus erat , nec vt pœnam illi prædictit , sed vt mercedem magnam pollicetur laborum , quos in Ecclesiæ administratione , & pro Christi obsequio suscepturnus erat. Augustinus tract. 123. Ille negator & amator , præsumendo elatus , negando prostratus , flendo purgatus , confitendo probatus , patiendo coronatus hunc inuenit exitum , vt pro eius nomine perfecta dilectione moreretur , cum quo se moriturum peruersa festinatione promiserat , faciat eius resurrectione firmatus , quod temere pollicebatur infirmus , &c. Est autem sensus : cùm iunior essemus , & viribus corporis magis ad tolerandos labores valeres , ipse te cingebas , id est , liber eras , & pro arbitrio tuo surgebas è lecto cùm volebas , & vestiebas te , & ibas quò volebas ; cùm autem senueris , eo tempore , quo homines otium & requiem querunt , tu nequaquam quiesces , sed magis laborabis , ligabunt enim te , & agent in crucem , ubi manus extendes , id est , crucifigeris. quamuis Lyra intelligat , aliud te cinget , ideo dici , quia Petrus non clavis fuit confixus in cruce , sed funibus ligatus. Quod vnde acceperit nescio , sancti enim non ita intelligunt. Sed , vt diximus , probabilius dicere , & forte ita factum fuit , manibus & pedibus clavis confixis corpus fune aliquo fuisse ad crucem ligatum. Ita enim dicebantur apud Latinos ligati ad palum , pro eo quod est crucifixi. Meminit autem ætatis Iuuensis ; iuxta Chrysostomum homil. 87. quasi dicat , in rebus sacerularibus iuuensis utiles est , senex utilis , non ita in diuinis , sed cùm aduentauerit , inquit , senectus , tunc fortior eris , atque præstantior , nihil te ætas impedit.

Cum autem senueris.] Chrysostomus : Quod quidem significat quod tunc nec iuuensis essemus , neque senex , sed vir perfectus.

Et ducet te quò non vis.] Scilicet voluntate naturali , quæ vitam appetit , & mortem refugit : Chrysostomus , Naturæ affectum , & carnis necessitatem indicat , & quod anima inuita corpus relinquit , & licet voluntas constans & firma essemus , natura tamen imbecillis : Cyrillus , *Quo non vis* , dicit , quia nemo Sanctorum sponte patitur. Idem ait Augustinus tract. 123. ubi eleganter de hoc loquitur.

Sequere me.] Quod verbo subobscure dixerat , nunc facto significat , more Prophetarum , qui nunc verbis , nunc factis prophetant. Surrexit enim à loco ubi transi fuerant , & Petro , vt se corporaliter sequatur , iubet ; quasi diceret : Tu me sequeris , & in officio pascendi

pascendi oues , & in morte Crucis. Ita Cyrill. Lyra , & Iansenius. Chrysostomus vult hæc verba dici à Domino, ut iterum significet cum ram suam & familiaritatem & affectum in Petrum. Theophylactus utrumque sensum coniungere videtur.

Vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, &c.] Petrus multum Petri sollici Ioannem amabat , & illum in omnibus secum volebat. Cùm ergo à tudo pro Domino & officium & mortem suam didicisset , sollicitus de Ioanne, quærerit : Domine hic autem quid? id est quid de isto futurum est ? quæ erit eius vita , & mors. Sed quæritur , cùm Ioannes solitus sit tantum dicere , discipulus ille quem diligebat Iesus , cur modò plura addat, quasi minus nobis nunc notus esset , quām antea ? Respondet Chrysostomus, ideo additum esse, qui & recubuit, &c. vt ostendatur Petri fiducia post negationem. nam qui ante illam non ausus fuerat interrogare Dominum, quis eum esset traditurus , sed innuit Ioanni in sinu eius recumbenti , vt ipse potius interrogaret , nunc ipse per se interrogat de ipso Ioanne, intelligens eum velle de se interrogare , nec audiare : ita Theophylactus etiam, & Euthymius. Possemus etiam intelligere cum Iansenio c.148. hæc signa dilectionis Christi erga Ioannem commemorari , vt eis commotus Petrus intelligatur , ad interrogandum; quasi diceret , quid fiet de isto discipulo quem tu semper multum amasti ? Vel de quo ego meritò scire desidero, cùm tantum à te ametur.

Sic eum volo manere donec veniam.] Ad exactam totius huius loci intelligentiam tria discutienda sunt. Primo , an Ioannes verè mortuus fit. Secundo, vtrum legendum sit, *Sic eum volo manere.* An, si eum volo manere. Tertio, quid his verbis Dominus significare voluerit. quæ omnia simul à nobis explicabūtur. Sunt ergo multi qui intrepidè affirmant Ioannem adhuc viuere , & in fine sæculi ab Antichristo esse occidendum cum Elia & Enoch , vt refert Euthymius in Matth. cap.43. trum mor & Theophylactus hinc ; ita censuit Hyppolytus Martyr in oratione de iuus. consummatione sæculi , & Simeon Metaphrastes in vita Ioannis , & ex recentioribus Sabellius lib.1. de memorabilibus factis & dictis c. 8.& Georgius Trapezuntius , qui ad huius rei confirmationem libellum scripsit ad Summum Pontif. de his verbis , *Sic eum volo manere.* Primum ergo eius argumentum est: supposita vera lectione, quā postea confirmabimus, *Sic eum volo manere*, Dominus dixit, *Sic eum volo manere donec veniam*, id est , vsque ad tempus mei secundi aduentus , ergo sine dubio manebit. Nam si dicas cum Chrysostomo & Cyrillo dominum voluisse reprehendere curiositatem Petri , verum est , sed simul voluit hoc de Ioanne indicare:nam ad curiositatem reprimendam satis erat dicere: Quid ad te. Sicut respondit Apostolis Actorum primo Dominus, Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, &c. Neque obstat dicere Euangelistam correxisse hunc prauum intellectum, cùm ait , Et non dixit Iesus, non moritur, &c. Respondet enim optimè , & ita respondebant illi quos refert Theophylactus , discipulos ex his verbis intel-

lexisse Ioannem nunquam esse moriturum. quem intellectum, quoniam falsus erat, meritò correxit Ioannes. Secundò arguit, quia in Evangelio nihil est superfluum: nisi autem hoc, quod dicimus, significare voluisse dominus, superflua esset hæc de Ioanne narratio. Tertiò omnes ferè, qui eius historiam scribunt, narrant eum postquā sensit aduenisse ultimum diem, iussisse foueam fieri, in quam cum viuus vestitusque descendisset, imperasse discipulis ut abirent, qui postero die reuersi nihil in fouea inuenierunt: ergo viuus translatus est; licet modestiæ causa foueam fieri iussit, ne viuus in cœlum raptus putaretur. Quartū Arg. quod putat conuincere, sumitur ex Apoc. 10. vbi ait de se Ioannes, & dixit mibi, scilicet Angelus: Oportet te iterum prophetare gentib. &c. hoc de Euāgelio intelligi nequit, quod nō est prophetia, sed historia, nec multis linguis Scriptū est, sed Græca. & c. 11. loquitur de Elia & Enoch. Ex quo patet simul eum seruatum esse cum illis. Quod si respondeas non esse tunc necessariam Ioannis prædicationem, cùm sint tunc multi prædicatores noui Testamenti; immo necessaria erit, quoniam Anti-Christus dicet te esse Messiam, & licet Elias & Enoch dicant Messiam fuisse Iesum Christum, & in illo esse impleta omnia, non ita illis credetur, quoniam tunc inter homines non erant, & propterea necesse est ut Ioannes loquatur testis oculatus. Quintò arguit ex illo Matt. 20. *Calicem quidem meum bibetis.* Cùm ergo cæteri Apolto-li Martyriο consummati sint, cur hæc corona neganda erat dilecto discipulo. Nec dixit, parati eritis ad bibendum Calicem, ne de voluntate Martyrij interpretetur aliquis, ut facit Hieronymus ibi, sed *bibetis*, vbi Chrysostomus ait, Martyrij corona potiemini, & violenta morte sicut & ego à vita decedetis.

Nihilominus sequenda est communis opinio Sanctorū, qui incun-
stanter afferunt eum obiisse. Ita Abdias Babylonius, qui & eius morti
se interfuisse dicit lib. 5. Apostol. historiæ in fine. Tertul. lib. de anima,
cap. de mortis vi. Eusebius 3. historiæ Eccl. c. 31. vbi citat ad hoc Caiū
Scriptorem Ecclesiasticum, & Polycratem Episcopum Ephesiorū, qui
ad Victorem Papam scriptit magnos viros esse in Asia sepultos, qui in
die Iudicij resurrecti sunt, in quibus numerat Ioannem Euangelistā.
Eadem verba repetit Eusebius lib. 5. c. 24. Idem sensit Ambrosius lib. 7.
in Luc. c. 1. Chrysost. homil. 1. in Ioannem. Hier. Matt. 20. & lib. de viris.
Illustribus in eius vita. & Beda in homil. Euangelij, *Dixit Iesus Petro.* &
Nicephorus 1. historiæ c. 35. & lib. 2. c. 42. & Isidorus lib. de Patribus
noui Testamēti, atque idem videtur sentire Dorotheus Episcopus Ty-
ri Martyr in Synopsi, & Perionius in vita Ioannis. Quamvis volunt
quidam post mortē eum resurrexisse, & cum corpore fuisse euctum in
cœlū, quorum sententiā refert Hier. in serm. assumptionis, nec impro-
bat. eā sequitur Nicephorus locis citatis, & Iansenius probabilē putat,
quoniam nunquā eius corporis reliquiæ inuentæ sunt. Verū etiam si
nullus diceret eū obiisse, hoc est maximum & ineuitabile argumētum
quod Ecclesia celebrat diē mortis eius, & eum ut pro se precetur orat,
& officiū eius solemniter canit, quod nisi in honorē eorum, qui iā beatu-

titudine fruuntur, Ecclesia nunquam fecit. Pro solutione primi argumenti, sciendum est, in codicibus Græcis, vbi nos habemus *sic*, in Græco esse *è av. i. si*, & propterea omnes Græci authores & præterea neotetici, qui codicem Græcum sequuntur, vt Erasmus, Caietanus, Iansenius legunt *si*, non *sic*, affirmant etiā Erasmus, & Iansenius, Hier.lib.1. cōtrā Iouin. codē modo legisse. Est autem locus ferē in medio n. 27. vbi scriptū est, *Si sic eum volo esse, quid ad te*, docent primō in nōnullis codicibus antiquis nostræ translationis, haberis *si*, non *sic*. Et est sensus iuxta Chrysostomū, his verbis tantum repræhendi Petri curiositatē; sed aduersus hunc sensum militat argumentum Trapezuntij iā factum, iuxta Theophylactum, quod & Chrysostomo placere dicit. Sensus est: non erit iste Comes tuus, sed manebit in hoc loco, donec veniā, vt illum educam ad prædicationis officiū. Aliquanto melius Cyrillus: etiam *si* velim eū manere usq; ad sacerduli consummationē, quid tu inde utilitatis aut cōfolationis consequereris. At Latini legunt, *sic eū*, &c. Ambr. 7. in Luc. cap. 1. & super Ps. 45. & 118. prope finem. Aug. Rupert. Beda, S. Thom. Lyra, & Greg. Turonensis in lib. de gloria Martyrū. c. 30. Atque ita propositus esse legendū probat bene Trapezūtius in dicto libello, qui cūm esset natione Græcus, proprietatē Græcæ linguae optimè calluit. Docet *è av* apud Græcos, et si, apud nos, hanc habere vim vt indicatiuo verbo coniuncta affirmatiuē capiatur: cū subiunctiuō verō suspensiū dubitatiuēq; Aliud enim est dicere, si amo te, non detraho tibi; aliud verō, si te amarē, non tibi detraherē. nam in prima propositione amor affirmatur, in secūda nō affirmatur, sed cū dubitatione ponitur. Probat hoc ex Prisciano natione etiā Græco in lib. de constructione. Cūm igitur Euangelista Verbum indicatiui ponat, affirmat, &c. Propterea inquit Trapezūtius, Patres non *si*, sed *sic*, interpretati sunt, ne scilicet particula, *si*. Latinæ Græcæque linguae Sciolos propter duplē potestatem turbaret. Mihi & alterū argumentū est. Discipuli ex verbis Domini collegerunt hanc sententiā: Discipulus ille nō moritur, & sine dubitatione collegerūt: ergo intellexerunt Dominū affirmatiuē loqui. Similiter Hier. suprà ex hoc loco infert, Virginitatē non morī; ergo intellexit etiā Dominum loqui affirmatiuē, & ideo potius debuit legere *sic*, quām *si*. Secūdū dico optimè legi, *sic eum*, &c. & licet legeretur *si*, accipi debebat pro *sic*. Imitatur enim Apostolus phrasim Hebræorū, apud quos *im* ~~in~~ id est, *si*, sapere non capiatur cōditionaliter, sed affirmatiuē: vt Prou. 3. *Ipse deludet illūores*, in Hebræo est, *si ipse deludet*, &c. & est *si*, id est, vere. Et cap. 23. *Quia habebis spem in nouissima*. In Hebræo est, *quia si habebis*, id est, *quia vere habebis*.

Præterea, si hoc dicēs non vellet eū manere, videtur nihil aliud, quām voluisse ludere discipulos. Sed de sensu nūc videndum est. Putat enim Iansenius nullū aptū proferri posse. Lyra exponit, donec veniā, sed ad vocationē eum ad gloriam cœlestem. Sed, vt bene ait Trapezuntius, hoc nihil erat aliud, quām dicere, volo eum viuere donec moriatur. Quare Nicephorus locis citatis, & alij, vt refert Theophylactus, expōnunt, donec veniam, scilicet Hierosolymā euersurus. Nā solus Ioannes ex omnibus Apostolis vidit excidium Ierusalem, immo & postea vixit

usq;

vsque ad Traiani tempora, id est, vsque ad Sexagesimum octauum annum post passionem, ut ait Hieronymus in eius vita. Vel sic potest exponi, & melius: volo cum manere in Iudea, donec veniam ad delendum Iudeos; neque enim illud tempus ad alias nationes exibit, ita enim factum est. & ita exponit D. Thomas ibi.

Sed tota difficultas est quæ ab his autoribus non explicatur, cur ita accipiatur verbum, *veniam*, quandoquidem in Evangelio semper soleat significare aduentum domini ad Iudicium.

Respondet *visitatum* esse in Scriptura ut venire, & similia verba, quæ includunt motum, significant punitionem & iram Dei: vt Michææ primo. *Quia ecce Dominus egredietur de loco suo, & descendet, & calcabit super excelsa terra.* Isai. 30. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.* Zachar. vlt. *Et veniet Dominus Deus meus, Omnesque sancti cum eo, & erit in die illa, non erit lux, sed frigus & gelu.* Inde toties dicitur in Prophetis cum vltro significatur, *Ecce ego ad te, scilicet, venio.* Secundò dicitur etiam esse *visitatum* in Scriptura, ut imago, & res, cuius est imago, figura & res figurata, eodem nomine appellantur, ut latè docet Augustinus lib. 2. ad Simpliciam. q. 3. Sicut Exod. 12. Agnus paschalis; & Christus, dicitur Agnus, *Os non comminuetis ex eo, &c. & Deut. 25. Non alligabis os boni trutrant;* tam animal, quam prædicator vocatur bos, ut explicit Paulus primæ Cor. 9. cùm ergo excidium Hierusalem manifestè sit figura finis mundi, & aduentus ad iudicium, meritò habetur idem nomen ut vocetur aduentus Christi. Vnde Matt. 24. simul interrogatur Dominus de excidio Hierusalē, & de aduentu suo, & consummatione Sæculi, & mixtim de vtrōque responderet. Immo Marc. 13. & Luc. 21. tátum interrogatur de euerctione Hierusalem, & responderet simul de illa, & de fine sæculi.

Ad secundum; Dominus ea dixit, ut significaret Ioannem non esse martyrio consummandum, neque ita citò moriturum ut Petrum, sed mansurum diu, ad ædificationem & consummationem Ecclesiarum.

Ad tertium respondet, quod potuit in alium locum mortuus transferri, vbi ab omnibus hominibus ignoraretur, ut Moyses: verum Polyerates Ephesinus, ut iam retulimus ex Eusebio, ait eum in sepulchro suo manere, & Abdias, & Augustinus & Isidorus locis citatis & alij.

Ad quartum respondet, Ioannem postquam rediit ex insula Patthmo, in qua scripsit Apocalypsim, iterum in Asia prædicasse multis nationibus & populis, ut ibi exponunt Beda, & Thomas. Prophetare enim vocat prædicare, ut primæ Cor. 14. *Qui prophetat hominibus, loquitur ad edificationem.* Atque ita factum esse testatur Abdias. Aretas ibidem exponit: Oportet te iterum prophetare, id est, per librum Euangelij tui, aut per præsentem Prophetiam multos vsque ad finem sæculi crudites. Quod autem Ioannes non senserit quod vult Trapezuntius, patet ex eo quod dicit cap. 11. duos esse occidendos ab Antichristo, quos scilicet interpretantur esse Eliam, & Enoch.

Ad quintum respondet, quod præsenti loco satis est, fieri dicitur
sepe

sæpe in sacra Scriptura, quod tentamus & incipimus facere, licet non perficiamus, vt Exod. 8. *Feceruntque malefici similiter incantationibus suis, vt educerent scinches, & non potuerūt, id est, facere tentarūt.* i. Corinth. t. 5. *Quotidie morior propter gloriam vestram fratres, id est, tormenta perfero, & quantum est ex me, morior.* Ita Ioannes calicem bibit, quia multa tormenta passus est, & quantum erat ex parte sua iam in illis martyrium consummavit. At si quæras cur Ioannes non coronatus sit martyrio vt alij. Respondetur, eum habuisse meritum martyrij ratione iam dicta. Sed voluit Deus docere non solum Martyres honorandos esse ab Ecclesia, sed etiam Confessores, vt ait Rupertus, & ideo duæ Ecclesia columnæ, Petrus & Ioannes, alter Martyr fuit, alter Confessor. Ad Chrysostomum respondetur, ipsum fateri in Prologo Ioannem Euangelistam bibisse calicem Domini, cùm tamen certum sit eum non oculuisse morte violenta.

Hic est discipulus ille.] Rursus se testem oculatum dicit eorum quæ scribit, vt nemo possit dubitare, erant enim multi iam hæretici.

Et scimus quia verum est testimonium eius.] Loquitur non solum nominis suo, sed etiam omnium qui eadem viderunt; quasi dicat, omnes qui affuimus, scimus verum esse quod scriptum est, & ita videtur intellexisse Euthymius. Alij dicunt eum in persona totius Ecclesiæ loqui, vt Caïtanus & Can. 2. de locis. c. 7.

Nec ipsum arbitror mundum posse capere, &c.] Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Euthymius, Caïtanus, Iansenius, c. vlt. simpliciter dicunt hæc per hyperbolem dici, qua sæpe vtitur Scriptura. & sanè verum hoc est, vt Amos 2. *Ego autem exterminavi Amorrheum à facie eorum: cuius altitudo cedrorum, altitudo eius.* Verum non solum Scriptura, sed etiam Poëta (quorum maxima est ad singendum licentia) ita vtruntur hyperbole, vt non nimis excedant modum veritatis: si autem Poëta aliquis hanc hyperbolem Ioannis afferret, omnino tideretur, præsertim cùm loquatur Euangelista de signis per tres annos factis.

Quare aliter locus intelligendus est. Et quidem sunt multi autores qui verbum, *capere*, intelligunt de capacitate intellectus, non de capacitate loci, vt Augustinus, Beda, Rupertus, S. Thomas, Lyra, & alij, quos refert Theophylactus. Sed aduersus hanc expositionem arguit Iansenius, nec vnam paginam Scripturæ sacræ poterit mundus intelligere, quoniam tantam profunditatem mysteriorum habet, vt nemo eam satis consequi possit; ergo non est iste verus sensus.

Respondeo, nec mihi hanc expositionem placere, sed ita locus intelligendus est vt intelligitur à Hieronymo Matth. 21. ibi, *Si habueritis fidem, &c.* vbi cùm hæc verba adduxisset (inquit) non quod mundus volumina capere non potuerit, quæ potest, licet multiplicia sint, vnum armariolum, vel vnum capere scrinium, sed quod magnitudine signorum præ miraculis & incredulitate ferre non possit. Eodem modo intelligit Nicephorus i. historiae. c. 24. & est sensus. Si tot tamenque inaudita & stupenda miracula Christi narraretur, homines mundani non pos-

Ribera in Euang. Ioan.

V V u sent

Ioannes
quare non
fuerit coro-
natus mar-
tyrio vt
alij.

Martyres
similiter &
Confessores
honorandi.
Ecclesia co-
lumna quæ.

Capiendi
verbum.

522 *Comment. in Euang. secund. Ioannem, in Cap. XXI.*

sent ferre, sed putarent aut magicis artibus delusos esse oculos hominum, aut somnia esse, aut fabulas, nec posse ab ullo tot & tanta fieri; ideo Euangelistæ de maximè mirabilibus pauca dicunt. Trium tantum mortuorum resurrectionem narrant, & unum cæcum à nativitate sanatum: de aliis autem, quibus multa similia fecerant Prophetæ, multa dicunt: ut de morbis curatis, de dæmonibus fugatis, ut ita consulerent imbecillitati audientium, atque ita fortasse intelligit Augustinus & Beda. Aduersus hanc sensum non pugnat argumentum Erasmi. Quod autem dicunt verbum χωρίς, id est, capere, non pertinere ad capacitatem animi, sed loci, falluntur; quoniam etiam per Metaphoram transfertur ad capacitatem animi, ut apud nos verbum capere: ut Matth. 19. Qui potest capere, capiat.

Finis totius Euangeliij D. Ioannis. Ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi, cuiusque Matris benedictæ.

I N D E X





INDEX RERUM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

A.



, Præpositio , pro,
proper. 135

Abib.

Abib mensis quis
apud Hebreos.

126

Quid nominis. ibid.

Ab initio quid. 182

Ablutio.

Ablutio pedum. 315

Abraham.

Abraham cur filium suum immo-
lare voluerit in mōte Moriæ. 125

Semen Abrahæ qui se esse di-
xerint. 217

Abstractum.

Abstracta pro concretis sumere,
Hebræis familiare. 264

Accessus mulierum ad monumen-
tum. 482

Acetum.

per Acetum Iudæi significati.
472.

Acetum cur damnatis oblatum.
ibid.

Aceti vis. 473

Adam.

Adam quid. 86.456

Adolescens.

Adolescens ille, qui Dominum se-

quebatur (Marci 14.) quis. 407

Adoptio.

Adoptio filiorum Dei. 41

Adoratori.

Adoratores veri qui. 124

Aduentus.

Aduentus Messiæ prædictus. 48

Adulterium.

Adulteræ historia (Ioan.8.) vtrūm
authentica. 206

Aduocatus quis. 330

Ægyptij.

Ægyptij vtrūm Verbi habuerint
notitiam. 19

Ænon.

Ænon vbi. 112

Æternitas.

Æternitas quomodo in Scriptura
significata. 12

Affectus.

Affectus, pedes animæ. 316

Agnus.

Agnus Dei. 72

A legali differt.

73

Agni & oves qui. 515

Alabastrum.

Alabastrum quid. 271

Alapa.

Alapa Iefu data. 421

Aloë quid. 478

Alogi.

Alogi qui. 1

V V u 2

Iidem

INDEX RERVM

Iudem & Alogiani dicti.	2	Anima Christi eleuata ad visio-
DN im, Lat. s ^t , s ^a pe affirmatiuē ca-		nem Dei.
pitur.	519	110
Amen.		Animæ iustorum quibus donis
Amen quid, & vnde.	84	moueantur à Spiritu.
Duplex verbi usus.	85	190
Amor, Amicitia.		de Anima, Pharisæorum tradi-
Amor Dei erga homines.	111	tio.
Pyladis & Orestis amicitia.		228
351		De eadem, doctrina Thalmud.
Amicus quis.	ibid.	ibid.
Amor & dilectio pro eodem in		Anima dupliciter sumpta in Scri-
Scriptura sumuntur.	514	ptura.
Coniunctio variè vertitur.		279
145		Annuntiatio.
Anabaptista.		Annuntiatio Apostolis facta.
Anabaptistarum error.	2.206	495
ἀναβάπτισθαι quid.	210	Annus.
Ancilla.		Annus communis quando incipi- ebat apud Hebreos.
Ancillæ ostiariæ, custodes templi		126
apud Hebreos.	414	Ante Luciferum quid.
S. Andreas.		49
S. Andreas minor natu Petro.	78.	Ante, præpositio tripliciter sumi- tur in Scriptura.
Andreas & Petrus quando voca- ti ad Apostolatum.	82	ibid.
Angelus.		āvī quid.
Angeli & homines aliquando dij- nominati.	25	50
Angeli qualiter apparuerint.	76	Anticipatio.
Descenderunt in Passione, Re- surrectione, & Ascensione.		Anticipationis usus apud Ioan- nen in scribendo.
80		260
Angelus quo tempore in pisci- nam descendere solitus.	134	Quando locum habeat.
Anima.		ibid.
Anima foris venit, creata à Deo.	38	Antidicomarianita.
Platonis error circa animam.		Antidicomarianitarum hæresis
ibid.		qua.
Error Origenis circa eandē.	39	97
Anima pro homine.	43	ārāsēv, vox Gr. quid.
Pythagoræ error de migratio- ne animalium.	57	108
		Apollinarista.
		Apollinaristarum hæresis.
		43. & seq.
		Apostolus.
		Apostoli Euangelistæ, non econ- tra.
		6
		Apostolus unde dictus.
		35
		Apostolis quatenus calceis vti permisum.
		66
		Apostoli discalceati.
		67
		Sandaliis usi.
		ibid.
		Apostolos nudis pedibus incessi- se, aut cum sandaliis, author est Bonau.
		69
		Apostoli duodecim indocti.
		82
		Apostoli etymus.
		316
		Apostolus quis.
		ibid.
		Aposto

ET VERBORVM.

Apostoli spiritu Prophetiarum praediti.	Articulus apud Graecos aliquid eximum ostendit.	372	84
Non peccarunt mortaliter post aduentum Spiritus.	<i>Askepsis</i> , dictio Gr. quid.	390	415
Vicarij Dei constituti.	<i>Ascensio</i> .	499	
Apostolorum potestas remittendi & retinendi peccata per penitentiam.	Ascensus in cælum, pro contemplatione rerum cælestium, & visione Dei.	501	110
Apostoli quomodo undecim fuerint Thoma absente.	<i>Asina</i> .	502	
Apostolorum collegium.	Asinâ, an pullo vectus sit Dominus.	ibid.	276
Apostoli quomodo redierint ad punctionem vocati iam ad Apostolatum.	<i>Aspiratio</i> .	507	
Cur vocentur pueri.	Aspiratio reiecta à Graecis & Latinis in vocibus Hebraicis.	508	30
<i>Apparitio</i> .	Asumptio matutina quid.		487
Apparitiones Dei & Angelorum.	<i>Atrium</i> .	76	
Dominus duplicitate Apostolis apparuit post resurrectionem.	Atrium portarum quod, ex Iosepho.	332	100
Quando apparuerit B. Virginis.	<i>Auditus</i> .	511	
<i>Apud Deum</i> quid.	Auditus, pro re audita, id est, verbo prædicato, more Hebraeorum.	24	285
<i>Aqua</i> .	<i>Azymus</i> .		
Aqua viua quæ.	Azymorum solemnitas.	122	105
Aquæ & sanguinis significatio mystica.	B	476	
Aqua cur vino misceatur in calice.	<i>Baptismus</i> .	ibid.	
<i>Arbitrium lib.</i>	Baptismus Ioannis qualis, & ad quid institutus.		63. 74
Manichæorum error circa libertatem arbitrij.	Baptismo aquæ opponitur Baptismus Spiritus sancti & ignis.	164	
Architrichinus quis, & unde datus.	ibid.	95	
Arguere quid.	Baptismus prima ianua ad regnum cælestis.	221	108
<i>Arianis</i> .	Baptismus Christi per discipulos.		
Arianorum hæresis.	Baptismus hic (Ioan. 3.) per verbum purificationis exprimitur.	26.43	
Falsa argumentatio.	112.	48	
Stupor.	Baptismus & Eucharistia differunt.	135	168
Fundamentum.	Baptismus omni ætati institutus.	384	
Aridi Ioan. 5. qui.	134	478	
Arimathæa quid.	169		

INDEX RERVM

<i>Barabas.</i>		<i>Greg.</i>	407
Barabas quid, & vnde.	430	<i>Caius.</i>	
Barjona quid.	80	Caius notarius Apostoli Ioannis, ex Dorotheo.	8
<i>Bartholomaeus.</i>		<i>Calceus.</i>	
Bartholomaeus quid.	80. 82	An calceis vsus sit Dominus.	64.
Bartholomaeus quando vocatus ad Apostolatum.	ibid.	& seq.	
Pauper fuit, & sine literis, no- minisque obscuri.	83	Calceorum vsus quomodo per- missus Apostolis..	66
Bartimeus quid.	80	per Calceum natura Christi mor- talis exprimitur.	69
בָּשָׂר basar, vox Hebr. quid.	4	qui Calcei Apostolis prohibiti. ibid.	
<i>Basilides.</i>		<i>Caliga.</i>	
Basilidis hæresis conuincitur.		Caliga quid.	66
357		Caliga Maximini.	67
<i>Batus.</i>		<i>Calix.</i>	
Batus, mensura Hebr. quantum		Calix pro passione.	411
* capiat.	95	<i>Caluaria.</i>	
בְּאֵד bead quid.	52	Caluaria quid & vbi.	455
<i>Begardi, & Beguni.</i>		<i>Cana.</i>	
Begardorum & Beguinorum hæ- resis.	339	Cana duplex.	92
בְּרוֹשָׁה besora quid.	5	<i>Capharnaum.</i>	
בְּתַבְּתָה beth quid.	134	Caphatnaum ciuitas Christi di- cta.	96
<i>Bethania.</i>		Qualis sit, & vbi.	ibid.
Bethania vbi.	70	Cur eam Dominus sibi ele- git.	ibid.
<i>Bethabara.</i>		Vnde dicta.	153
Bethabara vbi & quid.	70. 262.	Capiendi verbum.	521
בְּתִכְרָה Beth-bera quid.	71	<i>Caro.</i>	
<i>Bethsaida.</i>		Carnis nomine quid denotetur.	42
Bethsaida quid.	82. 134	Caro pro toto homine, more Scripturæ.	43. 383
Duplex.	153	Caro, quam homo eur potius dicatur Verbum factum esse.	43
<i>Brachium.</i>		Caro pro recarnali.	108
Brachium Domini quid.	285	<i>Castellum.</i>	
Quid brachium Dei Patris.		Castellum quid.	200
ibid.		Καταλαυβάνω, seu καταλαμβά- νομαι, comprehendere, vin- cere & capere significat.	
<i>Buccella.</i>		35	
Buccella Ioa. 13. an Eucharistia fuerit.	313	<i>Causa.</i>	
C			
C Abot varie vertitur.			
45			
Cadere in faciem, & cadere re- trorsum, mysticè quid, ex			

ET VERBORVM.

<i>Causa.</i>		An usus sit calceis. 64. & seq.
Causa pro effectu, ex consuetudine Scripturæ.	244	Communem vitam duxit in exterioribus. 65
<i>Cedron.</i>		Manducans & bibens dicitur. ibid.
Cedron quid.	401	
<i>Cephas.</i>		Christum & Apostolos aut nudis pedibus incessisse, aut cum sandaliis, Bonauent. 67
Cephas quid & vnde.	80. & seq.	Christus faciebat quæ docebat, & priusquam doceret, ficerat. 68
¶ cepha quid.	ibid.	An seruârit omnia quæ præcepit Apostolis. ibid.
Képha quid.	100	Christus sponsus Ecclesiæ. 69
<i>Charitas.</i>		Quando natus. 71
Charitas Christi, vide <i>Christus.</i>		Quando baptizatus. ibid. & 89
¶ chesed quid.	134	Cur Agnus Dei dictus. 72
<i>Christina.</i>		Christus est qui baptizat, August. 73
Christina vnde.	78	Per columbæ proprietatem designatur sanctus. 75
<i>Christus.</i>		Christi charitas. 77
Christi generatio temporalis exposita à Matthæo & Luca, diuina à Ioanne.	11	Christus vnde dictus. 78
Christus Dei sapientia & virtus dicitur.	16	Christi nomine Rex potissimum intellectus. ibid.
Item Ratio.	20	Christus nuncupatio potestatis & regni dicitur, ex Lactantio. ibid.
Supputatio.	ibid.	Christi nomen multis commune. ibid.
Christus secundum naturam humana minor est Patre.		Christus nomen personæ in duabus naturis subsistentis. 79
¶		Quo oleo unctus. ibid.
Christus lux hominum, non Angelorum.	33	In Bethleem nasciturus. 83
Nec Iudæorum.	34	Quomodo dicitur Filius hominis. 86
Christus vita hominum per gratiam, & lux per fidem & dona Spiritus sancti.	ibid.	Secundus Adam, siue verissimus Adam dicitur. ibid.
Lux vera tribus modis dicitur.	36	Quando prædicare cœperit, & congregare discipulos. 90
Christi humanitas.	43	
Tabernaculum Verbi.	44	
Christus quomodo dicatur plenus gratiæ & veritatis.		
¶		
Christus Ioanne fortior, id est, potentior & incessantior.	47	
¶		
Quomodo dicatur Verbum.	61.	

Quid

INDEX RERVM

Quid fecerit toto illo anno à Baptismo.	91	An omnino nudus fuerit.
Matrem habuisse feminam unde negent hæretici.	93	469 An coronam spineam habuerit in cruce. <i>ibid.</i>
Cur matrem in nuptiis & passione vocarit potius mulicrem, quam matrem.	94	Quare sepultus fuerit. 475 Quando resurrexerit. 487
Bis abiit in Galilæam.	117	Christus passus per piscem assum intellectus. 511
Habitauit Capharnaum, fecit miracula, & prædicauit.	118	Quomodo discipulis apparuerit in Ierusalem. 498
Iacobo multo maiorem se esse ostendit.	122	<i>Cibus.</i>
Christi testimonium.	140	Cibus Domini quis. 125 <i>Circumcisio.</i>
Christus cur ascenderit in montem, Ioan. 6.	157	Circumcisionis præceptum datum Abrahæ. 191
Quid & cur scripserit in terra.	208	Clamor quid. 61 <i>Clarificatio.</i>
Quare se absconderit.	224	Clarificationis modus. 383
Verbo luminis significatur.	284	Clarificandi, glorificandi & honorificandi verborum eadem significatio. 388
Personæ Christi dignitas.	313	Claritas Christi quæ. 142, 388.
Charitas & humilitas.	315	393. & 395 <i>Clanus.</i>
	350	Clauorum numerus. 468
Christus quando sit redditurus.	326	Klavn quid. 95 <i>Cæcus.</i>
Paracletus dicitur.	330	Cæcus p̄ò ignorantie. 232 <i>Cælum.</i>
Quare se vitem dixerit.	339	Cœli capacitas. 324 <i>Cæna.</i>
Christi claritas quæ.	388, 393.	Bis Dominus cœnauit. 309
	395	Cogitandi verbum. 6, 266
Christus cur ligari voluerit.	413	Cognoscendi verbum. 243.
Quare ductus ad Annam.	414	331 <i>Cohors.</i>
Qua via ductus.	ibid.	Cohors quid. 404 <i>Collegium.</i>
Accusatur.	430	Collegium Apostolorum. 502 <i>Collybista.</i>
Flagellatur.	434	Collybista quis. 100 Kōλυβη quid. <i>ibid.</i>
Flagellationis causæ, & quoties flagellatus fuerit.	ibid. & 436	<i>Color.</i>
Christi vulnera quot.	438	Color coccineus quis. 441
Christus bis crucifixus.	445	Color purpureus & coccineus pro
Cur extra urbem mortuus.	454	
Quomodo sit crucifixus.	467	

ET VERBORVM.

procedere sumuntur. 442

Columba.

Columba cur descenderit super Christum. 74

An ab omni populo visa.
ibid.

An verum animal fuerit.

75

Aliquantum super caput Domini mansit. 76

Columna.

Columna ad quam Christus fuit alligatus. 438

Κολυμβήσα, Lat. piscina, unde dicta. 133

Commentatio.

Commentationes, Gr. ἐγνώματα, quid. 54

Communio.

Communio sub vtraque specie vtrum necessaria ad salutem. 169

Confessores, Confessio.

Confessio Petri quam Nathanaelis sublimior. 84

Confessores & Martyres honoriandi. 521

Congius.

Congius, mensura Attica, quantum capiat. 95

Coniux.

Coniugum facultas transeundi ad religionem, rato, non autem consummato matrimonio. 92

Consanguinei per verb. Fratres significati. 99. 188

Constitutio.

Constitutionum Apostolicarum liber interdum falsa continet, & suspecta. 261

Ribera in Euang. Ioan.

Consubstantialitas.

Consubstantialitas Filij cum Pare. 13. 23. 250

Consuetudo.

Consuetudo apud Iudeos, vnum illis ex vindictis liberari in Pascha, unde orta. 428

Contra aliquem esse, phrasis Gr. quid. 411

Connixa.

Connivuarum numerus quis esse debeat. 95

Quomodo decumbebant in lectis, more antiquorum. 96

Cophinus quid. 157

Corigia quid. 69

Corpus pro mundo. 38

Credendi verbum.

Credere in nomen, siue in nomine Dei quid. 41

Credendi verbi vis. 144

Crux, Crucifixio.

Crucifigendi verbum. 449

Crucis titulus. 459

Cur varie scriptus. 461

Crucis locus. 465

Figura. ibid.

Crucis portatio ad locum supplicij à crucifigendis. 453

Crucis longitudo. ibid.

Crucifixionis locus. 455

Cur Caluaria, siue Golgotha dictus. ibid.

Cultus.

Cultus diuinus in quo maximè consistat. 124

Cultus interior verbo veritatis exprimitur. ibid.

Custodia.

Custodia filij vna cum Patre. 390

Cyrus.

Cyri mors. 103

Kωνιν vox Gr. quid. 200

XXX

Dabar,

INDEX

D

Dabar, pro Verbo propriè aliquando pro re graui. 21

Dæmon, Dæmonium.

Dæmonium habere quid. 222
Dæmon & dæmonium quid, & vnde dictum. 245
Dæmonium pro summo Deo. ibi.
Prou. Gr. Homo homini dæmontum; Lat. Homo homini Deus. ibid.

Damnatio.

Damnationis ratio. 111

Decollatio.

Decollatio Ioannis quando facta. 150

Denarius.

Denarius quid, & vnde dictus. 155

Desertum.

Desertum quid. 61
Desertum triplex S. Ioannis Baptista in Terra sancta. 71

Desiderium.

Desideria quid. 219
Desideriis maximè delectatur diabolus. ibid.

Deus.

Deum nemo vidit unquam, quomodo intelligendum. 54
Deus & Angeli quibus corporibus apparuerint. 76
Ex Deo quis. 222
Dijgentium qui. 245
Dij qui dicantur in Scriptura. 253
Diabolus.
Diabolus nihil est quatenus dia-

R E R V M

bolus, aliter quatenus Angelus, ex Origene. 31
Vide ibi Hieron.

Diabolus quid, & vnde dictus. 183

Diabolus cur homicida dictus. 219

Quomodo Pater more Scripturæ. 221
Auctor mendacij est, & dicitur. ibid.

Verbo Lupi exprimitur. 241

Item per verbum Princeps mundi. 283, & cur. 333. 371

Didymus.

Didymus quid. 264. 502

Dies.

Dies solemnis, aut dies festus quis. 49

Dies Domini magnus & horribilis, pro die iudicij. 58

Dies festus quis. 105. 190

Dies Domini quis. 223

Dies (Ioan. 19.) quid. 229

Dilectio.

Dilectio Parris erga filium quomodo sit intelligenda. 136

Dilectio pro beneficiis. 244

Dilectionis vis. 350

Dioscoris.

Dioscori error. 44

Discipulus.

Discipulorum Ioannis zelus. 112

Discipuli Domini Galilæi. 201

Discipulorum reuerentia erga Dominum. 279

Discipulus ille (Ioan. 18.) qui Iesum sequebatur, quis. 414

Discipuli fratres nominantur à Domino. 494

Doctrina.

ET VERBORVM.

Doctrina.

Docibilis vox actiū & passiū sumta.	165
Doctrina quotupliciter dici possit occulta.	420

Donum.

Dona Spiritus sancti quæ.	76
Dona Spiritus Sanctis atque Prophetis dantur ad mensuram, Christo autem absque mensura.	114
Δόξα interdum gloria, interdum claritas, interdum maiestas vertitur.	45

E

E' Av, dictionis Græcæ vis.	519
-----------------------------	-----

Ecclesia.

Ecclesiam sibi Christus despontauit.	112
Ecclesiæ potestas quoad substantiam Sacramentorum.	171
Ecclesia per verbum Oule significatur.	238
Ecclesia verborum Domini interpres est.	376
Ecclesiam Deus perturbari patitur, & cur.	394
Ecclesiæ unitas per tunicam inconsutilem expressa.	463
Ecclesiæ columnæ quæ.	521
Eiici foras quid.	283

Electus.

Electi regnum Dei dicti.	325
Electi tantum Domino dati à Patre.	384
Electorum præmia.	395
Electi numero pīscium significati.	511

Elias.

Elias non mortuus, sed in cælum raptus.	57
Vivit, Messia ut aduentum præcedat.	58
Ἐμπροσθετά iuxta phrasim Græcam quid.	48. & seq.

Encanaria.

Encanaria quid.	245
Et cur instituta.	ibid.
Ἐπενδύτης, & ἐπένδυμα quid.	509
Ephrem ciuitas.	266

Epiphanius.

Epiphanij lapsus.	89
Erat dictio.	13.24
Esse & fuisse, pro uno eodemque sumuntur.	358

Essentia.

Essentia diuina non visa, sed figura aliqua repræsentabatur Deus.	55
Et, coniunctio ornatus causa posita.	110
Ἐπι, dictio Gr. quid.	390

Euangelium, & Euangeliſta.

Euangelium Ioannis Apostoli sacrosanctum semper habitum.	1
Qui negent id esse recipendum.	ibid.
Qui negent apud nos esse integrum.	2
Quando & ubi scriptum.	ibid.
Qua de causa scriptum.	3. & seq.
Euangelistarum concordia.	4

INDEX RERVM

- E**uangelium quid, & vnde. ibid.
 Euangelium pro præmio & mercede. ibid.
 Euangelizandi verbum. ⁵
 Cur dicitur, Euangelium regni. ⁶
 Euangelista, quis. ibid. & seq.
 An sit Apostolus. ibid.
Secundum Euangelium meum (Roma. 1. & 2. Tim. 2.) quid. ibid.
 Euangelium, cur ita dictum. ⁷
 An Euangelium dici possint cæteri libri noui Testamenti præter libros Euangeliorum. ibid.
 Euangelij author Christus. ⁸
 Euangelium Ioannis, eo dictatore à Procoro scriptum. ibid.
 Dorotheus Mart. à Cajo Apostolorum discipulo. ibid.
 Euangelia apocrypha in multis conueniebant cum veris. ²⁰⁷

Eucharistia.
 Eucharistia quid à manna differat. ¹⁶⁶
 Eucharistia vitam æternam præbet animæ & corpori. ¹⁶⁷
 Necessaria est ad salutem in re, aut voto. ¹⁶⁸
 Eucharistia, & Baptismus quid differant. ibid.
 Eucharistia cur negetur infantibus. ibid.
 Eucharistia solis adultis instituta. ¹⁶⁹
 Eucharistia sub vna specie duobus discipulis in Emauntem contendentibus à Domino data est. ¹⁷²
 Eucharistiae effectus quis. ibid.
 Eucharistia quando instituta. ³⁰⁹
 Collata Iudæ. ³¹³
- E**uentus.
 Euentus pro causa, ex consuetudine Scripturæ. ¹⁹²

Eusebius.
 Eusebij error. ²⁶

Eunomius.
 Eunomij hæresis. ^{26. 339}

Eutyches.
 Eutychetis error. ⁴⁴
 Ex, particula quid. ^{42. 362}
 Excæcandi verbum. ²⁸⁷
 Deus quomodo dicatur excere, & indurare. ²⁸⁹

Exitus.
 Exitus filij à Patre. ³⁷⁹

F
 Faciendi verbum.
A Nte me factus est, quis verborū sensus ex Patrib. ⁴⁸
 Facere Domini quid. ⁵²

Faustus Manich.
 Fausti Manichæi error. ²

Festa.
 Festum Paschæ quando celebratum apud Hebræos. ¹²⁶
 Pentecostes quando. ibid.
 Quando Tabernaculorū. ibid.

Fides.
 Fidei præmium vita æterna. ^{111.}
 138
Fides

E T V E R B O R V M.

Fides initium salutis & iustificationis.

139

Fœnum.

Fidelis.

Fidelium natiuitas & regeneratio per Baptismum.

41

Fideles Iudeorum nomine comprehensi.

460

Fons.

Fontes quidam in vinum conuersti.

89

Fons Iacob.

120

Pro puteo sumitur,

ibid.

Filius, Filia.

Filius Dei cur Verbum dictus.

15. 16. 19

Quomodo procedat à Patre.

ibid.

Verbum etiam à scriptoribus veteris Testamenti nūcupatur.

18

Interpres Patris dicitur.

20

Sermo Dei dictus.

22

Verbum & sermo dicitur.

ibid.

Sermo quatenus dicendus.

ibid.

in Filio idæ omnium rerum.

27

Filius Creator absolute dicitur.

ibid.

Filiij Dei qui.

40

Filiorum Dei adoptio.

41

Filiij Dei, Sancti Noui Testamenti.

53

Filius hominis idem quod homo, phrasij Hebr.

86

Filius Dei eiusdem substatiæ cum Patre.

136

Filius perditionis quis.

391

Filia Sion idem quod Sion, phrasij Hebr.

278

Filia Hierusalem, quod Hierusalem.

ibid.

In finem quid.

309

Flagellum.

Flagellum quid.

436

Flagella Christi quid.

438

Fortitudo.

Fortitudo verbis, in gladio & arcu meo, Genes. 48. exprimitur.

120

Frater.

Fratres Domini qui.

97. & seq.

Fratres pro consanguineis apud

Hebreos.

99

Pro patrueibus apud Latinos non semel.

ibid.

Fructus.

Fructus Spiritus in perpetuum duraturi.

357

Fur.

Fur quis.

236

G.

¶ G Alal quid.

Galilei.

458

Galilæorum secta unde & quando orta.

63

Gaudium.

Gaudium Christi quod.

347

Gazophylacium.

Gazophylacium vbi.

212

Quid, & unde dictum.

ibid.

Generatio.

Generationis princeps quis.

42

X X X 3 Gene

INDEX

- Generatio Spiritus prima regni
cœlestis. 108
Generationis huius principium
& finis, ex Lyra. 109

Gentes, Gentiles.

- Gentes, siue Gentiles pro Idolo-
latris. 194
Gentilium conuersio prænuntia-
ta. 243
Gentiles verbo asinæ significati.
276
Gethsemani quid. 402

Gloria.

- Gloria quid. 45
Gloria plena gratiæ quæ. 46

Grammaticus.

- Grammatici qui apud LXX. 190

Gratia.

- Gratiæ pro gratiæ quid. 50. &
seq.

- Gratiæ gratis datae quæ. 76
Gratiæ & dona Spiritus sancti
per verbum Spiritus exprimun-
tur. 114
Gratia Spiritus per aquam viuam
intellecta. 122
Gratias agere quid. 156
Gratias cur Patri egerit Domi-
nus. 265
גָּלוֹתָה *Gulgolet* quid. 458

H

Habendi verb.

- H**ABEO, coniunctum cum infi-
nitivo, idem quod possum,
aut debedo. 125, 215
Habere dies, aut annos in morte,
aut morbo, phrasis Hebr. 264

RE R V M

- Hæresis, Hæreticus.*
Hæresis Fausti Manichæi. 2
Anabaptistarum. ibid.
Sabellianorum. 23
Eunomianorum. 26
Manichæorum. 29, 43, 164
Arianorum. ibid. &c 43
Pelagianorum. 37
Apollinaristarum. 43. & seq.
Antidicomarianitatum. 97
Heluidij. ibid.
Massalianorum. 160

Hæreticus verbo *Lupi* indicatur.
241

- Hæresis Pelagianorum, nostris
viribus gratiam nos assequi,
conuincitur. 356
Item Basilidis, Manichæi, Ori-
genis, &c aliorum. 357
Arianorum fundamentū quod.
384

Hæresis Petri Ioannis conuicta.
476

- Hebraica verba cum interpreta-
tione sæpius posita. 78

Heluidius.

- Heluidij hæresis. 97
כְּרֵב *Hereb* quid. 485
Hic, Pronomen nonnunquam ex-
cludit. 342

Homo.

- Homines dij dicti. 25
Homo nihil sit per peccatum.
32
Quando dicitur venire in mu-
dum, exire quando. 38
Homo generationis princeps.
42
Homo homini dæmonium, pro-
verb. Græc. 245
Homo animalis quis. 280
Quis

ET VERBORVM.

Quis spiritualis.

ibid.

Scripturæ.

219

Hortus.

Hortus quid designabat Ioan. 18^o 402

Hora.

Hora vnde. 263

Quotuplex.

ibid.

Hosanna.

Hosanna quid. 274

Hostia, vide *Victima*.

Humanitas.

Humanitas Christi. 43.^o & seq.

Tabernaculum Verbi.

44

Hydria.

Hydria quid, & vnde. 94

Hypostasis.

Hypostasis Verbi distincta à Patre. 23.^o & seq.

Vide *Verbum*.

Hyssopus.

Hyssopus quid. 474

I.

Iacobus.

Iacobus quando vocatus ad Apostolatum. 82

Iacobus quis. 97

Frater Domini potissimum appellatur, & cur. 99

Iacobus & Iudas fratres Domini. 188

An ex numero Apostolorum fuerint. ibid.

Idololatria.

Idololatria pro Idololatris more

Ierosolyma.

Ierosolyma Tribus Benjamin. 111

Iesus.

Iesus quomodo dicatur Christus. 78

Cur ambulauerit super mare. 159

Iesus quid. 376

Cur vocatus Nazarenus. 406

Illuminandi verbum. 39

Impossibile quod factu etiam difficile. 286

In, & apud inter se differunt, ex S. Thoma. 24

In, pro, per, apud Hebr. 27. 377

In nobis, idem quod inter nos, vel

in carne nostra, in natura nostra. 44

In præpositione Græci indifferenter vtuntur cum accusatio

uo & ablativo. 187

Incredulitas.

Incredulitatis causæ quæ.

249.

Infans.

Infantibus vtrum Eucharistia cōferenda. 168

Infantes quomodo Eucharistiam comedant per Baptismum. 181

Infremere Spiritu quid. 265

Institæ fasciæ. 266

Insuffratio Domini. 499

Ioannes.

Ioannes Apostolus libri huius aucthor. 1

Ioannis Apostoli mors. 3

Ioannis

INDEX R E R V M

Ioannis & cæterorum Euangeli- starum concordia.	4,	Ioannes quando fuerit decollatus.	150
Ioannes cur à diuina generatione Euangelium suum cœperit. ibid.		Ioannes Euang. qua ætate mor- tuus.	407
Ioannes ad quid missus.	35	Ioannis mores.	508
Ioannis authoritas.	48	Ioannes quare non fuerit marty- rio coronatus sicut alij.	521
Ioannes Christo, quatenus homo, sex mensibus maior.	ibid.	Ioannes vtrum mortuus.	517
Ioannem Christum esse quare cre- debant Iudæi.	56	Iohanna quid.	80
Ioannis mater Virgini beatissimæ cognata.	57	Iona idem quod columba.	ibid.
Ioannis confessio.	ibid.	Iona, Iohanna & Ioannes vnum nomen.	ibid.
Ioannes cur dictus Elias.	58	Trans Iordanem quid.	71
Ioannes plusquam Propheta.	59	Iordanis fluuius quis, & vnde or- tus.	151
Ioannis officium & dignitas. ibid.		<i>Josephus.</i>	
Cur vox dicatur.	60	Joseph virgo fuit , authoritate Hieronymi.	97
Ioannis baptisinus.	63	Iterum dictio quid.	424
Ioannes quomodo dicatur non manducans,nec bibens.	65	<i>Iudas.</i>	
Ioannes Bapt. quando prædicare cœperit in deserto.	71	Iudas cur & vnde dictus Iscario- tes.	272
Quomodo nescierit Christum.	73	Cur pane intineto Iudam prode- re Dominus voluerit.	318
Quomodo non cognouerit de- terminatè Christum , quem in ventre matris cognouerit.		Quare post buccellam intraue- rit satanas.	319
Quomodo cognouerit Spir- itum sanctum manere in Chri- sto.	76	Iudas sua culpa periit.	391
Quando vocatus ad Aposto- latum.	82	<i>Iudeus.</i>	
Sponsus æstimatur in nuptiis Galilæz.	92	Iudæi electi à Deo in populum peculiarem ex omnibus genti- bus.	39
Vnâ cum Christo baptizabat, & cur.	112	Iudæorum sectæ celebriores tres.	
Ioannis modestia.	ibid.	62	
Cur vincitus ab Herode, secun- dum Iosephum.	118	Iudæi & Gentiles per verbum afi- ne significati.	276
Quando vincitus.	ibid.	Iudæi fideles ante aduentum Do- mini.	359
Ioannis Bapt. laus.	141	Iudæorum potestas in delinquen- tes.	423
		Judeo	

ET VERBORVM.

- Iudeorum nomine omnes fideles
comprehensi. 460
Iudei per verb. aceti exprimuntur.
472

Iudicium.

- Iudicium pro peccato, seu causa
damnationis. 110
Iudicandi potestas filio à Patre
data. 138. & seq.
Iudicium totius Trinitatis autho-
ritatiè, Christi autem execu-
tiè. 139
Iudicare secundùm faciem, seu se-
cundùm visionem quid. 193
Iudicium quomodo à Patribus
sumatur. 232
Iudicium quid. 282
Pro vltione, secundùm Chry-
soft. ibid.
Pro damnatione ibid. & 371
Iudicium, dies Domini magnus
& horribilis. 58
Iulias vrbs quæ, & à quo nomina-
ta. 153

Iustitia.

- Iustitia per verb. *arcus* exprimi-
tur. 110

Iustus.

- Iusti in cœlo, peccatores in terra
scribuntur. 209

L.

- Lacus,*
Acus Semeconites. 151
Lapis.
Lapidis sepulchri magnitudo. 489
Ribera in Euang. Ioan.

Latro.

- Latro quis. 236
Latrones cum Christo crucifixi.
458

S. Laurentius.

- S. Laurentius diaconus, non pres-
byter. 170

Lectus.

- Lecti quomodo sternebantur ad
conuiuium, more antiquorū. 95
Eorū longitudo, & latitudo. 96

Leuita.

- Leuitas inter & Sacerdotes distin-
ctio. 56

Lex.

- Lex noua quid. 51
Vetus quid. ibid.

- Legis officium quod. 52

- Lex noua quantum veteri præ-
stet. ibid.

- Lex stricte & latè sumpta quid.
253. 283

- Lex pro doctrina. 360

- Liberandi verbum. 217

- לְמַזְבִּים limudim vox Hebr. quid.
8. 165

Lingua.

- Lingua quare facta. 19

Litera.

- Litera pro doctrina. 190

Lithostrotus.

- Lithostrotus quid, & vnde. 444
Lædoria, siue conuitum quid.
231

Y Yy

Logi

INDEX RERVM

Loqui de seipso quid.	141.190	<i>Mandatum.</i>
Loqui in nomine Domini quid. 378		Mandandi verbum. 28
λόγο quid.	99	Mandatum nouum quare dictum. 320.& seq.
Rationem & considerationem sua significacione includit. 21		<i>Manducatio.</i>
Verbum & rationem denotat. ibid.		Manducandi & bibendi verba me- taphorice sumenda. 180
Cur verbi nomine , quām ratio- nis vti maluerint interpretes & Sancti.	ibid.	Manducatio spiritualis sacra- talis quæ. 181
<i>Lucifer.</i>		<i>Manendi verbum.</i>
<i>Ante Luciferum quid.</i>	49	Verba Dei in aliquo manere quid. 345
<i>Lumen.</i>		<i>Manichæus.</i>
Lumen Christus.	284	Manichæorum hæresis. 29.43. 95. 164.238
<i>Lupus.</i>		Conuincitur. 357
Lupus pro tyranno, hæretico, dia- bolo.	241	<i>Manifestatio.</i>
<i>Lutherus.</i>		Manifestatio Patris per filium apud homines. 389
<i>Lutheri hæresis.</i>	339	<i>Manna.</i>
<i>Lutum.</i>		Manna quid & unde. 161
Lutum ex sputo.	229	Man, dictio Chaldaïs & Hebræis vñstata quid. 162
<i>M.</i>		per Manna verus panis vitæ signi- ficatur. 166
<i>Macedonius.</i>		Mannam inter , & Eucharistiam differentia. ibid.
M Acedonianorum error.	28	<i>Mansio.</i>
<i>Magistratus.</i>		Mansionum multitudine apud Pa- trem. 324
Magistratus templi qui.	405	Parare mansiones quid. 325
<i>Malchus.</i>		Quæ ad cælestem mansionem sint necessaria , ex Cyrillo. 327
Malchus quis,& vnde dictus.	409	<i>Manus.</i>
<i>Malus.</i>		
Mali dicuntur non esse.	31	
Malus pro diabolo.	391	

ET VERBORVM.

Manus.

Manus pro potestate. 149

Mancus.

Manci verbo atidi indicati. 134

Marcio.

Marcionis error. 95

Mare.

Mare Genesareth quid. 151

Mare mortuū, seu mare salis, vel
falsissimum quid. ibid.

Mare Galilæa quid. ibid.

Mare Mediterraneum & eius par-
tes quæ. ibid.

Maria Magd.

Historia Mariæ Magdalena ex
Ioanne Suarez. 262

Maria soror B. Virginis vxor Al-
phæi. 98

Cur Maria Cleophae dicta. ibid.

Mariæ quot. 259

Maritus.

Mariti vnde Zelotypi dicti. 101

Martyr.

Martyres & Confessores hono-
randi. 521

נָשָׁה masah quid. 78

Massaliani hæretici, qui & Psal-
liani dicti ab Augustino. 160

Mater.

Mater Iesu vbique vocatur in
Euangelio, non Virgo B. 97

Cur conuersa sit retrorsum. 491
de Matre Christi, vide verb. Chri-
stus.

Mendacium.

Mendacium pro falsitate. 289

Mensis.

Mensis Abib quis apud Hebr. 126

Nisan, quis. ibid.

Menses nostri differentes sunt à
mensibus Hebreorum. 246

Mercenarius.

Mercenarius quis. 141

Meritum.

Ad actum meritorium quæ requi-
rantur. 342

Messias.

Messiaæ aduentus per nomen ven-
turi intellectus. 48

Messias semper Rex appellatur à
Iudæis. 78

Messias & Rex Israel pro eodem
sumuntur. 83

Messis.

Messis apud Iudæos inter Pascha
& Pentecostem. 125

Mense Iunio, vel Julio in Terra
promissionis. 126

Metreta mēsuræ genus, quantum
capiat. 95

Miles.

Milites quot fuerint crucifigentes
Dominum. 462

Miraculum.

Miraculum nuptiarum Canæ Gz-
lilæ quando contigerit. 89. &c
seqq.

Y Y y z An

INDEX RERVM

- An primum fuerit miraculum
Christi. 96
- in Miraculis cur Christus semper
vsus fuerit materia creata. 95
- Miraculum Reguli. 129
- Miraculum Panum quando con-
tigerit, & vbi. 149.151
- Miraculum cæci. 227
- Miracula multa ab Apostolis fa-
cta in Iudea post ascensionem
Domini. 229
- Miraculum resurrectionis Lazari.
265
- Modicum quid. 284.372
- Mons.*
- Mons Oliueti, seu oliuarū vbi. 208
- Morandi verbum. 132
- Morbus.*
- Morbus propter peccata. 135.227
- Mortificandi verbum. 452
- Moyses.*
- Moyses quomodo accusaturus Iu-
dæos. 143
- Vbi que de Christo scribit. ibid.
- Mulier.*
- Mulier Samaritana. 325
- Mundus.*
- Mundus pro vniuersis hominibus
mundanis, & peccatoribus. 39.
162.331
- Mundus quis. 283.389
- Mundi constitutio quid. 395
- N.*
- N**Ablos, olim Neapolis vbi.
119.
- Nardi descriptio ex Dioscoride
& Plinio. 271
- Natatoria.*
- Natatoria quid. 333.230
- Nathanael.*
- Nathanael, an sit Bartholomæus.
82
- Nathanael doctus, & in lege
versatus. ibid.
- An electus in Apostolum. ibid.
- Natinitas.*
- Natuitatis fidelium, & regenera-
tionis præstantia per Baptis-
mum. 41
- Nestoriuss.*
- Nestorij error. 44
- Nicodemus.*
- Nicodemus quare ad Christum
venerit. 108
- Nihil dictio quid. 30
- Nihil, & non ens synonyma. 31
- Nisan.*
- Nisan mensis quis apud Hebreos.
326
- Nomen.*
- Nomen Dei quid. 41
- Nomina composita breuiata apud
Hebr. 80
- Nomen in Scriptura quid. 143
- In nomine Iesu, idem quod in Ie-
su. 359
- Vide 378. & 505
- Nomen quid apud Hebr. 376
- Nomen pro potestate ac virtute.
390
- Nox*

ET VERBORVM.

<i>Nox.</i>		Domino orandi mos. 382
Nox (Ioan. 9.) quid. 229		Nobis qualiter orandum. 383
Nox & dies quid. 487		
		<i>Origenes.</i>
<i>Nubes.</i>		Origenis error. 25. & seq.
Nubes, Prophetæ. 53		Conuincitur. 357
<i>Numerus.</i>		<i>Orphanus.</i>
Numero plurali quare usus sit		Orphani qui. 331
Dominus in loquendo. 109		
		<i>Ostendendi verb.</i>
<i>Numularius.</i>		Ostendere alicui bona opera,
Numularij, Græcè Collybistæ		quid. 253
qui, & vnde dicti. 100		
		<i>Ostium, Ostiarius.</i>
<i>Nuptia.</i>		Ostium ouium quis. 238
Nuptiæ Canæ Galilææ quando		Ostiarius quis. 239
celebratæ. 89		
Sponsus quis. 92		<i>Ouis, Ouale.</i>
Nuptiæ præsentia Domini hono-		Oues, electi, & filii Dei. 238. 243
ratae. 93		Ouale, Ecclesia. 238
In Paradiso institutæ. ibid.		
Hæreticis nuptias prohiben-		<i>P</i>
tibus obstruitur. ibid.		
		<i>Pagus.</i>
O		Pagus quid. 200
		<i>Palmes.</i>
<i>Oblivio.</i>		Palmites infructuosi, & fructuosi
Oblivione obliuisci quid. 14		qui, ex Cyrillo. 340
Odium & persecutio. 358		
Omnia quid Ioan. 12. 283		<i>Panis.</i>
		Panis cæli, seu de cælo quid. 162
		Panis vita quid. ibid.
<i>Opus, Operariæ.</i>		
Operum nostrorum finis quis es-		<i>Parabola.</i>
se debeat. 346		Parabola quid. 237
Operarij olim pueri appellari so-		Parabolæ Syris & Palæstinis ma-
liti. 508		ximè familiares. 336
Oī dictio Gr. quid. 486		Parabolarum genus duplex.
		337
<i>Oratio.</i>		<i>Para</i>
Oratio per verba gladij & arcus		
exprimitur. 120		

INDEX RERVM

Paracletus.

- Paracletus quid. 330
 Paracletus etiam Christus dicitur. ibid.
 Spiritus sanctus quomodo Paracletus nominetur. ibid.
~~Παρακαλεῖν~~ quid. ibid.
 Paracleti praesentia perpetua. ib.

Parandi verbum.

- Parare viam Domini quid. 61
 Parare mansionem quid. 325
 Quid parare locum. 316

Parasceue.

- Parasceue quid. 307. 445

Paramia.

- Parcēmia quid. 237
~~Παρέψησις~~ quid. 189
 Parturiendi verbum. 16

Pascha.

- Pascha quale festum, & quomodo sit celebratum. 99
 Pascha Iudæorum cur. ibid.
 Pascha Iudæorum quando celebretur apud Iudeos, ex Hier. 126
 Pascha, transitus. 155. 308
 Pascha (de quo initio Ioan. 13.) quanto anno ætatis Domini incidet. 293
 Pascha quid. 302
 Pascha pro cibis paschalibus apud Innocentium, & D. Thomam. 305
 Pro carnibus sacrificiorum. 422
 Pascha per diem solemnem, aut festum significata. 429

Passio.

- Dominus quota luna passus. 300
Pastor.
 Pastor verus quis. 236. 238. 241
 Illius officium. 236. 241
 Pastores Ecclesiæ, eorumque officium. 241. & seq.

Pater.

- Pater cur dicatur agricola. 339
 Cur sanctus. 390
 Iustus cur. 395
 Patres antiqui membra Ecclesiæ. 177

Patriarcha.

- Patriarcharum gesta plurima prætermissa à Mose. 120

S. Paulus.

- S. Paulus ex Tribu Benjamin. 63
 Penulâ usus est. 66

Pax.

- Pax Domini quanta. 332

Peccatum, Peccator.

- Peccatum quomodo dicatur nihil, contra Manichæos. 31
 Peccatum originale omnibus commune est. 41
 Peccata dicitur, in numero multitudinibus, eo quod omnium peccatorum sit initium, radix & fomes. 42
 Peccata mundi cur dicantur. 73
 Peccatores cur lucé fugiant. 111
 In terra scribuntur. 209
 Qui

ET VERBORVM.

Qui peccat libertatem perdit, & seruus fit peccati.	217	Petrus Apostolorum primus , cui Deus Pater filium suum reue- lauit.	ibid.
Peccati poena quæ.	227	Princeps Apostolorum.	315
Peccatores raro audiuntur.	231	Petri negatio prima.	414. 417
		Quoties negauerit.	415
<i>Pelagiani.</i>		Negationes vbi contigerint.	
Pelagianorum hæresis.	37.342.	ibid.	
356		Negatio secunda & tertia.	ibid.
<i>Pellem pro pelle</i> quid.	52	Petrus vtrum excusandus.	419
		Cur ter de amore interroga- tus.	514
<i>Penula.</i>		Quare contristatus.	516
Penulà vsus fuit Paulus.	66	De Ioanne sollicitus.	517
		Petri mores.	508
<i>Pentecostes.</i>		Petrum pedibus ambulasse super aqua, Lyra & Rupert.	509
Pentecostes solemnitas.	126	Alij natando peruenisse.	ibid.
Per dictio[n]is vsus in Scriptura.	26	¶ pharas quid.	63
Per , pro ab.	27		
<i>Perditio.</i>		<i>Pharisei.</i>	
Filius perditionis quis.	391	Pharisei astuti & arrogantes, ma- xime authoritatis apud Iu- daeos.	62
Perditio Iudæ.	ibid.	Vnde dicti.	63
<i>Petendi verbum.</i>		Initium eorum vnde.	ibid.
Petere in nomine Christi quid.		Cur ad Ioannem missi.	ibid.
329. 376		Cur Christum recipere in Mes- siam noluerint.	144
Vtrum in nomine Christi petendum.	378		
<i>Petrus.</i>		<i>Phase.</i>	
S. Petri pater binomius, aut, scri- ptoris vitio , nomen illius de- prauatum.	79	Phase quid.	306
Petra quid.	80		
Petrus quando sic nominatus.	81	<i>Philippus.</i>	
Petrus & Andreas quando voca- ti ad Apostolatum.	82	Philippus quando vocatus ad Apostolatum.	82
Petri confessio sublimior illa Nathanaelis.	84	Cur prior interrogatus cæte- ris.	115
		<i>Piscatio.</i>	
		Piscationis miraculum.	509
		Expositio	

INDEX RERVM

Expositio mystica.	510	Potestas.	
Quomodo Apostoli redierint ad piscationem vocati iam ad Apostolatum.	509	Potestas quid.	40
		Præcedendi verbum.	49
		Præceptum.	
		Dominus cur vnius tantum præ- cepti meminerit Ioannes.	
		348	
		Quare vocet suum.	349
		Prædestinatus.	
		Prædestinati filio commendati à Patre.	163
		Prædestinatorum præmium.	
		248	
		Præmium.	
		Præmium, de quo Ioan. 4. quod.	
		119	
		Prelatus.	
		Prælati ministris committere nonnulla possunt, ipsi ut ma- ioribus vident, exemplo Chri- sti.	117
		Præses.	
Pœna malorum sempiterna.	345	Præses quis.	422
Pœna virgarum quæ.	436	Prator.	
		Prætores qui.	ibid.
		Prætotiani milites, & prætorium quæd.	ibid.
		Primogenitus.	
Pontifex.		Primogenitorum Ægypti ce- des quomodo filio Dei tribu- ta.	23
Pontifices qui.	404	Princeps.	
Pontifex, sacerdotū princeps.	416	Principes qui Ioann. 7.	200
		Princeps mundi diabolus.	283
Porta.		In principio quid.	11. & seq.
Porta vallis, quæ & porta gregis dicta.	153.403	Præp. præpositio prioritatem tem- poris denotat.	49
Porticus.		Pro	20
Porticus Salomonis quæ.			
347			

ET VERBORVM.

Pro , idem quod propter. 52
Pro anima sua quid. ibid.

Q

Probatica.

Probatica quid, & vnde dicta. 52
ibid. 133
Πρόβατον quid. ibid. 156
Prodire ex ore quid. 16

Propheta.

Prophetæ nubes dicti. 53
Olim vncti. 78
Aliquando Christi dicti. ibid.

Q Vasi, dictio aliquando identitatem indicat. 45

Aliquando detrahit, aliquando non. 91. 156

R

Proprium.

Proprium quid. 380

Rami palmarum quid. 273

In signum lætitiae gestari soliti. ibid.

Prouerbium.

Prouerbium quid. 237

Reditus Domini in Galilæam. 117

Psalmus.

Psalmi aliquando à lege & Prophetis distincti. 253

Regeneratio.

Regenerationis præstantia. 41

Regeneratio spiritualis, prima ianua regni cœlestis. 108

Authoritates ex lege & Prophetis huc pertinentes vide 109

Puer.

Pueri , Apostoli. 508
Pueri pro filiis. ibid.

Regnum.

Regnum Dei quid. 426

Regulus quis. 128

Relinquendi verbum. 333

Reminiscendi verb. 367

Purificatio.

Purificatio pro baptismo. 112

Reprehendendi verb.

Cur Petrū reprehenderit Dominus in euaginando gladio. 409

Puteus.

Puteus Jacob ubi. 119
Puteus quis. 120

Resurrectio.

Resurrectio duplex. 140

Resurrectio glorioſa. 163

Resurrectio, regeneratio, nativitas iterata. 373

Resurrectionis signum. 489

Pythagoras.

Pythagoræ error de migratione animarum. 57

Z Z z Rex,

Ribera in Enang.Ioan.

INDEX RERUM

Rex.

- Reges vngi soliti. 78
 Rex Israël quis. 276
 ἐν μεριδίᾳ dictio vnde deriuata. 21

S

- S**Abellianorum hæresis. 23
Sabbatum.
 Sabbatum quid, & vnde. 48;
 Pro qualibet festinitate sumi-
 tur. ibid.
 Pro qualibet hebdomadis die.
 484
Sabbati vespere quid. ibid.
Sacellum.
 Sacellum ante locum sancti Sc-
 pulcri. 490

Sacerdos.

- Sacerdotem inter & Leuitam di-
 stinctio. 56
 Sacerdotes olim vngi soliti. ibid.
 Aliquando Christi dicti. ibid.
 Summi sacerdotes qui. 405
 פָּרַץ sadach quid. 63
 Sadducæi vnde dicti. ibid.
 שָׁדָךְ saida quid. 134
 Salim, siue Salem quid. 112

Samaria, Samaritanus.

- Samaria quæ. 119
 Samaritani Deum colebant &
 idola. 121
 Recipiebant libros Mosis, Pro-
 phetas autem reiiciebant. ibid.
 Samaritanus maximum oppro-
 brij genus apud Iudæos. 222
 Samaritanus idem quod custos.
 223

Sanctus, & Sanctificandi verb.

- Sancti, lux per participationem.
 36

INDEX RERUM

- Discalceati. 67
 Sanctum quid. 392
 Sanctificare quid. 254. 391. &
 seq.

Sandalia.

- Sandalium quid. 66
 Sandalia pro caligis. 67
 Sandaliis vbi sunt Apostoli. ibid.

Sanguis.

- Sanguis in numero multitudinis
 quid. 41. & seq.
 Sanguis foeminæ purior, potissi-
 mum materia fœtus. ibid.
 Sanguis pro supplicio. 431

Sanitas.

- Sanitas per verbum viuendi ex-
 primitur. 129
 Sanitatem corporis & animæ
 Christus tribuere solitus. 192

Sapientia.

- Sapientiæ nomen filio Deo pa-
 sim tribuitur in Scriptura.
 16

Scenopegia.

- Scenopegia quid, & vnde. 149
 188
 Quando celebrari solita.
 ibid.

Schisma.

- Schisma quid. 230

Scientia.

- Scientia Dei diuersè sumta. 21

ET VERBORVM.

<i>Egyptius</i> quid.	44	<i>Simon.</i>	Simon an crucem portauerit vñā cum Christo.	453
<i>Scriba.</i>			Simon hic quis.	454
<i>Scribæ & Pharisei</i> vnde orti.	63			
<i>Scriba quis.</i>	190			
<i>Secta.</i>			<i>Sinus.</i>	
<i>Tres sectæ inter Iudeos celebre-</i> <i>rimæ.</i>	62		<i>Sinus Patris, pro secreto Patris.</i>	
<i>Sed, pro &c.</i>	367		34	
<i>Sepulcrum.</i>			<i>Situs.</i>	
<i>Sepulcrum Ioseph</i> vbi.	119		<i>Situs rerum temporalium.</i>	112
<i>Domini</i> vbi.	455		<i>Gratiæ & sapientiæ.</i>	ibid.
<i>Seruandi verbum.</i>	345			
<i>Seruum.</i>			<i>Solea.</i>	
<i>Serui verberari soliti apud Ro-</i> <i>manos.</i>	435		<i>Solea quid.</i>	66
<i>Sic, adverb.</i> pro imitatione rei quæ narratur etiam apud pro- fanos Scriptores.	121		<i>Solea B. Petri Romæ seruata.</i>	ibid.
<i>Sichem.</i>				
<i>Sichem ciuitas quæ.</i>	119		<i>Solitudo.</i>	
<i>Sichem, an Sichat legendum.</i>			<i>Solitudo pro corde sterili, & ari-</i> <i>do.</i>	62
ibid.			<i>Solus</i> dictio s̄aþe dissimiles tan- tūm excludit.	385
<i>Sichimitæ Amorrahæorum nomi-</i> <i>ne significati.</i>	120			
<i>Signum.</i>			<i>Somnus.</i>	
<i>Signa petendi mos apud Iudeos.</i>			<i>Somnus in ægroto.</i>	264
101				
<i>Signa promittere multo pōst im-</i> <i>plenda moris in Scriptura.</i>	102		<i>Soror.</i>	
<i>Quæ signa illa fuerint Ioan.</i>			<i>Sorores Domini.</i>	97
20. 504				
<i>Vide Miraculum.</i>			<i>Spasmus.</i>	
<i>Siloe.</i>			<i>Spasmus</i> vtrūm ponendus in B. Virgine.	470
<i>Siloe quid.</i>	230			
			<i>Spina.</i>	
			<i>Materia & numerus spinarum</i>	
			<i>Christi.</i>	439
			<i>Spiritus.</i>	
			<i>Spiritus sanctus</i> verbum & inter- pres filij.	20
			<i>Ignis dicitur.</i>	64
			Z Z Z	In

INDEX RERVM

In specie columbae cur descendit.	74	Vide Verbum, & Hypostasis.
In solo Christo semper mansit.	76	Suggerendi verbum. 332
Quatenus semper maneat in iustis.	ibid.	Super aliquando idem quod propter, aliquando quod ad. 85
Spiritus S. dona.	ibid.	Supra, sive super, pro iuxta. 121
Spiritus, pro re spirituali.	108	
Pro vento.	ibid.	Superbia. 62
Spiritus sanctus inuisibilis est.	ibid.	Superbia vita quid. 140
Spiritus S. vis in generatione spirituali.	109	
Ad mensuram datur.	114	Supplicium. 10
Etiam Prophetis.	ibid.	
Spiritus variè accipitur.	124	Supplicium verbo sanguinis exprimitur. 431
Quid sit, ex ysu Scriptura.	178	Surgendi verbum, iuxta phrasim Scripturæ, de Prophetis & virtutis magnis dicitur. 202
Spiritus non dabatur ante glorificationem Christi, & cur.	199	
Spiritus S. quomodo Paracletus dictus.	330	Synagoga. 10
Spiritus veritatis quis secundum Chrysost. Theophylact. & Euthym.	331	Synagoga quid. 173
Spiritus S. quomodo dicatur procedere tantum à Patre.	360	Extra Synagogā fieri quid. 230
Per numerum septenarium exprimitur.	510	Σφαγία quid. 161
		T
Sponsus.		Tabernaculum. 10
Sponsus Ecclesiae Christus.	112	T Abernaculum pro Templo apud Hebraeos. 44
Sponsi domus cœlum.	113	Ad breue constituitur. ibid.
Sponsi amicus Ioannes.	ibid.	Tabernaculorum solemnitas. 126
		Tanti vox apud Latinos tam ad magnitudinem, quam ad numerum pertinet. 156
Standi verb.		
Stabat Ioannes, quid.	76	Templum. 10
Stare in aliqua re, quando quis dicens.	220	in Templo vendentes bis electi à Domino. 99
Stadium quid.	264	Quid ibi vendebatur. ibid.
Subeo, pro ascendo.	355	Templum propriè quid. 100
		Templum
Substantia.		
Substantia filij eadem quæ Patris.		
136		

ET VERBORVM.

Templum Dei, Ioan. 2. quod.	102	Tradendi verb.	475
Templum ter ædificatum.	ibid.	Trahē, pro amore duci.	164
Tempus.		Trahēndi verb.	283
Tempora verborum quid sonent in Scriptura.	14	<i>Tribunus.</i>	
Perfectum & imperfectū pro- miscuē ponitur.	ibid.	Tribunus quid.	404.413
Præsens pro futuro, præsertim in interrogationibus.	161. 193. 390.	Triclinium.	
Indicatiuus, seu Imperatiuus pro futuro.	349	Triclinium quid.	95
Præterito conditionem addi in Scriptura solitum.	359	<i>Tunica.</i>	
Futurum pro Imperatiō poni.	363	Tunicae inconsutilis significatio mystica.	463
Præteritum pro futuro.	390	Tunica à vestimentis distingui- tur.	ibid.
Præteritum perfectū pro plus- quam perfecto, & è conuerso.		Tunica quid.	509
417		<i>Tyberias.</i>	
Tenebra.		Tyberias ciuitas quæ.	152
Tenebræ quid.	34. & seq.	Quare sic nominata.	153
Testamentum.		<i>Tyrannus.</i>	
Testamentum vetus an nuncupari possit Euangelium.	7	Tyrannus verbo <i>Lupus</i> exprimi- tur.	241
Nouum quid.	51	<i>ונָשׁוּר</i> quid.	441
Teſtimoniuſ.			
Teſtimoniuſ Ioannis.	47	V.	
Christi de ſeipſo.	140	Vendendi verb.	
Theatruſ.		<i>V.</i>	
Theatruſ interdictuſ.	44	Vendenti verb.	
Θεάμα quid.	ibid.	<i>Venter.</i>	
Θεάμα quid.	42	Ventrī nomine interiora homi- nis expreſſa.	195
Thomas.		Cor & mens significata.	ibid.
Thomas quomodo acceperit po- tentiam remittendi peccata, si non fuit cum Apostolis.	502	<i>Verbum.</i>	
Quomodo absens fuerit con- gregatis aliis.	ibid.	Verbum ab æterno.	11.12.24
An etiam tetigerit Dominum.		Quatuor modis dicitur.	16
504		Ioannes quare <i>Verbum</i> potius, quām <i>Filius</i> dixerit.	19
Tollendi verbum.		Verbi nomine generatio spiritua- lis & impassibilis ostenditur.	ibid.
Tollit peccata mundi, cur potius di- cat, quām remittit.	72	Verbum diuersè sumitur.	21
Vide	248	Verbū, aut sermo, vtrunque recte dicitur.	22
		Verbi cum Patre substantia.	25
		Verbi hypostasis, v. <i>Hypostasis.</i>	

INDEX RERUM

- Verbum cur dicatur potius caro
 quam homo factum. 43
 Verbum quid. 60. & seq.
 Verba vitae æternæ quæ. 182
 Verba Hebraica in pluribus Scripturæ locis cum interpretatione posita. 79
 Verbis æquiuocis ut an sit mendacium. 102
Verberatio.
 Verberationis usus apud Romanos. 435
 Crucifigendi prius verberari soliti. ibid.
 Christum quater verberatum esse, Christiani terræ sanctæ statuunt. 436
Verum, Veritas.
 Verum, quomodo accipiatur in Scriptura. 36
 Veritas quid. & unde. 111. 141
 Veritas pro filio. 331
 Pro doctrina Euangelica. 391
 Ex veritate qui. 427
Vestimentum.
 Vestimenta Domini quæ. 65
 Vestis qua Christus fuit induitus à Iudeis. 440
 Vester coccineæ quæ apud Hebr. ibid.
 Vestimentorum partitio. 462
 An plures una vestes habuerit Dominus. ibid.
 Qualia vestimenta fuerint. ibid.
 An de sola tunica sortiti sint milites. ibid.
 Vestium partitionis significatio mystica. 463
 Tunica inconsutilis mysticæ quid. ibid.
 Quod genus vestimentorum fuerit. ibid.
 A vestimentis distinguitur. ib.
Veteres.
 Veteres discalceati accumbebant in conuiuiis. 68
Victima.
 Victimæ ubi immolandas, inter Samaritanos & Iudeos controvèrtitur. 123
 Vbi lauari solitæ. 133
Vicus.
 Vicus quis. 200
Videndi verb.
 Videre quid usu Scripturæ & vulgariter. 162
Vincendi verb.
 Vincere mundum quid. 380
Virga.
 Peccata virgatum quid. 436
Visio Domini.
 An sola Magdalena viderit Dominum, vel aliae etiam mulieres. 491
Vita.
 Vita pro filio. 32
Vivendi verb.
 Per verb. vivendi sanitas intelligitur. 129. inde vivificare, pro liberare. ibid.
 Una pro prima, more Hebr. 483
Vnguentum.
 Vnguentum effundi eur passus fuerit Dominus Io. 12. 272
Vnigenitus.
 Vnigenitus pro æquali cum Patre. 54
Vnio, Unitas.
 Vnio Christi & hominum per Eucharistiam. 172
 Vnio filij Dei cum Patre. 173. 393
 Unitas Ecclesiæ quæ. 180
 Unitas substantiæ Patris & filij. 249
 Fideles an unum sint. 393
 Volendi verbum. 395
Voluntas.
 Voluntas carnis quid. 42
 Quid voluntas yiri. ibid
 Voluntas unde dicta. ibid.
Volun-

E T V E R B O R V M.

Voluntas Dei certa & immutabili-

lis.

517

Y.

Vox.

Vox verbo inferior, & cur. 60

Vox cogitationis index. ibid.

Præparatiua est auditus hominum. 61

Vt dictio aliquando identitatem indicat. 45

Vulnus.

Vulnera Christi quot. 438

X.

Xαριον, vox Gr. quid.

403

Yπέρ πρæpositio quid. 52

Yύπόδημα, nomen genericum, & Latinis idem quod calceamentum. 68

Z

Zelus.


Zelus quid.


Zelum habere quid. 103


Zelus idem quod ~~z~~mulatio. ibid.

F I N I S.













2.179